Flora, seu de florum cvltvra lib. IV / [Giovanni Battista Ferrari].

Contributors

Ferrari, Giovanni Battista, 1584-1655.
Rottendorf, Berhard, active 17th century.

Publication/Creation

Amstelodami : prostant apud J. Janssonium, 1646.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/tecfwkdt

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

FLORA
SEU
DE FLORUM

1646

12902

22,441/B

10/6

5/-

H. A. Biedermann

March 15

1827



Hoc opus Adami fuit et studium Salomonis.


R. ET ILL. D.D. FRANCISCVS GVILHELMVS D.G. EPISCOPVS OSNABVRG.
MINDENS. AC VERDENS. ETC. S.R.I. PRINCEPS, COMES DE WARTENB. &c.
Heus pictor, cunctos licet experiare colores,
Haud tanti attinges Principis effigiem.
Rectius ut facias, Velum illi appone Timantis,
Sol cerni hic tectus non nisi nube potest.
Bernh. Rottendorff. D.

IOH: BAPTISTÆ
Ferrarii Senensis, S. I.

FLORA,

seu

DE FLORUM CVLTVRA

LIB. IV.

EDITIO NOVA.

Accurante

BERNH: ROTTENDORFFIO,
Sereniss. Electoris Colon: Medico Cubiculario, &c.



AMSTELODAMI,
Prostant
Apud JOANNEM JANSSONIUM:
Anno cIↃ. IↃC. XLVI.

12902

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

EMINENTISSIMO
PRINCIPI
FRANCISCO
CARDINALI
BARBERINO
S. R. E.
VICECANCELLARIO

IO. BAPTISTA FERRARIUS F.

NON est mihi cum Veronensi Poëta deliberandum, cui donare debeam ab inculta scriptione inamœnum, à florido argumento lepidum meum volumen. Cur enim Flores Apibus deberi dubitem? Et verò virtutes tuæ, Princeps Eminentissime, mihi beneficæ, novoque more mellificæ fuerunt Apes;

quæ Floribus meis non ademerunt mel, sed addiderunt. Melleum certè, suavissimoque dignum Principe beneficium contulisti, dum Flores meos qualescunque sic amasti; ut & officiosè mihi animos feceris ad opus floreum scribendum, & liberaliter opes suffeceris ad evulgandum. Quòd si evulgatum perhumaniter probaveris; quidni sperem omnibus placiturum, quod humanitas tua condiverit? Accipe igitur, qua me provocasti benignitate, meam hanc tua merita colentem Florum culturam. Quanquam illam tibi jam donare non possum, quæ tot nominibus tua est. Vale.

AMICO FLORUM LECTORI.



Vdica tandem Flora inventa est, quæ mores non inquinet, sed flores animo pulchriùs, quàm solo, inseminet: Florum, inquam, Cultura è privatis hortorum latebris in publicæ disciplinæ lucem existit, ut floridas curas in æruminosa mortalitate feliciter serat ad ingenuæ messem uberem voluptatis. Quamobrem illa in ipso hujus operis florei vestibulo non solùm hortensia præmonstrat arma, invitatque facilem ad laborem; verumetiam fructum laboris amplissimum pollicetur, quatuor videlicet anni partes amœnitate perpetua vernantes, & perenni vicissitudine modò juvenem modò senem, hoc est bifrontem annum omnium temporum floribus coronatum. Neque verò in hortensis voluminis primo tantùm aditu, sed in penetralibus quoque adytis lepidè picta spectacula exhibere placuit; ut, ad hilarandam legentis patientiam decenter intersitas amicas florum fabellas comminiscente me, attentionis mira conciliatrix, & Roscio melior gestum ageret pictura. Et sanè tam graphico artificio lusere nobilissimi pictores; ut non pictæ paginæ proponi, sed res ipsæ geri videantur. Amabilis hujus fallaciæ volu-

ptatem concinnavit in primis Guido Renius Bononiensis, qui artis suæ, quàm cujusquam eloquentiæ, coloribus illustrior, contracta in se unum universa picturæ gloria, quod semel Apelles Veneris miraculum elaboravit, hoc suis in tabulis majestatis plena semper exprimit venustate; ac solerti penicillo, dum colores inducit, mores animumque pingit; quique scit manum de tabula tollere, sed feliciter æmulam victricemque naturæ. Vt ipse mihi jure gratuler summum operi meo decus ab eo accessisse artifice, quem non modò illustrium fertilis virorum parens Bononia, verumetiam assueta miraculis Roma vnicè miratur & prædicat. At verò Petrum Berrettinum Cortonensem, è cujus æquè benefica ac docta manu Flora mea pleraque accepit suæ lineamenta pulchritudinis, quonam pari graque præconio remunerabor ? ille in ipso juventutis curriculo senilem absolutissimæ artis metam adeptus expingendum argumentum prudenter digerit: extremas inter lineas corporum symmetriam raro alioqui successu artis emendatè includit : validè nitideque colorat : corpora tum graphicè denudat, tum eleganter investit : suorum argutias & veneres operum gravitatis nobilitat cothurno : & (quod laudis fastigium est) augustum antiquitatis vultum recenti æmulatione sic præsentat, ut par solertiæ merces, nunquam antiquandi nominis æternitas debeatur. Sed magnum ingenium una pingendi scientia explere non potuit. Quare alteram divinæ Sapientiæ rerum omnium opificis

ficis imitatricem facultatem perfectè didicit architecturam. Illa tandem summa decorum sit, à sapientissimo æstimatore, Francisco Cardinali Barberino in aulicas opportunitates ob artis utriusque præstantiam fuisse delectum. Simili dignus & felix honore Andreas Saccus Romanus, Antonii Cardinalis Barberini splendida in aula bonum propitiumque lumen suaviter coloratis operibus suis nactus, illustre Principum patrocinio artificium lepida & concinna graphide scriptioni meæ adjunxit. Præter argutè descriptas lineis fabulas aliæ hortensi rei perutiles formæ lineantur, quas una satis expingere non potuisset oratio. Neque mirum sit, in floreo volumine florum effigies admodum paucas deformari. Etenim, cum volumina prope infinita impressis visenda floribus; quorum unicam vel historiam vel medicos usus persequuntur, in omnium oculos manusque passim incurrant, ego, qui florei cultus novum omnino, diversumque opus exequerer, nostratibus tantùm hortis peregrinas & parum de facie notas florum plantas exprimere satis habui. Verùm ut operis florei cognitio conspectior sit, præter accurata graphidis lineamenta, quibus oculi potissimùm eruditiuntur, ea placuit quadripartitio, qua præcipuarum ordo partium ipsi animo delineatur. Primus igitur liber, quem exigat florum cultio apparatum, edocet: florum notitiam certis notis præbet secundus: eorundem satum, & educationem tertius tradit: usum postremus

aperit & admiranda, quæ secretiore artificio perficiuntur. Patet jam expeditus aditus ad flores Culturæ meæ legendos. Si quid fortè horridum spinosumque pupugerit; memineris indulgens lector, sæpe cum floribus aculeos geminari.

MUTIUS VITELLESCUS
SOCIETATIS JESU
PRÆPOSITUS GENERALIS.

CVM Floram, sive Florum culturam P. Jo. Baptistæ Ferrarii Societatis nostræ tres ejusdem Societatis, quibus id commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint: facultatem concedimus, ut typis mandetur; si ita Reverendiss. D. Vicesgerenti, & Reverendiss. P. Magistro Sacri Palatii videbitur: In quorum fidem has litteras manu nostra subscripas, & sigillo nostro munitas dedimus, Romæ 6. Septembris 1632.

Mutius Vitellescus.

Imprimatur, si placet Reverendiss. P.M. Sac. Pal. Apost.
A. Torniellus Vicesg.

Æmulam hanc æternitatis Floram,
& eruditissimam non tam florum, quàm morum, & ingenii culturam à Reverendiss. P. Nicolao Riccardio Sacri, & Apostolici Palatii Magistro jussus aviditate summa perlegi: eamq; publicæ natam ingeniorum utilitati non modò censeo, sed innocentem Paradisi voluptatem Lectoribus, & immortale Authoris ingenio coronamentum allaturam assero, spondeoque. Ex Collegio Romano octavo Idus Septembres 1632.
Hieronymus Petruccius è Societate Iesu.

Imprimatur.
F. Nicolaus Riccardius S. P. A. M. Ordinis Prædicatorum.

Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Principi ac Domino,

D. FRANCISCO GULIELMO,

Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, Cathedralium Eccleſiarum Oſnabrugenſis, Mindenſis ac Verdenſis Epiſcopo, Ratisbonenſis verò Coadjutori &c. S. R. Imperii Principi; Comiti de Wartenberg & Schawmburg, Domino in Waldt & Hachenberg, &c. Sereniſſ. Electoris Colonienſis, ad Tractatus Pacis univerſalis Monaſterii Legato Plenipotentiario, Principi longè clementiſſimo.

BERNARDVS ROTTENDORFF D.

τὸ ὑγιαίνειν.



Vnt qui Floram, Illuſtriſſime Princeps, nobile olim apud Romanos proſtibulum fuiſſe contendunt: quod cùm immenſis, illicito corporis quæſtu partis divitiis, oppido afflueret; omnem hæreditatem ſuam moriens, Teſtamento ex aſſe, ad populum Romanum præcepit devolvi; cum hâc ſubtextâ clauſulâ, ut in natalis ſui memoriam, publici annuatim ludi exhiberentur. Ipſi porro ludi, utpote memoriæ conformes meretriculæ, longe erant turpiſſimi, celebrabantur enim omni cum luxu & laſcivia. Ibi diobolares victimæ ſcortilla, proſedæ, mimæ, ac omnium vitiorum incentrices, ex lupanaribus in Theatrum proſiliebant, & levato quaſi velo, fractiſque pudoris ac honeſti repagulis, palam vitulabantur, tripudiabant, laſciviebant, & quam maximè petulcos ſcurrileſque ad oblectandum populum, jocos motuſque edebant;

*

tur-

turpissimâque licentiâ, quæcunque libidinum monstra comminisci Lupæ illæ poterant, sub Floræ hujus clypeo tuto ab illis exercebantur: quam solemnitatem accensis facibus, aliisque ignibus micantibus in multam noctem protrahebant, existimantes nocturnas umbras, illecebris suis sceleribusque esse aptiores. Quæ res cùm honestati, & innocuis moribus, omnium calculo, è diametro obluctaretur; ipseque Senatus flagitiosam judicaret: ab ipso nomine sumi argumentum placuit, ut pudendæ & abominandæ rei, dignitas quædam conciliaretur: Deam ergo Floram finxerunt, quæ Floribus patrocinaretur & præesset; eamque IV. Kalendas Maji placari oportere: ut quicquid cœli satu, terræque conceptu generatum editumque esset, affatim efflorescceret, justamque consequeretur maturitatem. Atque hac ratione turpissima Lena, Romanorum Principum auctoritate, in propudiosum vanissimorum Deorum Dearumque consessum accita fuit.

Aliam in præsens, Illustrissime Princeps, Floram in scenam produco, eamque ab omni morum petulantia, & libidine, quam maximè remotam: pudicam illam ac modestam plenissimamque honestatis: quæ animi divinioris vim ac harmoniam, non dissolvat & dissipet; sed intendat illam potius, ac extollat, excitetque, ut supremi, ac summè Thaumaturgi Numinis magnitudinem, in rebus etiam minimis maximè eminentem obstupescens, exclamet cum Propheta: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra. *Enimvero, licet omnia quæ vastissimo hoc pulcherrimoque*

mundani

mundani ſyſtematis ambitu continentur, illius nunquam ſatis laudandi Numinis Majeſtatem abundè deprædicent: In re tamen, judicio meo, propè nullâ ſpectandam ſeſe admirandamque luculentius exhibet, quam in diverſiſſimis, ac maximè diſcoloribus Floræ noſtræ muneribus; Floribus inquam, quos terra parturiens, ſtatis temporum circuitibus, ex abditiſſimis penetralibus, veluti viſceribus quibuſdam enititur, & obſtetricante Natura, vel potius Naturæ ipſius Parente ac Conſervatore Deo, in apricum effundit. Ea in illis formarum varietas eſt, ea colorum pulchritudo, & odorum ſuavitas; ea denique foliorum venuſtas & elegantia, ut omnem ingenii humani aciem tranſcendant, videanturque propè dignitatem illam, quam Sydera cœlo tribuunt, Terræ conciliare. Neque verò de illorum hac excellentia, noſtra, humani ſcilicet judicii, iſthæc opinatio tantùm eſt: ipſa SS. Literarum Oracula adire ſi libet, ampliſſimum huic noſtro argumento dicent teſtimonium. Quid enim? Nonne hoc ipſum clariſſimè ex verbis Servatoris noſtri patet; quibus, cum ab inanibus curis humanos animos excuteret, erigeretque ad fiduciam in Deum, qui indumenta nudis &c. plena manu porrecturus eſſet, inſpici lilia (quæ in Florum genere non ultimum locum habent) conſiderarique jubet, addens, quod cum neque neant, neque laborent, tam tamen pulchra ſint, ut nec ipſe Salomon in omni gloria ſua, *(textus ſacri verba incorrupta pono)* coopertus fuerit, quaſi unum ex illis. *Quanta porro Salomonis gloria illa? Quis aulæorum polymitorum ſplendor? Quis*

vestium Attalicarum fastus, cum in illo regio splendoris apice consideret? Quæ non tota illa, quæ in tanti Regis aula oberrabant Phrygionum, Limbolariorum, aliorumque artificum excogitaverunt examina? Quæ non alia curiosissima in pompam ingenia? Quas demum non artes & modos effinxerunt, ad ornandum illum Amasium suum, ipso jam Sardanapalo molliorem; illæ Reginarum aliarumque concubinarum centuriæ, non in fastum minus, quam in amores suos zelotypæ: imprimis cum auri, argenti, gemmarum, sericorum, aliorumque nobilissimorum pannorum immensa vis ad manum esset? Et tamen tantis thesauris, tanta solicitudine & curâ, obtineri hoc non potuit; ut unicum ille, non dico præcedere, sed ne pariare quidem æquareque lilium posset. Sufficiebat hoc proposito meo, sed ex iisdem S. S. Voluminum adytis, quando illa semel ingressus sum, unum adhuc delibo: Ipse quem ante dixi humanæ salutis Assertor ac Vindex Christus, de ipso se; Ego, *ait,* Flos campi & Lilium convallium. *Ecce tibi, non jam Salomonis gloriæ Florem antefert, sed ipsi sibi, immo verò illi se, qui erat supremæ pulchritudinis Archetypon, comparat. Quid dici de Flore poterat augustius? Ipse speciosus forma præ filiis hominum, Angelorum delicium, ipse æternæ lucis candor, splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, Flosculo, immo omnium flosculorum minimo se confert; nec confert tantùm, sed & esse se affirmat; ac si viciniori quadam, si dici fas est, cognatione, vel potius similitudine, illud supremæ pulchritudinis exemplar perfectissimum, ille attingeret. Qua sane collatione,*

latione, Floris dignitatem in immensum extollit: neque vero illa summæ pulchritudinis absolutissima Idea, comparari ulli alteri rei debebat; quam illi, quæ haberi poterat pulcherrima. Itaque nostro huic de Florum excellentia ac prærogativa judicio, irrefragabilis divinæ Sapientiæ assensus patrocinatur & æstimatio. Iam verò ad humanum genus ut veniam; vix aliud quippiam reperiri judico, quod tum menti, tum mentis ministro corpori, suâ suavius illecebrâ blandiatur lenocinetur-que, quam illæ ipsæ polydædalæ hortensium deliciarum dotes: tam sanè variæ & præstantes, ut non injuriâ alicui, illas pro sua dignitate arbitranti; nullis aliis in rebus, tanto varietatis delectu, tanta jucunditatis suavitate, tanta demum fertilitate & abundantia, ad humani generis voluptatem, quam in his ipsis lusisse, natura videri possit. Ingrediamur hortum aliquem, illumque non à vulgari manu, sed aliquo artis filio instructum: Oberremus per areolas istas, & palpebra curiosius hiante, animum in illas, oculosque effundamus; & quæ non ibi miracula occurrent? Ibi plantulæ se se innumeræ offerent & colore & odore excellentes; quas utrum naribus an oculis gratiosius arrideant, ægrè dijudicabis. Ibi ambitiosissima naturæ artificia inveniemus, ad quorum elegantiam Zeuxis & Apellis penicilli, toti obrigescant. Ibi auri fulgorem mirabimur in Calendulis, argenti nitorem in Liliis, amethysti purpuram in Violis; turcoidis obscuritatem in Cyanis. Ibi si Tulipas, Anemones, Caryophyllos, Rosas, Papavera &c. contueamur,

omnium adeoque excellentissimorum colorum, stupenda se nobis varietas ingeret. Neque verò minus grata oculis erunt, illa varia scemata; frequentissimæ ac illæ diversissimæ Florum figuræ, & tam multiplices, ut ad calculum vocari posse vix videantur. Iam de eorum odore frustra orationem instituimus: ipsi nempe flagrantissimo suo habitu, ac odoratissimâ animâ, quam vel Vere, vel aliis, pro naturæ suæ ratione, temporibus exspirant, ipsi sibi testimonio sunt. Admoveamus propius naribus unum aliquem Cyclaminis vel Iasmini flosculum: odoremus attentius Rosam, Violam, Caryophyllum, Lilium convallium; ac facile idipsum experiemur, ultroque fatebimur, nil gratius, nihil ad sensum narium jucundius contingere posse: adeoque ab uno Flore, ambram, moscum, zivettam, reliquaque felicis Arabiæ munera in hoc genere superari. Neque verò de odoris tantùm flagrantia, sed & salubritate, si Plinio credimus, intellectum velim. Reliquit enim scriptum ille, fuisse quempiam, qui non solum hominem infirmum suffitu illo utcunque refocillarit: sed & qui animam extremis jam labris oberrantem, hoc veluti incantamento, in pristinum hospitium, ac deserta pœnè membra revocarit. Quæ cum ita se habeant, fatendum omnino est, summam Florum dignitatem, excellentiamque esse; ideoque Floræ nostræ munera humano generi utilissima. Atque isthæc perpendenti mihi, nihil miri videtur, cur magnum illud Germaniæ decus, Iustum Lipsium dico, cum olim in hortis Langii sui, inter florentissimas areolas, pulvillosque deambularet, cum Catullo nasus, cum Argo oculus

peropta-

peroptarit fieri, quo ſenſus ſuos plenius paſceret, & fonte gaudii, vt ipſe ait, liquidiſſimæque voluptatis uberius perfunderet. Vſque adeo nitela illa & ſuavitas, variorumque odorum pigmenta, excellentiſſimum virum demulcebant, & ad hauriendum plenum illorum ſenſum, communia illa ordinariaque organa, minime ſufficere, cum illo amiciſſimo ſuo jocaretur. At enim licet hortorum illæ gratiæ & Veneres, ſuis adeo blanditiis hominem capiant occupentque; attamen eundem etiam fragilitatis ſuæ ac humanæ viciſſitudinis, inſigniter commonefaciunt: Vnde patientiſſimus Iob, cum illum omni mobiliorem Eurypo inſtabilioremque ſuis coloribus depingendum ſumpſiſſet, inter alia lineamenta, Qui quaſi flos, *inquit,* egreditur & conteritur. *Nil uti dictum Flore præſtantius; ſed nec decore illius inconſtantius quicquam ac brevius: Videas illum hodie ex gemma ſua caliculoque proſilientem, protendentem fulgurantes malleolos, flammam ſuam, ſuum aurum ac purpuram, aut quam neſcio concinnam miſcellam explicantem diffundentemque, qui ſequenti mox, immo eo ipſo quo oritur die totus emarcuerit. Verè Poëtarum Princeps:*

Mirabar celerem fugitivâ ætate rapinam,
Et cum naſcuntur conſenuiſſe roſas.

Cui non diſſimile eſt, quod Latinus Callimachus canebat:

Vidi ego odorati victura roſaria Peſti
Sub matutino cocta jacere noto.

Viva plane humani funeris Icon illa eſt; unico ſæpe momento velut gramen

gramen falce demessum exarescimus ac in nihilum abimus. Quam multos in medio fortunæ ac gloriæ cursu, magna molientes disponentesque, mors ne cogitata quidem invadit & sternit; facitque ut qui animos spe immodicâ in annos longissimos extendebant, in ipso conceptæ spei limine, ex vita veluti exturbentur, tanto graviori doloris sensu, quanto arctioribus Fortunæ vinculis mundo erant connexi: cujus quidem miseriæ nostræ lugubria, sed quotidiana se nobis vel invitis, exempla ingerunt. Sed hic querimoniarum locus non est; quod si tamen ad Floris aspectum carptumque & hoc meminisse ruminareque intimius non piguerit; magno ille ipse utilissimoque nobis, non ad prædicandam divinam gloriam tantum, sed & ad vicissitudinem nostram cognoscendam, nosque ad illud fatale momentum muniendos, erit documento. Portentosa illa naturæ miracula, quos toties compellavi Flores, materies & objecta sunt, circa quæ omnis Floræ nostræ industria desudat, omni illa contentione ad intimiorem illorum investigationem animum applicat; nullis laboribus parcens; quo continuâ indagatione speculationeque, arcana illa perspiciat penitius, ac quam fieri potest recludat enucleatissime: adeoque in hoc tota est ut veluti digito monstret, quomodo novi & invisi antea Flores, in lucis hocce Theatrum produci possint, quomodo fœcundanda, ad fœtum hunc proferendum terra uberius; qualiter thalami vel pulvini, quibus plantulæ insternuntur, adornandi instruendique, quomodo sepimentis, ut omnes injuriæ arceantur, includendi; nec omnino prætermittit aliquid, quod ad eorum culturam, incrementum,

crementum, ornatum, conservationem, variegationem, multiplicationemque attinere ullo modo posse videatur.

Verum enim vero, licet plures eximii ac excellentis ingenii viri, illecebris floridæ illius Nymphæ irretiti, totos illi se impenderint; nemo tamen visus qui mollius illam unquam habuerit, nemo qui arctius illam complexus fuerit, nemo qui majori cultu & observantia ipsi litarit, quam Io. Baptista Ferrarius. S. I. vir exquisiti ingenii & profundæ eruditionis. Ille peculiari quodam genii & naturæ ductu, ausuque prorsus intentato, illam ex Magnatum hortis, ubi Veneres & eximiæ illius dotes à pauciſsimis visebantur, primus in theatrum hoc produxit, & Romanâ convestitam prætextâ, toti mundo lustrandam ac æstimandam objecit. Ille ex plebejorum viridariolis, ubi sæpiuscule Endromidis soloce tecta, velut ingloria oberrabat, primus in scenam protraxit ac rallâ donatam, illustriorem multo pulchrioremque nobis exhibuit. Ille rudiuscule hortulanorum dictioni, cui nonnihil adsueverat, omnem exemit balbutiem, ac tantam sermonis gratiam & nitorem instillavit, ut jam magniloquo innixa cothurno, ipsum Phœbum ipsasque Musas cum Charitibus in certamen provocare, non vereatur. Cum hac jam elegantia ac veluti calamistris quibusdam se exornatam à Doctore suo Ferrario, ad invidiam usque Flora nostra animadverteret; ardentiſsimo Germaniæ revisendæ desiderio cœpit æstuare: habuerat & in illa quidem Pestanos hortos suos, cultiſsimaque Rhodonia; sed tunc quidem tumultuosæ sese bellorum tempestati

subducens, & ipsa cum faustis omnibus Numinibus in exilium emigrarat. Iam tandem ergo redux sperabat, quietiora felicioraque omnia: sed ecce illa vixdum subingressa, invenit horrore omnia & confusione plenissima. Nihil in illa præter urbium ruinas, agrorum vastationes, phana combusta, erutas aras, effusum sanguinem, cædes, rapinas, stupra, disciplinas extinctas, divini Numinis contemptum &c. conspexit: Præterea ubi quondam illius extabant delitiæ, ornamenta, ac amœnissima Nymphæa, ibi nil jam nisi deserta ac inviæ solitudines, immo sepulchreta quædam ac tristia busta; ac in ipsissimis locis, ubi excellentissimas olim plantas adolescentes, suo illa sinu foverat, occurrebant superstantes saxis minacibus aggeres; alibi præcipitati defendendis mœnibus scopuli; alibi trunci ac prominentes cippi, & corbes rudi sabulo trementes, juxtaque machinæ, per obliquas rupes, tonitrua ac fulmina vibrantes, omniaque alia quæ in humani generis exterminium, ingeniosa at certè crudelis solertia excogitavit. Publica nempe calamitas, quæ universam fœdè vastavit Germaniam, infausto astroboliſmo illius etiam viridariis hanc adflaverat infœlicitatem: & vel æternâ quadam oblivione sepeliverat, jactis super illa in altum molibus; aut truculentius depopulatis, quam unquam à Græcis factum Campis ubi Troia fuit. *Talem jam Flora nostra conspicata Germaniæ statum, horrendamque in ea passim desolationem ac vastitiem, omneque propemodum hortorum decus, ad internecionem usque eversum, non sine gemitu*

&

& cordolio, tota cohorruit obriguitque inſperata illa rerum Methamorphoſi veluti ſiderata. Verum labantem animum ad Pacis futuræ ſpem erigens, ad Te primum Illuſtriſſime Princeps, cujus clementiam & favorem jam olim compererat; Immo ad vos omnes, quotquot reducendæ Pacis cauſſa, huc concurriſtis, & magno publicoque Legatorum de plenitudine poteſtatis, munere fungimini, tanquam ad ſalutis ſuæ anchoram confugere coacta fuit: Et jam pedibus veſtris ſupplex advoluta, ut tantis ac tam diuturnis miſeriis, remedium ac finem adferatis, ardentiſſimis lacrumis & ſingultibus efflagitat. Atque hæc quidem Flora noſtra, pro jure ſuo parum forte apud aliquos viriliter; quod ſane illi condonandum, cum non inter ſariſſas & peltas in tentoriis, uti Amazones illæ, ſed in hortorum umbris, ac inter herbarum aromatumque odoramenta nata altaque ſit. Verum enimvero hæ illius qui ritationes lamentaque in ventum minimè ſpargenda, negligendaque ſunt; maximè ſi audiamus univerſum Chriſtianum orbem, quacumque ſe extendit, gemitum planctuſque ſuos, illi jungentem concinentemque. Et vero ille quid ni lugeat? cum miſeriarum ferreo hoc ſæculo tam ſit plenus, ut quemvis hominem hyrcanarum licet tygridum lacte enutritum aut etiam marpeſiâ caute exciſum, facile commoveat percellatque. Horror profecto mihi eſt; illum vel ſolâ cogitatione percurrere, atque utinam ſæpius multi percurreremus, & vel ſolâ meditatione ſummam illam calamitatem delibare non dedignaremur; fieri quippe non poſſet

quin ad commiseratione adamantina etiam pectora rumperentur. Quid enim invenias illic, nisi florentissimas regiones jam totas moribundas, ac novissimas lacrumas, immo sanguinis voces obviis propinantes? Quid nisi longa viduarum suspiria, viduitatem suam ac maritorum cædes jugiter deplorantium? Quid nisi dispalantes orphanos de parentum, quos truculentus gladius absumpsit, orbitate, anhelis singultibus balbutientes? Quid nisi decrepitos senes, qui dulcissimis pignoribus ac senectutis suæ fulcris, quæ martius furor dissecit, orbati, ad domesticam solitudinem acerbè ingemiscunt? Quid denique nisi innumeros omnis generis ac status homines, qui cum omnibus divitiis paulo antè affluerent, mox Iro pauperiores, omnibus exuti, incertis passim sedibus oberrant & vagantur? Ipsa literarum studia, quibus ad gloriam & æternitatem juventus alitur; si attendas, quantum illa deliquium, quantam ecclypsin passa sunt? Dum scilicet hinc inde desolatæ Academiæ, juventus dissipata dispersaque ac à sapientiæ Lycæis, ad Bellonæ palæstras dilapsa; scientiarum professores neglecti contemptique, atque omnes adeo disciplinæ decora sua, dignitatemque magnam partem amiserunt. Id quod in Religione multo magis venit deplorandum, utpote à qua Populorum temporanea pariter ac æterna fœlicitas dependeat: Quantum porrò illa fecerit faciatque indies decrementum, ignorare nemo, nisi qui cœcutiat, potest. Mars nempe & Religio inimica sibi, invisissima invicem Numina sunt: Hæc Pacem amat; Ille bellum: Hæc concordiâ firmatur; Ille dissidiis pascitur animo-

animorum : Hæc quieta est; gratiosa, ac innocens. Ille contra tumultibus, injuriis ac rapinis gaudet; Ille demum sanguinem fundit, sanguinem lambit. Apud hanc non homicidii solum nefas, sed vel minima alicui illata læsio, scelerata est : Illo ergo jam classicum canente & totam suis ruinis miscente Germaniam, quid mirum si excedere inde Religio & exesse sensim omnino compellatur ? Atque in hunc quidem cataclysmum Christianus Orbis dejectus est, quem qui intimius inspexerit, modo hominem non omnino exuerit, non potest non toto sensu illi condolescere : metuendumque omnino est, ne si præfracta ac saxea pectora nostra, ad tanta proximorum mala non se sinant emolliri, occultâ quadam fati destinatione, eidem Fortunæ reliqui præparemur. Quod quam facile factu sit, cogitare horret animus, cum jam armorum dissidiis dubio adhuc exitu gliscentibus, belli nervo hinc inde destituti, fracti animis, terris exhaustis, utinam non & divinæ iræ vindictæque ob crudelitatem obnoxii, omnium etiam inferiorum patemus insidiis; aut certe ulciscente magni Numinis manu, timendum sit, ne Christianos Proceres tamdiu secum sinat collidi, donec in eandem utrique corruant devolvanturque perniciem, quod in bellis civilibus, nihil esse insolens, tum diversorum regnorum eversiones, tum vero Orientale Imperium, formidando nos anterioribus sæculis commonefecit exemplo. Sed meliora superi : Interea quando idem jam hostis crudelitate ac rabiè præceps in campum processit, ac ingentes ex omnium gentium colluvione commixtos post se trahit exercitus, an non justissimæ formidini

locus est? Nulli equidem dubium esse debet, Illustrissimi Legati, quin intentio vestra, ad hasce quas jam dixi afflictiones exterminandas, illaque Reipublicæ Christianæ vulnera sananda, & impendentia discrimina avertenda, longè optima sit: Est tamen justè quod non nemo possit subvereri, ne alicunde exulce ratissimo hoc rerum statu emerget aliquid quod interturbare illam, ac in transversum agere, aut à recto tramite detorquere forte nonnihil queat: Et quid ni hoc subvereamur? Cum videamus Rationem status, in injustitia ut plurimum fundatam, dominandi libidinem, titulorum aucupia, vanæ gloriæ fumos, sacram auri famem, vindictæ studium, aliaque similium scelerum portenta, quæ fœcundissimum quoddam odiorum seminarium sunt, firmiores apud multos fixisse radices, quam ut evelli se facile patiantur. Nec etiam dubitandum sit, illum Sathanæ Angelum, cui datum est Pacem de terra tollere, qui pestilentissimo halitu suo, totum hunc ignem excitavit, officio suo minime defuturum, novasque furias semper, veluti quædam locustarum examina, ex ipsis Acherontis claustris, in superiorem Orbem hunc emissurum. Et sane ille me metus eò acrius incessit, quod hoc ipso, quo hæc commentabar tempore, quo plurimus de Turcorum, in ditionibus Cæsareæ Majestatis, ac Reipublicæ Venetæ progressibus, rumor est, vix ullibi de repellendis illis, vel in conciliis deliberatio, vel in castris expeditio suscipitur. Oportebat sanè ad primum clamorem versâ fronte, ac versis clypeis, recta in hostem Christiani sanguinis sitientissimum duxisse, & ad restinguendam flammam

illam

illam, quæ universæ Europæ, qua adhuc parte Christiana est, incendium minatur, nullo alio exspectato classico concurrisse; idque tum, ut juxta Scipionis, Hannibalis, aliorumque præstantissimorum Ducum polemicam Legem, in hostico bellum gereremus; tum ut innumeros Christianos, in nostri, ac Imperii Turcici collimitio, veluti agnos in Luporum faucibus palpitantes, tempestivè eueremus. At ecce contraria cuncta, itum potius est in alia omnia, nihil factum minus, dum illi in æternam servitutem, morte duriorem rapiuntur, respectantque nos trementes, ac sublatis vocibus ac manibus nostrum implorant auxilium; Nos ad illorum clamorem & gemitus surdi, nostras novo furore terras invadimus; inferimusque hostilia signa, in intima Germaniæ viscera; haud aliter, quam si Turco fugitivi terga jam daremus, aut vero Christianorum sanguine, quem suo Christus redemit, suavius pasceremur. Tauri secum in campis dum præliantur, ubi venientem à longe lupum conspexerint, mox animis coalescunt, in agmen coëunt, ac veluti pacto fœdere in communem hostem cornua viresque expediunt: Nostris cervicibus hostis imminet, isque omni lupo ac tigride truculentior; & nos ipsis belluis immaniores ac magis inconsulti, neglecto illo, in nos bellare, laniare invicem, ac in viscera nostra crudeles esse pergimus. Et quod non quibusvis lacrumis sed præsudato sanguine deplorandum est, non Christi sed Sathanæ potissimum, hisce tumultibus, acta res fuit, non ad Christi Domini gloriam statuendam promovendamque,

sed

Sed ad deprimendam illam, ac in totum abolendam, omnis ille furor vergit; dum non quarumlibet hæresium tantum erroribus, sed propudiosæ Mahometis sectæ, imo merissimo Atheismo via panditur; quod licet sub specioso Religionis titulo, tota hæc agatur tragœdia, facile oculatiores & animadvertunt & gemunt. Sed mirabimur ipsi aliquando cæcitatem nostram, & pudenda hæc consilia, sera pœnitudine damnabimus; utinam non tunc, cum, ut receptui canatur, locus non erit. Meminisse jam vos oportet, Illustrissimi Legati, Vos à supremo illo Numine ad pacificandam Germaniam in amplissimum hunc sapientissimumque Senatum convocatos esse, vos in urbem hanc veluti communem totius Europæ Curiam, omnium Principum auspiciis coiisse, vos eâ sapientia ac virtute præditos judicatos, qui tantum negotium, quale majus orbis non vidit, conficere valeatis, in vos omnium oculi, manus ac spes erectæ; videte ne tantæ omnium de vobis opinioni aliqua ex parte defuisse videamini. Quod si porro minora hæc aliquibus videantur; nec ferrea illorum pectora hisce sese rationibus sinant expugnari; utinam saltem, vel in illud extremum mortalis vitæ punctum, quo singulorum dicta, facta, cogitataque ad Tribunal vocanda erunt, & singularis de hoc ipso tractato negotio, quæstio subeunda, oculos dirigerent; utinam ille Æternitatis sive pœnæ sive gloriæ decretorius dies, in quo nemo mimum aget, nemo histrioniam exercebit, sed levato velo res suas tractabunt singuli; utinam inquam, ille crebrius mentibus oberraret, ac animos fodicaret acrius; certe gemitus illi ac

lamenta

lamenta ſubditorum, ac illa impendens ruina in cor profundius deſcenderent, illæque deteſtandæ Pacis protelationes, ac repullulantia ſubinde novorum motuum, veluti hydræ infernalis capita, facilius abrumperentur. Credite mihi, Illuſtr: Legati, in illa fatali hora, ad quam nec opinantes, magnis paſſibus contenditis, magnum vobis ab hac ipſa re, bene ſeu male tractata, vel in ſpem vel in formidinem, additum iri momentum. In veſtris jam manibus de omnibus bene vel male merendi luculentiſſima eſt occaſio; à vobis omnium uti ſalus, ita & perditio dependet; & quemadmodum omnibus, ſi quantum in Vobis eſt Pacem reducatis, eſtis profuturi; ita omnibus niſi reducatis, nocituri. Itaque ampliſſima utramque in partem vobis præparatur retributio. Quanto tunc ſatius fuerit Chriſtianam Religionem, ac pietatem toto pectore promoviſſe, ac quoniam à Pace publica ſuum illa vigorem ſortitur, ad illam Reges & Principes omnibus modis inſtigaſſe; quam jam ruenti illi tam oſcitanter & languidè ſe oppoſuiſſe, aut etiam ſuſque deque illam habuiſſe, tantum ut Principum æraria & poſſeßiones, per fas & nefas, per pauperum mortes & ſanguinem augerentur? Quanto ſatius tum fuerit abolevïſſe jam, ac æterna oblivione omnes ſepeliviſſe injurias, quam tam obſtinato furore, earum incubuiſſe vindictæ, adeoque ſecum innumeros eoſque nihil meritos in communem, eamque irreparabilem rapuiſſe calamitatem? Quanto tum ſatius fuerit condoluiſſe oppreßis, iiſque opem præſtitiſſe, quàm obſurdeſcere ad lamentationes illorum ſingultuſque, ac lacrumantibus illis

* * *

gemen-

gementibusque omnia pro libidine administrasse. Estote certi, afflictorum lacrumas mox suam exuere naturam, ac non ut aliæ aquæ, quæ pondere suo deorsum ad centrum subsidunt, defluere; sed transcendere cœlos penetrareque, nisi Magnatum clementia ac miseratione intercipiantur. Horresco tremendam illam Omnipotentis, paricidam Cain compellentem, vocem; Vox sanguinis fratris tui Abel, de terra clamat ad me. *Vnius illius innocens sanguis ad vindicandum fratricidium illud, de cœlesti throno in terram Deum accivit; quid futurum jam credimus sanguine tot millium, imo verò myriadum, sub throno Dei ultionem assidue exigente poscenteque; extra omnem quippe dubitationem, eorum quos civile bellum hoc oppressit, numerum iniri difficulter posse; quos quidem, etsi Principes armis suis non occiderunt, certe occidioni cum possent & deberent, non exemerunt. Et quidem jam Reges & Principes meliori sydere afflati, subditorum calamitatibus ac miseriis victi, ac congemiscentes, hanc non tam militiam, quam prædandi latrocinandique licentiam toti aversantur, ac intimis animis (quid enim de tantis apparatibus sperare fas est aliud?) Pacem desiderant, Pacem quærunt, Pacem rogant, ac ad reparandam illam stabiliendamque sibi ac in vices suas ipsi vos succenturiarunt: Iam vobis omnis exerenda industria, omnes animi vires in auxilium vocandæ, omnes nervi intendendi, ut negotium hocce, quod auspice Deo cœptum est, eodem bene dirigente ad optatum finem procurrat. Sat Christiani sanguinis fusum est, sat Marti & Bellonæ litatum, sat publicis privatisque*

vatisque cladibus vacatum. Agite jam quod agitis, concussum Reipublicæ statum erigite, seponite simultates, & quidquid remoram pulcris vestris conatibus objicere potest, ab hoc ut concilio facessat, jubete. Providete ne occasio hæc è manibus vestris, nunquam forte reditura, elabatur: Vnicus ille scopus omnium consiliorum, actionum, intentionumque vestrarum esto, ut Regibus & Principibus Christianis stabilis concordia, subditis quies & pax, universæ Europæ tranquillitas & salus publica adferatur. Hoc si consecuti fuerimus, quod post tot & tam diuturna vota jam tandem cœpit sperari, vos omnes festiviſsimo plausu ac gratulatione prosequemur: Vos qui in hoc negotio primas egistis, veluti sacra quædam publicæ salutis Anathemata, imo veluti Numina cœlo delapsa laudabimus, venerabimur, ac quotquot movere calamum poterimus, panegyricos scribemus, vestræ sapientiæ & virtutis insignia per omnem mundum portaturos. Quod si vero factum secus fuerit, contingatque vos excedere hinc rebus minimè pacatis, quin forte magis intricatis confusisque, quas tota forte posteritas non evolvat; næ ille dies niger ac nefastus nobis æternùm erit, sequetur vos omnium luctus & comploratio, comitabuntur vos devotiones & execrationes, orieturque omnium Ordinum publica desperatio, quin & ipsi lares vestri, quos utique fœdi hujus incendii fœtor etiam adflavit, pro lauro & oliva, quam in occursum laturi erant, indignabundi tristes ac pullati vos excipient.

Atq; ut de crudeliſsimo tyranno illo, quod obiter ante attigeram, Tur-

cum dico, qui ex Oriente, Occidenti jam incumbit, aliquid addam, censeo unicum potissimumque medium, quo Ottomannicæ potentiæ, iri obviam possit, esse hanc, quam toties inculco Pacem ac civilem Concordiam; hâc in tempore jam firmiter constanterque stabilitâ, sat omnino virium, non ad vindicandam solum ab illo Germaniam, sed & ipsam Græciam Terramque Sanctam recuperandam supererit; sat suggeret ipse Christianorum Exercituum Archistratægus Christus, ubi viderit ad tam excellentes ac heroicos actus, sui honoris studio, animum nos erexisse. Vidit jam primum Bellua illa ac risit, totam Germaniam nulla Religionis, nulla juris, nulla sanguinis, nulla naturæ ipsius habita ratione, ab ipsis Germanis fœdè concidi, diripi, vastari, everti, & quod de Romana olim Republica Lucanus canebat:

In sua victrici conversam vulnera ferro.

Vidit Christianum populum, quem indissolubili Caritatis nexu, conglutinatum esse oportuit, per occasiones levissimas exardescere in invicem, inter se committi, ac inhumaniùs & diriùs quàm ipsæ feræ facerent, confligere. Vidit à Christianis Christianos invadi, laniari, mactari; in ipsis præliis rubeam & albam crucem concurrere, in utraque acie invocari Christum, Christum contra Christum armari, ac in auxilium acciri, utrobique vexillum crucis emicare, ac illud Salutis humanæ trophæum, quo nihil esse debebat sanctius, in homi-

cidii

cidii signum ac crudelitatis & lanienæ tesseram converti. Vidit inquam hæc ille jam pridem, & prô pudor etiamnum videt, & fœdissimis in nos bacchatur convitiis & sarcasmis. At dum nos pertinacissimis odiis belligeramur, ac nostris armis, veluti in mutuas cædes auctorati, nos impetimus conficimusque; ecce tibi commodissimam ille, quam pridem aucupabatur, oportunitatem nactus, Illustrissimæ Venetorum Reipublicæ terra marique atrox bellum indixit intulitque, & jam Cretæ Insulæ nobilissimæ olim populosissimæque, nunc unico eâ parte Christiani orbis propugnaculo totus incubat, nostris scilicet dissensionibus ac injuriis medius interveniens, summoque illas, incommodo nostro, summo commodo suo dirempturus. Sed, ut voto suo potiatur, quod Deus averruncet; an quisquam tam stolidus est, ut putet illa licet præpingui offa, superbissimum illum avarissimumque Cerberum placatum soporatumque iri? Credite mihi, Illustr. Legati, vel omnium politicarum tempestatum prognostica me fallunt, non bello hoc, quod tot jam annos magno molimine adornat, sola Creta petitur; prolixius ille spes suas extendit; antiquam ac solemne suum obtinet hostis ille, ac dum nos dissidemus invicem, ac inter nos digladiamur, fines ille suos ac pomeria proferre ac dilatare in immensum satagit. Non est contentus ille tot civitatibus, tot provinciis, tot regnis, tot imperiis perfidia & scelere partis; in quorum quarumque occupationibus, nullæ cædes, nullæ rapinæ, nulla incendia cohibita, nullis templis, nullis sacris vel prophanis

nis parcitum; quin imo omnibus in Christi, Dei ac Domini nostri Servatoris, illiusque sanctissimæ Matris honorem, blasphemiæ generibus desævitum; quas res minime vos nescitis, neque vero ullum unquam tempus illarum poterit exterere vestigia. Et nos, Creta oppressa, cujus jam dexter oculus Canea emarcuit, illum conquieturum sperare audemus? Quasi vero illud populorum diluvium, quod ex omni Oriente excivit, ex Dalmatis, Getis, Schytis, Sarmatis, Tartaris, Thracibus &c. quo inundare hunc totum Orbem, se posse sibi persuadet, ad Cretæ aggeres littoraque stiturus cohibituruſque sit; non est genius ille Tyranno isti, sed nec ulla finitimorum submissione, nullo obsequio, nullis donariis placatur, nullis cupiditas illius terminis circumscribitur, deque illius avaritia verissimum est, quod alterius datum fuit gloriæ.

Unus Pellæo juveni non sufficit Orbis.

Quin ubi totum abliguriverit, hiare non desinet, cruenta quippe belluæ istius, ac implacabilis in nos ira est, ac internecinum odium, quod non restinguetur, nisi extremam sanguinis guttam hauserit. Nec est quod de tam diuturnâ nobis Pace blandiamur, non Pax illa fuit, sed belli gravioris præparatio quædam: unus illi in nos & pacis & belli tempore animus est; quem furorem tunc meditabatur, quas colligebat iras, jam effundit, erumpetque brevi in incendium altius, collecta aliquantisper veluti in abdito flamma. Vbi ex illis Græciæ ac maris mediterranei claustris emerserit, paucasque insulas, quibus hactenus velut

frœnis

frœnis quibuſdam lupatiſque coërcebatur, ſubjugarit, æquor liberum nactus. Italiam irrumpet, ac ipſum Occidentalis Imperii caput Romam tentabit, quam in victoriæ ſibi præmium deſtinavit: atque ſi Italiam inteſtinis labefactatum diſſidiis offendat, Vrbe ipsâ ſe potiri ex facili poſſe, utinam vanè, auguratur; quæ illum, niſi fallat opinio, cum ipſa Romani Imperii arce, omnes illius Principes ſub jugum ſuum venturos, ſuumque fruſtra detrectaturos dominatum confidit: haud ſanè inconvenienter ab illo magni Ducis conſilio, qui cum Iulium Cæſarem ad proſequendum civile bellum ſtimularet, hoc eodem illum inflammabat argumento, ſcilicet,

——————— facili ſi prælia pauca
Geſſeris eventu, tibi Roma ſubegerit Orbem.

Nec fallent illum profecto cogitationes illæ ſuæ, ſi conatus illius ac machinationes otioſi conſpexerimus, illiuſque violentiæ mox nos non oppoſuerimus; tanta nempe illius potentia eſt, tanta auri argentique vis, tanta claſſium moliendarum occaſio, tanta commeatuum oportunitas & copia; ut proinde merito timendum videatur, Illuſt. Reip. Venetæ, quam ſibi primo debellandam ſuſcepit, vires ad ſuſtinendum impetum illum, rabiemque obtundendam haud fore ſufficientes; quod & Ipſa, utpote hoſtilium rationum, machinationum ac virium callentiſſima, minimè diſſimulat, dum veſtram, Illuſtr. Principes Illa opem indeſinenter efflagitat, veſtra implorat & ſolicitat auxilia, eaque ſibi,

dum

dum hostis, causæ, periculorumque communium momenta secum expendit, minimè persuadet denegatum iri. Sed festinata illa ac præpropera ut sint, belli illius exigit magnitudo: si alibi unquam, quam maxime hic maturandum, nè tergiversando rei gerendæ occasio negligatur, atque idem eveniat quod sæpiusculè evenisse olim compertum est, videlicet ut hoc ipsum, quod ex facili & sine magno labore ac impensis, in rerum initiis confici potuisset, postea immensos conatus eluserit, neque ullâ arte aut pecunia potuerit resarciri. Certum omnino est, Tyrannum illum ab inchoato bello minime cessaturum, nisi aut animi sui conceptum cumulatissime expleverit; aut illius furor & pestifera conamina concordibus Christianorum armis, mox in radice fuerint excisa. Quod si ergo patrios lares intemeratos conservare; si prosilientes ex proxima flamma scintillas à tectis vestris arcere; si funestum ignem, ne latius serpat, ac inextinguibiles flammarum exsuscitet vortices, cohibere animus est; Illis rabie Turcica vehementer jam lacessitis præproperè subvenite, ac sine mora manus porrigite auxiliatrices; nec unquam permittite ut laudabiles eorum conatus ad barbarorum insultus reprimendos, mox in principio collabascant ac infringantur. Sed vereor ne multis narrare fabulam videar; haud enim omnibus afflictus Reipublicæ illius status, ac concussio & pericula æquè cordi sunt: imo erunt paucissimi forsan, qui Cretæ pœne agonizanti animitus ac sincerè compatiantur, aut eidem justas suppetias ferre intendant.

Quin

Quin potius muſitari apud nonnullos audio: Quid nobis cum Venetis? habeat Reſpublica illa res ſibi ſuas; ingenti illa intervallo à nobis diſcreta eſt; ſatis nobis eſt, ſi nos à periculo longius ſubmoti, ac res noſtræ in ſolido locatæ ſint. Periculoſiſſimus plane error ille eſt, ac quamplurimis ſcaturigo incurabilis ruinæ: Meminiſſe decebat potius, omnes Chriſtianos Principes, unius corporis eſſe membra; ideoque omnium vires, unius corporis vires eſſe: quemadmodum ergo occultâ quadam naturæ inſpiratione, ac conſenſu in corpore phyſico, arctiſſimè ſibi omnes partes copulantur, ſeſeque adjuvant mutuo & tutantur; ita & in hoc Chriſtiano politico, ut fiat omnino neceſſarium eſſe. Quod ſi porrò hoc intermiſſum fuerit, contingatque deſeri alterum ab altero, divelli membra ab invicem, vireſque ſenſim ac per partes carpi & accidi, omne tandem corpus ut infirmum ac enerve reddatur, immo plane corruat futurum eſt, dabiturque fortaſſe, aliquando præmii loco his, qui nocentiſſimis conſiliis & affectibus ſuis, haſce auxiliorum protelationes, vel etiam omnimodas denegationes cauſantur, illaque ratione in ſumma pericula extremamque perniciem Rem Chriſtianam præcipitant, ut quemadmodum Vlyſſes à Polyphemo, ita illi à Tyranno Turcico poſtremi devorentur.

Quando olim Byſantio fatale illud imminebat excidium, Principes contermini rem alienam putabant, periculum minimè ſe concernere; hinc Conſtantino Palæologo, quo communem Chriſtiani dogmatis hoſtem ab Vrbe propulſaret, quinquaginta millium aureorum ſubſi-

dium denegarunt; verum urbe illa expugnata, deinde Trapezuntino Imperio, Lesbo, Peloponeso, Mysia, Epiro, Illyrico, Eubœa, & pluribus aliis ampliſsimis regionibus devictis, ac in lamentabilem Turcorum ſervitutem redactis; (quarum minima forte, centies millenis millibus non imprudenter redimeretur) re ipſa experti ſunt, quantam ſtolidiſsima illa ſecuritate ſua (quæ res ſecundas plerumque ſequitur, adverſas præcedit, dubias obruit) Rebus Chriſtianis intuliſſent afflictionem & cladem.

Quondam cum Pannoniæ Rex Matthias Corvinus, Germanorum & vicinorum Principum auxilia adverſus barbariem Turcicam, fruſtra itidem imploraſſet; futuras Europæ calamitates quaſi divinando prævidens; cum ſtomacho exclamaſſe perhibetur, dolere ſe Europææ gentis Chriſtianæ vicem, ſe vivo, Pannoniam fore murum, qui crudeliſsimos Turcorum inſultus ab illa arceret: ſe verò ex humanis ſublato, Germaniam & conterminos populos, ingratitudinis & ignaviæ ſuæ acerbas daturos pœnas. Nec vero vanum Regis illud fuit vaticinium; murus ſiquidem ille cum illo ipſo prô dolor jam dudum deſtructus, foreſque ovilis confractæ ſunt; hinc & lupus inter ovium latera graſſatur, inſultat cædibus, furit, conculcat & prophanat omnia; formidandaque impoſterum, ruptis ſemel repagulis lupoque in ipſas caulas jam immiſſo, multo graviora. Quò & facit vaticinium illud Lactantii Firmiani, lib. 7. de divino præmio cap. 15. quod ne parem cum illo Regis Matthiæ ſortiatur exitum, Deum

ter

ter Optim: Max: ſupplex & congeniculans oro. Romanum nomen, *inquit ille*, quo nunc regitur Orbis (quanquam horret animus dicere, dicendum tamen eſt quia futurum eſt) tolletur de terra; & in Aſiam Imperium revertetur, ac rurſus Oriens dominabitur atque Occidens ſerviet. *Cui quidem illius de Romani nominis exterminio, Imperiique ex Occidente in Orientem tranſlatione, tum etiam de pudenda illius, quod omnibus ante gentibus dominabatur ſervitute, prædictioni; quam ſecreto quodam metu impulſum, effudiſſe ſe confitetur, quid quantumque dandum ſit alii viderint; mihi ſane maxime, ſi omnium præſentium rerum ſtatuumque periſtaſes, æqua juxta lance expendam, non levem illa incutiunt terrorem: quemadmodum & Stella illa, caput videlicet Algol ſeu Meduſæ, omnium in cœlo ſtellarum funeſtiſſima, quæ duobus anterioribus ſæculis, & quod excurrit, Græciæ & locis illi attiguis, fuit verticalis. Ibi quos portenderit effectus ediderítque, quæ incommoda pepererit, in propatulo eſt: Secutæ mox Turcicarum copiarum invaſiones, publicæ devaſtationes & privatæ Religionis & dominii mutationes, privatio libertatis, jugum ſervitutis & innumeræ aliæ calamitates, quas premere ſilentio magis, ſi fas eſſet, quàm meminiſſe hic allubeſceret. Illa ipſa Stella jam incipit culminare, ut Mathematici loquuntur, & eſſe verticalis principio Regni Neapolitani, & Siciliæ; quid minetur,*

quid importatura sit, summus ille Diespiter novit. Astra, fateor non necessitant semper, ut plurimum tamen inclinant : Hinc augurium quod mihi de Italia in tristi mente est, Illa non parum adauget : Vide si placet Andr : Argolum Mathematicum Patavinum insignem in Pandosio Sphærico cap. 63. pag. 291.

Rebus ergo nostris adeo in arcto, ac quasi in supremo periculorum apice, velutique quadam crisi positis; ratio, tempus, necessitas, omniaque jura divina & humana postulant, ut tandem aliquando Reges & Principes per Christianum Orbem bellis & simultatibus intestinis positis, contra quosvis Barbarorum hostiles incursus, unanimibus consiliis & viribus in commune concurrant : sed concordia ac syncera animorum unione hic opus est, eaque sane quam maturrima; Solâ illâ, quod reliquum nobis est, servari; solâ illâ quod periit forsan poterit & reparari. Sicut contra post contemptum veræ pietatis (quæ alias instar centri esse debet, quo omnes actionum nostrarum lineæ decurrant) quem cæcitas & securitas, omnium calamitatum mineræ & scaturigines concomitari ut plurimum consuevere : tantorum, quæ recensui, malorum potissimæ caussæ, Christianorum Principum dissidia & dissensiones. Quod & Solimanni Turcorum Imperatoris Legatus Ibrahimus Strozius appositа similitudine innuisse sibi visus est, cum Francofurti Anno 1562. Bavaro, Saxone & Iuliacense, solemni pompa Ferdinandum Cæsarem stipantibus deducentibusque præsens adesset. Monebat tum forte astantium quidam di-

ctum

Etum Legatum, tantos esse Principes illos, ut justum singuli suis opibus exercitum contra Imperatorem suum conscribere & educere valerent, possequeGermaniam plures ejusmodi suppeditare; qui omnes, si concordibus viribus, consiliisque rem aggrederentur, neque Solimannum, neque quempiam ex omnibus mundi Monarchis, eorum potentiæ posse obluctari. Ad quæ Barbarus salse subrisisse fertur & dixisse, se de Germanorum Principum potentia nullatenus dubitare, & ex hoc extimo præsentium apparatu, absentium vires, ex facili posse colligi. At videri sibi facta consiliaque illorum similia bestiæ multorum capitum, quæ acrius agitata sepimentum aliquod perreptare intendat; propter diversa autem capita, diversa foramina quærere cogatur, & ita sepi implicita ulterius progredi præpediatur. Turcorum verò Imperatorem, belluæ unicipiti, & plures post se ductanti caudas esse persimilem, quæ ubi semel capite transitum patefecisset, reliquum corpus cum caudis omnibus facile subsequi & patentem tramitem sine impedimento permeare. Quod utique verissimum esse, ipsius cottidianæ experientiæ, utinam non doceremur magisterio? Et certè deplorandæ illæ, quas apposita hac similitudine Strozius taxabat, Principum Christianorum discordiæ, Turcorum votis imprimis plausibiles, præclaras multoties illis præbuere occasiones, ac insignium non semel illis extitere victoriarum indubitatæ caussæ. Neque aliud attestante Tacito adversus gentes validissimas, Romanis olim unquam utilius obtigit, quam

quod ad propulsandum commune periculum, illæ in commune non consuluissent; hinc dum singulæ pugnabant, universæ subjugabantur. Stringit jam in nos Tyrannus ille fatale ferrum, omnibus ex æquo inimicus, acuit fulgurantes ac falcatos acinaces suos, quibus cervices nostras demetat, adaptat nervos arcubus, quibus virulenta tela in nos jaculetur; omnes Constantinopoli ac per Turciam officinæ, arma parantium polientiumque strepitu ac stridore personant. Excitemus ipsi tandem nos, excutiamus turpissimum veternum, inque defensionem nostram majoribus animis armemur. At quod caput rei esse crebro jam monui; jungendi animi, arma jungenda, concordi ac conferto in illum agmine movendum: Qui omnium jam fortunas, imo & omnium sanguinem voracissima spe absorpsit, communi consilio ac vi propulsandus. Quod si seorsim singuli pugnaturi sunt, idque non antequam à Tyranno invadantur, sensim tandem omnes æterno & nunquam apud posteros excusando dedecore vincemur. Ergo conglobati & animis & viris in illum irruamus. nulla hîc ferocia nimia est. At inter Christianos Christianorumque Principes, sit amicitia constans, sit firma pax; & inviolabile amicitiæ fœdus, vero ac syncero amore, veluti adamantino quodam vinculo Christiana pectora connectantur: Detestanda plane arma, quæ sempiternum ferocire intendunt, & novarum litium semina in progressu spargunt: Nullæ dissensiones tam justæ sunt, quin injustæ, si æternæ fiant. Qui alio fine bellum gerunt, quam propter

pter Pacem, truculenti ſunt, immo ferarum omnium truculentiſſimi.

Sed neque vos, quibus fortuna aliquandiu ſerenior abblandita fuit, Pacem averſemini: Illa vobis tantò jam decora magis, quantò minus videtur neceſſaria, quin & rebus adhuc utcunque integris, erit quam maxime tuta? Et licet ad votum, imo etiam ſupra votum forte hactenus ſecunda vobis omnia obtigerint, ne fidite, ne intumeſcite: Multos in ipſo victoriæ curſu, propter armorum ſuorum fœlicitatem, opinione ſua humanam ſortem ſupergreſſos, ſubitanea aliqua ac minimè proviſa tempeſtas dejecit contuditque. Periculoſiſſima omnium felicitatis intemperantia eſt: Sol, arenæ, ventus, aër, aliaque etiam minima, maximorum ſæpe exercituum fata commutarunt: Poteſt ſubitus aliquis turbo, undecunque tandem, aut certè ab ipſo cœlo, ad tantum ſcelerum cumulum, quæ bella ipſa comitari ferè ſemper ſolent, indignante, immiſſus involvere omnia, evertere, turbare, abſorbere. Ad tempus quandoque violenta illa inhumanaque conſilia fluunt proſperè, ac mox in pejus ipſa mole ſua ruunt, ac ſublapſa retrò interitum accelerant. Quin ipſa illa Fortuna nihil fugacius, nihil levius, ſæpè dum ridet iraſcitur; dum blanditur fallit; vitrea planè eſt, dum ſplendet maximè, ſæpè rumpitur. Tempus jam tandem ut arma ponatis Chriſtianum ſanguinem ſtillantia; ut veniatis in commune fœdus, ut pacem cum vicinis ſanciatis. Si Germani non eſtis, at eſſe certè debetis

Chri-

Christiani, quorum regia ac summa lex est Dei & proximi dilectio: Ne pergite insectari dubiam victoriam, ne pergite Christi membra lacerare, ac ex oppressione aliorum vel aurum argentumve, vel quod magnum, nescio nomen, aucupari: Misera plane ac infelicia trophæa illa, quæ de trucidatis civibus excitantur: Sordidum omne aurum est, quod miserorum lacrumis & cruore destillatur: Nec magnificum ac diuturnum, per sanguinem ad alienas possessiones descendere.

At nos quos jam Fortuna novercans sequius habuit, ne cadite animis, durate illos, erigiteque spe meliorum; in nullius illa contubernium semper mansura concessit; Servat illa sibi jus suum, quod est ad minimum auræ flatum pro libitu mutari; sicut raris se prosperam semper; ita raris semper exhibuit adversam. Ferendum jam vobis est, quod aliter Deus esse noluit, & cum ipso Deo constanti pede gradiendum. Bellorum eventus ancipites semper deprehensi, immo sæpe fatales Imperiorum periodi fuerunt: Itaque ruinarum vestrarum reliquias, bellorum incendio præproperè subtrahite, ne ultimum fortunæ vestræ codicillum, (ut à Sybilla Tarquinius libros) duplicato pretio redimere cogamini: Quæ vobis belli injuriâ periere, vix reddi possunt, servabitis ea quæ Pacis beneficio si non ampliora, magis saltem quieta & secura esse possunt. Certè Pax bello longè præferenda, ac nisi humanitatis sensum omnino deposuerimus fateri cogimur, multis illam parasangis anteponendam esse. Tutius igitur Vobis meliusque erit, furori temporum & necessitati

sitati præsenti nonnihil cedere, illataſque per vim contumelias & damna, Christiana fortitudine potius, quàm ut ruina ulteriori illa eatis ultum, devorare: Rependet dies, rependet Deus; ac illa ipsa Pax, ad quam tantopere omnes instigamus, ea quæ bellorum iniquitatibus subtracta sunt, copioso cum fœnore aliquando refundet.

Sed ut ad finem veniam, ad Te revertor, Illustr. Princeps, Tibique, cujus potißimum Musæum hanc Ferrarii Floram mihi conspiciendam primo præbuit, cujusque singulari favore potiri illâ perfruique intimius conceſſum fuit, facti mei rationem reddo: Certè ubi in manus meas devenit, summè arridebat genio meo, illicoque suis adeò me incantabat illecebris, ut illam è manibus, priusquam minutatim excussissem vix deposuerim. Igitur cum pauciſßimis, immo vix ullis in Germania illa esset cognita, indignum ratus sum, si apud me veluti sub modio ingloria diutius delitesceret; hinc ut decor illius ac nitela longius diffunderetur pateretque, secundâ curâ illam qualitercunque prætextatam in scenam produxi, idque sub Illustrißimi Nominis Tui tutela potißimum ac patrocinio; id quod jure Ipsa suo à me postulabat. Admittes ergo serenâ fronte in aulam Tuam, clientelamque, redeuntem, minimeque Illam, de annatâ familiæ tuæ clementiâ sibi applaudentem aversaberis. Pauci jam anni sunt, quando ex Italia in Germaniam redux Illam Romani itineris sociam Tibi asciviſti, ac non inhonorum in instructißima Bibliotheca Tua forulum assignasti: hunc jam aliquot mensibus de-

*****

sertum

sertum, jure postliminio repetitum venit. Præterea ubi post longam illam & squalentem calamitatum noctem, desiderata ac tot lacrumis & suspiriis exoratæ Pacis novum jubar, seu Lucifer nobis quidam affulserit: Hortis arci Tuæ Iburgensi attiguis (quorum elegantiam superveniens pronuper ex Aquilone tempestas excussit) restaurandis ac perpoliendis operam omnem sedulo promittit & spondet. Habebis ergo Illam indulgenter, nec sinistrè feres, quod ex Nomine Tuo fulcrum sibi & statumen mutuetur. Mihi porro, Illustrissime Princeps, quare Floram hanc Tibi offerendam judicarem, causa fuit, tum quia ab Illustrissima manu Tua in meum primum domicilium venerat; æquissimum quippe est, ut flumina unde fluunt, revertantur; tum verò singularis Tua compertissimaque Clementia, qua me, ex quo notitiæ primum Tuæ insinuabar, Tuæque Valetudini Medicus adhibebar, faviſti ornastique. Cum ergo extimo signo aliquo ac veluti publico monumento generosos benevolentiæ ac gratiæ Tuæ, quos in me tam liberaliter explicuisti, affectus recognoscere ac profiteri cupiam, nec moram mihi diuturniorem mei in Te animi impetus relinquat. Hinc Ipsam hanc Floram, quæ ad manum primum occurrebat, Tibi offero, submissimeque sisto; & hoc qualecunque redhostimentum ad Illustrissimæ Celsitudinis tuæ tholum venerabundus suspendo. Dignaberis Illam solitè benevolentia Tua excipere, veluti subjectissimi mei in Te cultus testem, aut etiam impensioris observantiæ certissimam obsidem. Erit aliquando, cum bono Deo,

occasio,

occasio, quâ graviori aliqua cura, severioreque & Tua Celsitudine magis digna materia, hunc animum in Te meum luculentius contestatum eam. Dabam MonasterI VVestphaliæ (qui locus solemnissimo isti Pacis universalis tractandæ congressui, à præcipuis Europæ Principibus determinatus est, Anno CIↃ. IↃC. XLVI. *IV. Kalendas Maii.*

SENE-

SENECA

Lib. 1. de Clement. cap. 26.

QVid istud Dii boni, malum est! occidere, sævire, delectari sono catenarum, & civium capita decidere, quocumque ventum est multum sanguinis fundere, aspectu suo terrere & fugare? Quæ alia vita esset, si leones ursique regnarent? si serpentibus in nos, ac noxiosissimo cuique animali daretur potestas? Illa rationis expertia, & à nobis immanitatis crimine damnata, abstinent suis, & tuta est etiam inter feras similitudo: apud homines tantùm ne à necessariis quidem rabies temperat.

INDEX CAPITUM.

LIBRI PRIMI
De
Apparatu hortensi.

Cap. I. *Floriferæ culturæ tradendæ frugi consilium.* pag. 3.
II. *Novæ culturæ novum magisterium.* 12
III. *Hortensis architectura.* 16.
IV. *Excubitor, & Cultor.* 44.
V. *Arma hortensia.* 57.
VI. *Terra floralis.* 73

LIBRI SECUNDI.
De
Florum Notis.

I. *Narcissorum notæ.* 99.
II. *Croci, Colchici, Coronæ imperialis, ac Tuliparum notæ.* 141
III. *Fritillariæ, Iridum, Liliorum, Orchis, atque Ornithogali notæ.* 149.
IV. *Hyacinthorum notæ.* 158
V. *Cyclamini, & floris Indici è violaceo nigricantis notæ.* 167
VI *Anemones notæ.* 173
VII. *Ranunculi notæ.* 181
VIII. *Asphodeli, Pæoniæ, Lilii convallium, & Iucæ Indicæ notæ.* 184
IX. *Byzantinæ Lychnidis, & Americani Trachelii notæ.* 187
X. *Caryophyllorum notæ.* 189
XI. *Granadillæ sive Maracoti notæ.* 190
XII. *Gelsiminorum notæ.* 193
XIII. *Rosarum notæ.* 201
XIV. *Florentium arbuscularum notæ.* 204

LIBRI TERTII.
De
Florum Satu, & Educatione.

I. *Lex floris serendi:* 211
II. *Lex floris servandi.* 243
III. *Contra majusculos hostes hortense bellum.* 257

IV.

IV. *Contra minutos hostes machinæ.* 278
V. *Lex floris propagandi.* 293
VI. *Narcissorum cultura.* 302
VII. *Croci, Colchici, Coronæ imperialis, ac Tuliparum cultura.* 312
VIII. *Fritillariæ, Iridum, Liliorum, Orchis, atque Ornithogali cultura.* 317
IX. *Hyacinthorum cultura.* 319
X. *Cyclamini, & Floris Indici è violaceo nigricantis cultura.* 324
XI. *Anemones cultura.* 327
XII. *Ranunculi cultura.* 339
XIII. *Asphodeli, Pæoniæ, Lilii convallium, & Iucæ Indicæ cultura.* 342
XIV. *Trachelii Americani, Lychnidis Byzantinæ, aliarumque consimilium herbarum cultura.* 344
XV. *Caryophyllorum cultura.* 346
XVI. *Granadillæ cultura.* 351
XVII. *Gelsiminorum cultura.* 352
XVIII. *Rosarum cultura.* 362
XIX. *Floridarum stirpium arboroescentium cultura.* 369
XX. *Aquaticorum florum cultura.* 372
XXI. *Indicæ stirpes in hortis Barberinis.* 375

LIBRI QUARTI.

De Florum Usu, & Admirandis.

I. *Florum structura multiplex.* 395
II. *Florum siccitas vivax, & verisimile mendacium.* 433
III. *Arcana florum cultura.* 441
IV. *Arbitraria florum tempestivitas.* 445
V. *Inducti floribus colores.* 458
VI. *Arte majus Naturæ miraculum.* 468
VII. *Emendati, additique floribus odores.* 503
VIII. *Mutatæ florum formæ.* 506

APPARATUS HORTENSIS LIBER PRIMUS.

Floriferæ culturæ tradendæ frugi consilium.

CAPVT I.

AGE surge anime ex humili, atque adeo ex humo. Desine tandem aliquando prono in hortensem terram vultu vel præternaturam brutum animal, vel ante diem silicernium videri. Parce magnæ matris viscera cultu rustico proscindere, armis agrestibus vulnerare; ne de parentis optimè de te meritæ vulneribus florulentæ purpuræ cruentam voluptatem crudeliter exprimere dicaris. Cælum suspice, ad quod natus, ad quod erecta statura tuendum tenendumque factus es. Immortalia sidera caducis floscu-lis præfer, aut eadem esse cæli flores existimato nostratibus amaranthis diuturniores. Sed frustra

contra torrentem nitimur: fruſtra ingenio reluctamur. Enimvero Antæus ſum, licet gigas non ſim: quòd eximo terrę contactu, cultuque ad cælum vegetior, atque altior aſſurgo: per flores enim ad gemella florum ſidera congruenter molliterq; tranſitur. Quare à floribus afflata mihi benefica mens eſt, ut univerſæ hominum nationi floridam ad cælum viam aperiam, ſive ut floriferi horti ſuaviſſimè laborioſam culturam, quæ recenter nata plurimos quidem cultores induſtrios, nullum tamen adhuc minutioris curæ nacta ſcriptorem eſt, primus edoceam: ne mihi uni ſerere, mihi uni metere arguar. Sic præterea mecum ipſe floridi cultor Lycei philoſophabar, ex ingenuis mortalitatis oblectamentis honeſtius eſſe nullum, quàm quod ex florum cura culturaq; percipitur. Vix enim procreatam, & velut infantem humanitatem hortus voluptatis inter florea incunabula excepit: ut erga flores amorem à vetuſtiſſimis incunabulis traheremus. Ipſum quoq; humanæ felicitatis divinum domicilium peregrino Paradiſi nomine hortum redolet. Quin etiam, cæleſtis amœnitatis adumbratæ ac rudes imagines, terrena viridaria tum veteri, tum recenti ætate principes viros ad ſpecioſam ſui cultionem inhalatæ ſuavitatis illecebra invitarunt. Non eſt cur auribus ingeram recentia exempla, quæ oculis quotidie uſurpamus. Veterum aliqua non ab aſpectu modò, ſed à memoria etiam remotiſſima commemoran-

Florum cultura novum opus.

Homine ingenuo digna.

A veteribus uſurpata.

morando videamus. Verùm ne Romæ, laudum omnium fertiliſſima in urbe, externa decora demiremur, omitto plauſibili invento hortenſia rura civitate donantem, interque flores ſuaviter philoſophari docentem Epicurum: prætereo Reges Adonidem, & Alcinoum regalium inter curarum ſpinas hortorum florido ſtudio beatos, nec tam aculeato inſolicitas punctiones auro, quàm explicato in arridens blandimentum flore coronandos: taceo Reginam Semiramidem in penſilis viridarii præcelſo miraculo, quàm in regiæ ſellæ humiliore faſtigio magis ſuſpiciendam: parco narrare Perſarum Regum ædibus hortos, quos illi Paradiſos vocabant, fuiſſe conjunctos, ut Regibus ipſis florum cura ſemper hæreret: non dico pretioſiſſimę texturæ authorem Attalum à Regni adminiſtratione ad hortuli tranſiſſe culturam, quòd floream purpuram decentiùs, quàm Attalicam veſtem elaboraret: non repeto centies auditam Cyri vocem apud Lacedæmonium legatum Lyſandrum inter infinita regiæ gazę ſpectacula ſeſe conſitorem eſſe unicè gloriantis: relinquo denique aureum Heſperidum pomarium, ne videar aurum illinere mendacio. Una, miraculorum omnium theatrum, Roma olim adoleſcens Reges habuit, qui moderationi populorum hortorum cultu proluderent: ex quorum numero Tarquinius non tam ſuperbus fuit, quin ad hortenſia papavera educanda ſeſe demitteret. Quanquam

Plin. Nat. hiſt. lib. 19. c. 4.

Eſther c. 7. Plutarch. in Artaxerxe. Iul. Poll. lib. 9. c. 3.

Iuſtin. l. 36.

Plin. ibid.

illa messe tyrannicè demessa, innocenti horto indignum, hoc est sanguinarium filio nuntium remisit. Quid regno defloreſcente nobilitas Consularis? nonne in hortensi area, quàm in forensi arena diutius effloruit? Certe, si quid Respublica detrimenti pateretur, auxiliarios Duces, Imperatoresq; petebat è villa, quam duodecim etiam tabulæ hortum appellarunt, quòd ibi, qui capere arma possent, orirentur. Ut mirandum nemini sit illam diu Rempublicam stetisse florentissimam, quæ cultissimis hortis, quæ fortissimis cultoribus abundarit: quorum aliquis Oratorum flos, ut amœnitatem omnem etiam nomine complecteretur, ab horto dictus est Hortensius. Sed unus instar omnium prędicetur colonus, alterum belli fulmen, Scipio Africanus, qui summam triumphali gloriæ manum à se tum addi existimabat, cum domitricem Africæ dexteram in subigendo Linterni hortulo exercebat. Quid, si veteres Sallustii, Luculli, Mecœnatis, ac Cæsarum hortos memoria repetamus? num dubitabimus amœnissimæ indolis patritios Quirites super florum studio cum vernante natura specioso certamine collusisse? Quare Domitiano Cæsari præter aulicũ, & poëticum morem vera sic cecinit gratulatio:

Martial. l. 6. epigr. 80.

Navita derisit Pharios Memphiticus hortos,
Vrbis ut intravit limina prima tuæ.

Quod igitur semel voce, Lesbium oraculum, Theophrastus

phraſtus, hoc ſæpius re ipſa docuit gentium Regina Roma dignam eſſe homine libero agriculturam. Verùm adeo non modò ſummos, ſed infimos quoque homines amor tangebat hortorum: ut paupercula urbana plebecula Babyloniæ amœnitatis pensile ſumptuoſumq; miraculum æmulata de feneſtris olim (quod noſtrę etiam ætatis vulgus uſurpat) hortenſia rura ſuſpenderet. Urbem orbis epitomen, ut nobilis ait Græcus author, plura decora complectentem, quàm quæ poſſent unico nomine concludi, triplici quondam inſignitam fuiſſe accepimus: pervulgato ſcilicet Romæ, robur græcè ſonantis: arcano, ut quidam putant, Amaryllidis, vel ab amore latina origine, vel ab incilibus, quibus Argei campi Romana palus ſiccata eſt, græca ſignificatione deductæ: ſacro demum atq; in ſacrificiis uſurpato Anthuſæ, hoc eſt Floræ, ſive Florentiæ, unde ſacra Floralia nominantur. Ut videlicet urbs & rerum geſtarum gloria, & florum ſtudio florentiſſima ipſo etiam nomine floreret: utque floribus operam dare Romanum eſſe gloriemur. Digredere jam tempeſtivè à Romana urbanitate ad Africanam barbariem liberrima narratio: ibi pande Regii Generi penetrales hortos: oſtende nobilitate, ſapientia, integritate ſpectabilem Antiſtitem Paulinum tum præclarè liberum, cum vendibili ſervitute alienæ libertatis redemptor humum fodit, ut olentium herbarum florumque munuſcula metat, quo-

Plin. ibid.

Apud Celium Rhodig. lib. 18. c. 25.

Ang. Politian. ep. 2. lib. 1.

Nannius l. 6. Miſcell. c. 1.

Romæ ſacrum nomen Flora, ſive Florentia.

Florum cultor Paulinus.

rum suavissimo nexu & barbarum Genserici tyranni animum sibi devinciat,& se suosque captivos cives simul absolvat. Quòd si Diocletianum, trabeatum illud monstrum, ac sceptrigeram furiam, abdicato demum, quod nimium diu impotenter ac tyrannicè tenuisset, imperio, culta innocenter, olera sic nobilitarunt: ut tam ipsi glorioſum futurum fuerit, si columnarum inscripta monumenta ex Imperatore olitorem prædicassent, quàm fuit eidem probrosum, quòd Christiani nominis eversorem appellarint: quanto plus gloriæ cum lectissima florum messe metere credenda est in hortorum urbano rure colendo splendidè rusticata nobilitas? Sed quid ego mortales hortensi culturę deditos admiror? Deus ipse triumphata morte redivivus atq; immortalis non in triumphali Regis paludamento, sed in subrustica hortorum cultoris effigie amantissimæ se Magdalenæ videndum præbuit. Et sanè ad sempiternæ voluptatis colendos hortos reducem species decuit coloni. Nec equidem miror subagrestis hominis imagine sese induisse redivivum mortis triumphatorem,cælique Imperatorem Deum,qui sic agrestes florum delicias adamavit,ut ardua Cælitum felicitas facili mortalium labore præcerpenda in florem campi,liliumq;convallium humili appellatione transierit. Quòd si Deo decorum fuit nostrum se florem facere, & appellare: quidni nos pulcherrimas ejus imagines, flores videlicet ambitiosè

Diocletianus ex Imperatore olitor.

Baron. Annal. to.2.

Christus redivivus hortulani specie.

tiosè colamus ? Jam non est mihi quærendum, cur idem suavissimus planeque floridus Legislator agri lilia citra illum ipsorum laborem Salomonis regio cultu ornatiora considerari jusserit. Eorundem enim & unicus & providus cultor voluit agnosci Deus. Ut flores colere majus humano decus esse intelligamus. Fas igitur mihi sit absque levitatis nota docere, quod gravissimis viris, atque adeo ipsi Deo pulchrum fuit usurpare. Huc accedit non leve florum culturæ non exercendæ solùm, verùm etiam tradendæ incitamentum, severioris nempe sapientiæ erga geniale hoc ingenuumque studium plausus & præconia. Sed nunquam illa glorioſiùs plausit, quàm, cum eruditissimi ore Lipsii locuta in ambiguo reliquit, an flores hortus elegantiores funderet, quàm Lipsius loqueretur. Duo hìc præstari à me posse penitus diffido, ac pernego. Alterum est, ut omnia colendorum præcepta hortorum persequar. Quis enim unquam primus intentati operis magister universa pervidit, ac posteris tradendum doctoribus reliquit nihil ? Non fuerit igitur minimæ opportunitatis, & laudis pleraque, ac præcipua præmonstrasse. Alterum, ut omnibus placeam. Nam quis, nisi delirus, dissimilium inter se ingeniorum, atque etiam dissidentium sententiarum infinitis mortalibus unum argumenti, atque adeo scriptionis genus sapidum esse posse arbitretur? Satis igitur habeo, si paucis, iisque sapientibus

Iubet flores considerari.

Florum culturam etiam docere decorum.

Hortorum cura sapientibus laudata.

De Constant. l.1. c. 1,2,3.

Duo Scriptori difficilia.

bus non displiceam. Non hìc opus mihi est more poëtarum è Parnassi viridario eruditam auram implorare, ut percupida mens amabiles sensus à fertili aspiratione concipiat: idem enim Zephyrus, qui odorato halitu floream terræ, ingeniosam inspirat animo fœcunditatem. Neq; Aganippes lymphaticam lympham sitio, ut aridum ad nobiles partes ingenium irrigetur: eadem enim hortensis unda, quæ teneros terræ filios lactat, inter floreos fratres pudicam hanc meam Floram educit, & educat. Valeant Musæ, mera nomina, non vera numina canoræ superstitionis. Musarum instar omnium una mihi est, una placet & ingenua & ingeniosa colendi floris Ars, quæ decentiùs à me, quàm deflorata pudicitiæ laude quondam famosa muliercula, Flora nominatur. Hæc igitur, dum cælo non invida, sed æmula duodecim siderum illustri diademate coronatum annum subinde nascentium florum perpetuo vere mirabiliùs coronat, floreum mihi sertum poëtica lauro pulchriùs intexit ipsius decora, ipsius leges ad hominum jucundissimam exercitationem promulganti. Ejusdem ego admonitu floridum argumentum suavitate carminis alioqui condiendum carmini proxima, atq; inter flores decenter efflorescente oratione pertracto: quòd recentium florum nomina pleraq; peregrina sine obscura verborum ambage versu dicere non est. Hæc me M. Catonis, M. Varronis, Columellæ, Palladii, Constantini Pogonati

Florum cultura cur Flora.

Florum cultura cur prosa, non carmine.

sapien-

ſapientiſſimi Imperatoris, aliorumq; complurium graviſſimorum authorum de re tum ruſtica, tum hortenſi ſolutè ſcribentium nobiliſſimis exemplis ad hoc idem ſcribendi genus impellit. Et Conſtantinum quidem ſatis luculenter docuiſſe monet, è majeſtate Imperatoria eſſe non hominibus modò, verùm etiam floribus leges & jura præſcribere. Ut hortos colere Cyri exemplo regium, hortenſem artem præcipere Conſtantini documento imperatorium, utriuſque authoritate aureum ſceptrum, & floriferum bipalium tractare perinde ſplendidum eſſe fateamur. Valeat jam tandem Apollo, calor capitum fanaticus in fabuloſo collis Heliconii ſole apricantium. Tu mihi ſplendidè ficto Apolline illuſtrior, FRANCISCE CARDINALIS BARBERINE, quà ſapientiæ, quà gloriæ purpurea luce ſuaviter incendis animum, ut flores loquar, URBANIS APIBUS tuis, ut ſpero, gratiſſimos. Et quanquam excelſæ indolis nativis, cultiſſimique horti domeſticis floribus abundas: non tamen dedignaberis tibi naſcentes Floræ meæ agreſtes floſculos liberali Urbanitate donare. Neq; ſanè dedecet regiam iſtam morum facilitatem à ſummorum Regum colloquio, & graviſſimarum legationum negotio reducem inter horridulos hortos meos breve per otium ruſticari. Jam verò adveneror, atque invoco præpotentem Divinitatis auram, quę ſicut inter cæleſtis felicitatis æterna vireta florentiſſima

Franciſci Cardin. Barberini patrocinium imploratū.

Aſpiratio divina floribus invocata.

Cæli-

Cælitum gaudia semper eventilat, ut perennent: sic hortensibus curis hisce meis aspiret, ut felici exitu hilarentur.

Novæ culturæ novum magisterium.

CAPVT II.

NOvam, & perutilem florum culturam incultè scribenti mihi, ad impetrandam operis novitate veniam, utilitate benevolentiam conciliandam, pretium operæ foret ostendere, à compluribus, iisque eruditissimis rei floreæ scriptoribus, florum tantummodo aut historiam, aut certè vim medicam fuisse traditam; quarum illa mortalium voluptati prodesset, hæc vitæ: accuratissimum verò cultum, quo de humana tum voluptate, tum vita optimè promeriti flores viverent, ac perennarent, ut diutius prodessent, adhuc intactum indictumque latuisse. Quare hoc equidem loco recentis ad operis certissimam fidem, omnium, qui de floribus ad hanc usque ætatem conscripsere, catalogum cum ipsarum scriptionum argumentis producerem; nisi numerosam recensionem istam authores aliqui Transalpini elementario ad expeditam cognitionem ordine numerantes occupassent, hoc est partes meas implessent. Ex his est, qui ducentos circiter numeret her-

Herbariæ rei scriptores ab aliis numerati.

herbariæ, adeoque rei floreæ ſcriptores, quorum nemo unus de univerſa abſolutaque, ut nunc viget, florum cultione præcepit. Fuere quidem perpauci ex iis, quos legerim (legi autem complures) qui remota quædam aut mutila præcepta hac ſuper re cum attigerint, integram mihi ac peramplam tradendi cultus hortenſis materiam reliquerunt. Ego igitur novis in præceptis præſcribendis utiliùs occupatus longiſſimos indices ab aliis deſcribere ſupervacaneum puto. Neque tamen eos ingrato ſilentio diſſimulabo, qui nuper ingenioſa floridaque ſcriptione ipſis decus floribus addiderunt. Sic enim, ut par eſt, in latinis hiſce meis hortis non una modò breviſſimorum floſculorum forma, ſed florentiſſimorum quoque ingeniorum fama vernabit. Prior in hortenſibus meis novalibus floridiſſimum nomen efferat, qui ſuas pridem paginas florum ſcriptione gloriæ fœcundiſſima conſevit, Fabius nobilitatis excelſitate Columna, eruditionis amœnitate flos, ſeu potiùs familiæ ſuæ miraculum; quia Columnam florere facit, ſeveriorem videlicet philoſophiæ, mathematicæ, legumque diſciplinam blandiſſimo florum ſtudio coronat. Floreæ ſapientiæ præcones argutiſſimi ſunt pridem evulgati, brevique vulgandi codices, in quibus, quàm in hortis, pulchriùs flores nitent, ac ſuaviùs olent: quia illos oculatiſſima, & planè Lyncea ſevit eruditio, ac veritatem opacantes eran-

Præter hos Fabius Columna.

rantium opinionum malos frutices extirpavit. Testis est è libris jam editis cum prior, qui non minùs re, quàm nomine ΦΥΤΟΒΑΣΑΝΟΣ Theophrasti, aliorumque veterum herbariorum descriptionibus respondentes plantas græcæ latinæque eruditionis momentis prudenter examinat: tum posterior ΕΚΦΡΑΣΙΣ, qua præter superiores aliæ complures minùs cognitæ, rarioresque stirpes nostrate sub cælo nascentes, à priscis olim herbarum peritis medicis descriptæ recognoscuntur, & declarantur. Testis, herbariæ rei Anazarbeum oraculum, Dioscorides & profuturis, & mansuris Columnæ notis explicatus, nondum tamen in publicum judicium typorum opera productus. Testes denique sunt, quæ jam eduntur in lucem ad Mexicanarum plantarum, animalium, & metallicarum fodinarum historiam notæ, appendicesque operi peregrino, ac perutili pares. Et eum quidem novæ Hispaniæ thesaurum, sive opportunam medicinæ historiam Franciscus Hernandus novo in Orbe primarius medicus congessit: Nardus Antonius Recchus, Hispani Regis itidem medicus digessit: Joannes Terentius, pridem inter medicos ad corporum, nunc autem inter Jesu socios ad animorum pervestigandam salutem apud Sinas Lynceus doctissimis notis locupletavit: universi verò Lyncei, atque ipse præcipuè Lynceorum princeps Federicus Cæsius è diuturnis tenebris erutam & eruditis

Francis. Hernandus.

Nardus Antonius Recchus.

Ioann. Terentius.

ditis additamentis, & liberalibus impensis, ut præclarè legatur, in bono lumine evulgarunt humanitatis suæ. Scriptor alter à Fabio & ipse ad sapientiæ latebram pervidendam Lynceus, Joannes peracutum olentis ingenium de Nardo & Epithymo disputationis Faber, Romanæ præstantiæ medicus, atque herbarius Pontificius innocenter odoratis plantis eruditum conficit aculeum contra Josephum Scaligerum. Descriptorum serie florum proximum floret nomen Tobiæ Aldini, qui, dum Odoardi Cardinalis Farnesii medicus Chymicus, & Farnesiani horti præfectus rariorum ejusdem horti plantarum descriptionem profert in lucem, ad colenda & coronanda regiæ pulchritudinis Farnesiana Lilia jure peregrinatas esse rariores plantas exteras docet. Jam verò scriptione, non eruditione postremus floribus nostris inserendus est floridus sanè scriptor Federicus Cæsius, qui genus, & proavos, atq; hæreditarium principatum vix sua decora existimans & omni bonarum disciplinarum genere sic animũ illustravit, ut erudita perspicacitate maximè Lynceus Lynceorum omnium dux, ac propè dixerim oculus sit: & multiformi scientia in perbreves Phytosophicas tabulas coacta Mexicanam eandem historiam sic fœcundavit, ut pluribus illa ingenii floribus, quàm Indiæ stirpibus virere videatur. Usq; adeo cultrice sapientia exaratę fragiles paginę perennaturæ gloriæ seminarium sunt. Superest jam

Ioannes Faber.

Tobias Aldinus.

Federic. Cæsius.

ut

ut nos quoq; utiliter vernaturas paginas usque adhuc intractatis & recentibus excolendi floris præceptionibus laudabiliter exaremus, quas tum diuturna mihi experientia, tum consulti experientissimi cultores suppeditarunt.

Hortensis Architectura.

CAPVT III.

Hortorum positio.

PRincipiò, cui gestit genialis indoles in florum culturam, floriferi horti aream eligat salubri cælo subditam, summotamque procul à paludibus, ne coloratos inter flores à pestilenti regionis halitu ipse cultor mortis colore decoloretur: fluvio non adversam, ne aquosa & perfrigida atque adeo insalubri aura inspiretur: si locus suppetat, domesticam, ut assidui veris felicitate aureum seculum domi habeat, subjectumque videat è fenestris expictum floribus paradisum: quoad ejus fieri poterit, peramplam, ne florea natio varia & multiplex anguste habitet: aversam à septentrione, unde gelida pernicies molliſſimis terræ fœtibus hyeme inhalatur: conversam ad meridiem, cujus tepidi humidique spiritus clementer aspirantes florum animæ sunt. Ita situs amœnitate ipsi hortulus Italiæ non concedet, quæ, sterili Aquilonis frigore Alpinis claustris excluso, ad australis cæli fertilem

Plin. lib. 18. cap. 6.

tepo-

teporem porrecta unum toto pomarium Varroni videbatur. Sin autem ſiccanea regio humore nullo, aut parciſſimo adjuvatur: hortos ita partieris, ut hiberno ad meridiem, æſtivo ad ſeptentrionem flore ſpatia conſerenda convertas. Illius enim loci frigidam auſtrinus halitus, præfervidam ſiccitatem minùs oſtenta ſoli aquilonaris poſitio temperabit. Poſſumus quoque varios pro regionum varietate villarum ſitus ab idoneis authoribus præfinitos ſic ad hortos referre, ut ii ſpectent in frigidis locis meridiem, ſeptentriones in æſtuoſis, in temperatis exortum æquinoctialem. Eandem aream ſic præterea providus cultor exæquet: ut non æquiſſima nec perlibrata, ſed exiguè prona leniterque declivis humorem imbrium ſuperfluum aliò evergat. Apricam verò vel inveniat, vel efficiat: ne imminens, aut objecta opacitas graviùs, quàm Magni Macedonis umbra, officiat non doliari cuipiam Diogeni, at delicato florum populo ſalubriter apricanti. Ut hortenſes partus floridam & nitidam vitam vivant, amantiſſimi parentis ſui vitali ſolis calore citra umbræ invidiam foveantur. Ut ſuis horti ſideribus diſcolori luce florentibus cælum ſtelliferum æmulentur, æmulanda cæli decora libero proſpectu intueãtur. Ut colorati pupuli ex altricis nubis pluvio lactatu vividum colorem ebibant, aërium lac umbroſa mora ne prohibeto. Ut marinis conchis avidiùs matutino rori oſcitantia florea conchy-

De Re ruſtic. lib. 1. cap. 2.

Pallad. De re ruſt. l. 1. tit. 34.

Plin. ibid.

Planities.

Apricitas.

lia roscidis margaritis æstum refrigeraturis perluceant, avarus obex instillatas opes ne intercipito. Sed rorantibus cæli guttulis,& antelucanæ serenitatis imbre æstuantium, atq; arentium in aprico sitis hortorum satis extingui non potest. Quare fontani liquoris nativa, sive accersita perennitas, aut non ita profundi, laborioſiq; hausti putealis fons, aut certè cęlestis aquæ cisterninum conceptaculum sive intra, sive propter hortensem aream sit: ut bibaculis plantis vel manu illatus, vel suæ spontis humor, cum opus fuerit, ministretur. Ad hæc pro loci situ ea areæ figura deligenda, cujus in designatione vel nulla, vel minima spatii jactura fiat. Sin autem patentiore in agro tua sit optio: pro arbitrio angulatam aut rotundam, oblongam aut quadratam destinabis. Illud verò servandum est, ut area sepimento clausa, vel claudenda, si longior quàm latior placet (sive ea rectis angulis, sive ovato ambitu definiatur) ab ortu longitudinem porrigat in occasum. Nam sepimenti, quà latum est, breviora latera orienti, occidentique soli adversa matutinis ac vespertinis horis, cum longissimæ umbræ sunt, areæ minus extremæ utrinque inumbrabunt: mediæque plus solaribus radiis patebit, hoc est area tota erit apricior. Reliquum est, ut appositè delecta floribus castra (nisi quo alio munimento inaccessa sint) tutissimo adversus furaces excursiones vallo communiantur. Id autem seu modicè sublimi,

Aqua irrigua.

Figura.

Sepimentū.

qui

qui furem non ſolem arceat, circundato muro, ſive ſpineo ſepimento ſtatuetur. Non enim roſæ ſolùm, ſed ceteri etiam flores præſidiarias inter ſpinas tutò habitant. Sepes viva ſtructili præfertur, utpote parabilis minore ſumptu, ævo diuturniore durabilis. Ea ſic inſtituitur. Hortulus, quem veluti florum urbem ſepimenti mœnibus munire deſtinaveris, condendæ urbis veteri more ſulco, eoq; duplici ſic cingendus eſt, ut alter ſpatio tripedaneo diſtet ab altero: uterq; verò bipedanea, vel ſeſquipedali tum altitudine ſubſidat, tum latitudine dehiſcat. Id verò fieri debet, ſimul atque ab æquinoctio autumnali largis imbribus terra maduerit. Semina deinde paliuri, rubi, ejuſque ſpinæ quam ſentem canis appellant, quàm maturiſſima ervi farinæ ex aqua maceratæ immiſcentur, eaque intrita ſparteis, aut nauticis veteribus funibus, aut quibuſlibet aliis reſtibus inſeritur. Siccati deinde funes reponuntur in tabulato. Quadraginta mox diebus à bruma prælapſis, ſive poſt Idus Februarii, cum redit hirundo, cum favonius aſpirat, ſiqua in ſulcis reſes per hyemem aqua ſtagnavit, exhauritur: reſolutum verò ſolum, quod autumno egeſtum fuerat, ad mediam uſque ſulcorum altitudinem regeritur. Ad extremum prædicti funes impreſſis fœti ſeminibus per utrumque ſulcum porrecti levi terra obruuntur. Ita circa trigeſimum diem prorepunt ſentes, quos adhuc teneros interpoſita utri-

Colum. De re. ruſt. lib. 11. c. 3. Pallad. l. 1. tit. 34.

que sulco virgea sepe sic adjuvare oportet, ut in spatium, quod interjacet, inclinati virgarum adminicula superscandant: donec incremento firmiore corroborati densissimo, atq; inextricabili nexu impenetrabile, atque adeo inexuperabile munimentum intexant. Non absimile satisque validum sepimentum ita Diophanes architectatur. Sub æquinoctium vernum cubitali altitudine scrobem effodit: in illo & palos depangit, & funiculum extendit: pridie autem ervum molitum cum paliuri, rubi, & oxyacanthæ, sive acutæ spinæ semine commiscens macerat, atque ad mellis crassitudinem cogit: extentum deinde funiculum eo semine confricat, oblinitque: locum cremore irrorat, irroratumque ad breve tempus patere finit: egestam denique humum superinjicit: & post dies duodetriginta pedalis incrementi germina existunt. Eadem in scrobem pede non altiorem transponit: & intra bimensis tempus cubitalem superant magnitudinem. Adeo verò in aculeatum, implicatumque vallum brevi adolescunt, ut hispida ipsa species prædonum vulneret, ac dejiciat audaciam. Non dispari Democritus artificio agrestes delicias munit ac sepit. Etenim à veris initio quindecim diebus sepium sationi præfinitis, nauticum funem marinis operis detritum, jamque putridum prædictorum seminio veprium ervo permisto confricat: exinde in scrobem defodit, & quotidie irrigat. Ita proce-

Apud Constant. Cæs. Pogonat. de Agricult. l. 5. cap. 42.

ram

ram atque imperviam ſepem citò educit. Nonnulli reſtem infricato rubi ſemine oppletam adobruunt: craſſas arundines contuſas obliqua, nec admodum alta plantatione defigunt; miſtumque terræ lætamen ingerunt. Alii lectis è rubo maturis moris funiculum illinunt: deinde terra, fimoque obrutum rigant, donec germina emittat. Sunt præterea, qui vivam ſepem in hunc modum excitent. Virgas rubi craſſiores in ſegmenta diſcindunt: ea ſcrobibus palmari altitudine excavatis diligenter operiunt: quotidie, donec egerminent, foſſione ac rigatione, ſi tempus invitet, refovent. Ita ſepes robuſta, perenniſque conſurgit. Novum aliud ſepimentum regii cultoris ingenioſa monſtravit experientia. Plura hic diverſi generis ſemina ceræ, vel tenaci cuipiam materię in longum tenuiter productæ permiſcuit: eadem optimè ſtercorato ſubactoque ſolo commiſit: atque ex ea congerie ſepes admirabilis pullulavit. Noſtri tamen agricolæ ſimpliciore cultura conſeptos agros ſatis commodè tuentur. Unico enim contenti trium circiter palmorum ſulco vaſtiſſimarum ſpinarum plantas è ſpinetis campeſtribus tranſlatas, ac leviter attonſas à Novembri menſe ad Februarium infodiunt: ternorum intervallis cubitorum diſcretas arbuſculas maximè ulmeas æquè attondendas interſerunt, ut vepres quamvis aſperos maritos fideli conjugio adminiculent: ſambucum, quoad fieri poſſit, non

esse interponendam censent: quia frigida, siccaque vi assitas plantas emaciat, & in caudicem enormiter extumescens furacibus insidiis facilè scansilis est. Quòd si locum tutiorem sepire mitiùs velis: dedolatos cancellos è castanea, seu qualibet alia ex arbore, quæ sub injuria pluviarum perdurandi pervicacia laudatissima sit, præfiges: ut innoxios illi oculos admittant, procaces hominum manus, atq; adeo pecudum ora pedesque distineant. Ita præparatum ac præmunitum areæ patentis æquor graphidis peritus, ingenuæ amœnitatis architectus curiosè dimetiatur: dimensi æquoris formam sectilem in partes pro dimensionis rata portione respondentes lineari pictura contrahat in papyro: multiformem areolarum imitationem deformet: pulcherrimam deligat exprimendam. Caveat autem, ne phrygionem imitatus areolas frangat in foliacei operis angustas & minutulas incisuras, sationi planè ineptas. Feliciùs æmulabitur phrygium opus artificiosa florum consitio, quæ ipsummet areolarum solum ordinata colorum varietate distinguet. Areolas nec adeo laxet, quin ad ipsarum latitudinis dimidiam partem runcantium, legentiumve manus pervenire possit: nec adeo angustet, ut paucissimorum seminum unaquæque sit capax. Quanquam qui natura magistra paucis iisque lectissimis floribus contentus fuerit, numerosiore semitarum labyrintho areolas poterit aliquatenus coarctare.

Linearis pictura.

Areolæ.

Semi-


Semitas duum minimùm palmorum latas faciat, ut ſine adnaſcentium plantarum attritu innocens oberret inceſſus. Laxiora quoque itinera præſcribat, quæ ſe media in hortorum umbilico interſecant, quæque ſepimento proxima hortos ambiunt. In iis enim non modò eſt ambulandum, ſed florales etiam teſtæ ordinatim ſtatuendæ ſunt. Quis jam enumeret hortorum inexplicabiles & planè labyrinthæas ambages, quæ feliciſſimo artificio non biforme Minotauri monſtrum, ſed bis amabilem oculorum, nariumque voluptatem intercludunt? Expeditiùs veterum labyrinthorum, quàm recentium hortorum artificiosè inextricabilibus erroribus explicandis exitum inveniam. Paucis rem expediam infinita varietate impeditam. Quot in pavimentis atque in lacunaribus, totidem in hortis mæandros ludimus & labyrinthos. Ut dædaleam antiquitatem ætas noſtra longè ſuperet quà ingenio, quà numero dædalorum. Quin etiam beatiores Archimede Geometræ docile ſolum innumerabilibus formis inſcribimus non humano ſanguine, ſed florea purpura colorandis. Illud autem ſtudioſè curamus, ut areolarum non univerſa modò compoſitio & colligatio, ſed unaquæque etiam figura, & veluti facies concinna & venuſta ſit. Nullæ tamen formoſiores areolæ informantur, quàm quæ rotundantur in roſas, aut radiantur in ſtellas. Ut ſine fabulæ fuco & fallaciis Elyſium noſtrum vel


sine floribus floreat, & sua sidera norit, quæ splendidam florum sobolem manifestiùs, quàm remotissima cæli lumina, progignunt. Sed floreæ sationi omnium maximè utiles, & satis venustæ censentur octo angulorum areæ minusculis quadratis areolis interstinctæ. Non fuerit (opinor) ab re multiplices jam hortorum formas adumbrare: ut hortensem architecturam clariùs, quàm ipsa verba, linearis adumbratio eloquatur. Illud hìc animadverti volo subjectas exempli causa diversas hortorum imagines ad certæ magnitudinis areas accommodandas esse: ut apertè indicant sectilibus lineis additæ singularum imaginum dimensiones. Quare pro spatii amplitudine varia areolarum conformatio varianda est. Quæ autem lineantur infra regulæ modulorum sive partium, minutioribus segmentis communes sive Romanos palmos, amplioribus eorundem palmorum decades indicant.

Formæ variæ.


Si cui

Si cui uolupe sit cæleſtis ciuitatis beatiſſimam ſedem æternæ ſtabilitatis in quadro poſitam terrenæ amœnitatis hortenſi ambitu deſignare. cæloq; quodammodo in terris aſſuescere: hoc illi proponitur. quod in quadratos hortos quadrat: exemplar.





Si rectis angulis oblonga. hoc est ad proferendos floridæ uoluptatis fines porrecta magis arridet area: hæc etiam forma delectet.




Simundi ornatißimam rotunditatem hortenſis ornatus rotunda imagine lubet æmulari; uel ætati floreæ nouum orbem condere: orbiculatum habes rudimentum quadrata in area lineatum; cuius continenti muro circumſeptæ superuacaneis quatuor in angulis tum hortenſis supellectilis cellas, tum congruentia floribus a: uiaria poteris excitare: ut florea in ſilua ſilueſtres Orphei ne deſint. Cauebis tamen, ne munimentum circà extructum uel altitudine nimia, uel minimo in: teruallo areolas incommodè opacet. Quare cautè excitandum, et latiore am: bulacro diſtinendum erit.






Consimilium triangularium cellarum quadrata in area opportunitas erit. si angulos octonos habeant horti. quorum aliquod hic specimen subycio: ut plures tibi ubiq; parabiles. quam venusino poetæ in Tiburte recessu. amœnitatis anguli rideant.






Si circense spectaculum non olim procurrentium equorum fugitiua sed assiduè uernantium florum stataria uoluptate exhibere mauis: en tibi ouati circuitus commodum circum honestissimæ Floræ nouus Ædilis aperio, ysdemq; cellis extruendis opportunos simillimos angulos propono.







At uerò si enormis ambitus aream denormans pulcherrimæ, optatissimæq; formæ non permittit optionem: quantum spatij licebit ad normalem figuram reuocabis: reliquum areæ tum in obeliscum tum in alias non incongruentes imagines conformabis. Quod proponitur exemplar, ab denormata mutilaq; capacitate felix est; simili enim pyramidis miraculo Ægyptiacæ magnificentiæ celsa fastigia æmulatur.









Si uelis denique floreæ curæ quàm facilem aditum, tam difficilem exitum hortensi repræsentare simulacro: tuos hortos in labyrinthum implica, cuius hic imago aliqua exhibetur. Possunt autem labyrinthi areolæ uel cæterarum instar humiles subsidere, ut oculi tantùm implicatis flexibus irretiantur: uel ad quatuor circiter palmos laterità structura excitari, ut pedes quoque inter flores errabundi iucundissimè impediantur.







Vetus ars, quæ necdum penitus antiquata est, olentium herbularum tonsili sepimento amœna hæc florum stativa circumvallabat: ubi non ipsi modò inter se flores civili bello, sed herbacea etiam propugnacula cum floribus, quos defenderent, de pulchritudinis præstantia blandissimè certare viderentur. Verùm istiusmodi sepes duplici nomine incommoda & frequenter attondenda erat, quòd facilè silvesceret: & subinde renovanda, quod citò seneſceret. Quare utiliùs novitio invento singulos pulvinos sativis florum deliciis insternendos ambiunt fulcra coctilium laterum tenuiorum, qui parem in crassitudinem cote lævigati aptissimè inter se committuntur. Si vel fidelibus oculis credas; non contiguos lateres, sed perpetuas tabulas ad unguem dedolatas existimes. Usque adeo saxa ipsa florum persentiunt amabilitatem: ut ad illos jucundissimè complectendos arctissimæ coagmentationis societate conspirent. Pauca quædam hìc habeo præmonere. Primum, ut albi lateres in lateraria officina seligantur; hi enim, quippe eximia coctura densati, contra frigora pugnaciores: rubri rejiciantur, ut qui minus igne durati ad primos algores in fragmenta dissiliunt. Alterum, ut in recto plani, in sinuoso opere curvi adhibeantur. Tertium, ut in areis obvallandis, quà parte longi sunt, defigantur, non autem qua lati: ne parum altè depacti aut incedentium, aut fodientium offen-

Ad arcolas tutelæ.

sione loco moveantur. Postremum, ut supra semitarum superficiem tres tantùm uncias, sive totidem transversos digitos extent. Debent præterea funiculi, pro varia areolarum conformatione plures paucioresve, validè intenti utrinque depactos ad paxillos alligari; ut parem laterculis omnibus extantiam præfiniant; ut eosdem ad lineam dirigant; utque Ariadnæo filo feliciùs hortensium labyrinthorum ambages ingressis, non hospitibus Theseis, sed ipsis architectis Dædalis facilem laboris exitum commonstrent. Quin etiam flexuoso in opere sic artificis manus est regenda funiculo; ut ejus alterum caput opportuno figatur in centro, destinatam in curvaturam circumducatur alterum. Non est operis instituti minutiorem docere rationem areolarum varias in figuras efformandarum: neque enim structori monstrat architectus, quæ facilè potest ille sua ex arte, vulgatoque ex usu cognoscere. Cæterùm, si clementior cura suaserit, ne in beneficos areolarum stipatores laterculos ingrata imminutio, ac mutilatio desæviat, Marcum Antonium Specchium Romanum audi tum hortorum amœnitati, tum coctilium laterum integritati hac perutili solertia consulentem. Aream vel quadratam, vel intra rectos angulos oblongam in paginæ commensum respondente linearum ambitu contrahes: in quadrangula spatia quaqua versum æqualia, quæ laterculorum latitudinem pro rata

M. Antonius Specchius.

por-

portione adumbrent, lineis cancellatim reticulatis distribues: areolasque ita definies, ut integra segmenta, nempe solidi lateres includantur. Prædiscere tamen hìc debes, ab istiusmodi structura curvos ambitus excludi, qui nisi comminutis laterculis circumduci non possunt. Si quem autem pigeat pronioris, incommodique incubitus in humili subsidentium areolarum cultura; is poterit lateritio munimento calce interlito ad quaternos, quinosve palmos prædicta florum cubilia excitare. Post affabrè munitas laterculis areolas, interjectæ semitæ consternentur æquè, ac tutelares laterculi, eandem in partem leniter devexæ. Si placet antiquitate magistra proficere: artem areæ frumentariæ coæquandæ, ac solidandæ ad hortensium semitarum constrata sic referes. Cretam, sive argillosam ac tenacem terram minutè confodies: amurca recenti non salsa benè consperges, ac subiges: ubi terra penitus combiberit amurcam, iterum probè comminuetur, cylindro coæquabitur, & pavicula verberabitur: denuo tandem amurca solum resperges, & arescere sines. Ita pavitæ, atque exæquatæ semitæ nec æstibus fatiscent, nec imbribus lutescent, nec inutiles herbulas creabunt, nec noxiis formicis, & muribus scatebunt. Recentior tamen ars utiliter substernit in semitas aut veteris ruderis cribrarium pulviseulum, aut permistam glareolis arenam fossitiam, aut macram & rudem nullo-

Semitæ.

Cato de re rust. c. 129. Varro de re rustic. lib. 1. cap. 51. Colum. l. 1. cap. 6. & l. 2. c. 20. Plin. l. 15. c. 8. & l. 18. cap. 29. Pallad. l. 7. tit. 1.

nulloque vitiatam seminio terram, qualis est altiùs effossa, aut conglobari solitum in pilulas lividum retrimentum calcis, & cineris, quibus aqua maceratis saponis lixivium percolatur. Est, qui gracile solum in operto siccat, siccatum minutim comminuit, comminutum cum sabulo commiscet: deinde vel manu illato humore perfundit, vel in apertum effert, ut aquis cælestibus humescat: insemitas denique tam feliciter digerit; ut, qui modò molliſſimus erat pulvis, mox densam in duritiem lapidescat. Duplex autem consternendarum ambulationum via est: aut enim ingestum solum pavicula condensatur, aut summas prope laterculorum oras cumulatum leviter trulla complanatur opere retrogrado; necubi levis exęquatio progressu inæqualiter subsidat. Ita fiet, ut solum adhuc suspensum tum suo pondere, tum pluviali pressu, quantum satis fuerit, æqualiter descendat, ac solidetur. Est etiam nonnemo, qui coctilibus laterculis ad amussim lævigatis, & calce commissis aditum omnem bestiolis, herbisque præcludat. Verumtamen tam præclusa structura gravibus patet incommodis: adeo enim ab imbribus ac gelicidiis lubrica erit, ut illic sine casu, aut prolapsione ingredi nemo possit. Adde, quod humore diuturno viridem situm immundamque illuviem ducit, & prope assiduam purgantis operam exigit. Quanquam quodcunque hortensis ambulacri solum, ne frequenter

quenter decidua pulvinorum humo herbeſcat, debet ſubinde converri. Unum hortis inutile habetur ſigninum pavimentum, fractis tunſiſque teſtis, & calce addita coagmentatum. Id enim brumali frigore conglaciatum minutatim diſſilit. Complanatis jam ſemitis, ſi quod areolis includitur, ejus loci ſolum florum ſationi habile ſit, retineatur ac tenuiter ſuccretum in pulvinulos cumuletur: ſin minus; illo egeſto, quod certis utile indiciis mox deſcribam, ſufficiatur. Hæc hortorum arridet architectura: quæ tamen abſolutiſſima non erit, niſi ſeminarium adjunctum habeat, ubi generoſo è ſemine ſpes hortenſis gloriæ concipiatur, parvique hortorum Quirites educentur, donec, probata per probabilem florem indole, in floream Rempublicam admittantur, degeneres autem excludantur. Aprica loci poſitio, molliſque declivitas eadem atque hortenſis eſto, tum ut genitalis caloris abundè, tum ne collectæ per imbrem uliginis nimium ſit. Areolas ſimplici artificio, directoque ordine quadratas, aut oblongas, necnon modicè latas facito; ut conſeri utrinque, purgariq; poſſint: eaſdem prædictis laterculorum tutelis circunſepito: ſemitas ad binos palmos, ut priùs docui, laxato: ejuſmodi ſeminarium ab hortis hortenſi tantum ſepto diſtinguito, pariterque circundato. Quòd ſi ager anguſtior vix hortis mediocriter explicandis, nedum ſeminario adjungendo ſatis eſt: pars aliqua hor- Seminariũ.

hortorum extrema in seminarium abeat, aut (si neque hoc per loci angustias licet) fictilibus catinis parabile seminarium figulus ministret. Ad ultimum horti (nisi domini ædibus continentes sunt) contiguum cultoris domicilium requirunt, quo tanquam aliqua specula diurni nocturnique insidiatores absterreantur.

Domiciliũ.

Excubitor, & Cultor.

CAPVT IV.

VT sine militum vigiliis urbium claustra, ita sine canum excubiis hortorum septa insidiis patent. Cave, tuus excubitor genus & indolem ducat à somniculosis canibus, arcem Capitolinam silentio prodentibus: de quibus anseres vigilantiores lectica splendidè instrata circunductæ anserinæ ex argento imaginis solemni pompa, primaque Censorum cura publicè locati ad ædem Jovis Tonantis perpetui cibatus gloria defenso Capitolio triumpharunt. Adeo verò unica pœna inexpiabile, ubi latrandum est, taciturnitatis flagitium sapientissimis Quiritibus videbatur; ut multiplici, & singulis annis repetito sambucei patibuli supplicio mutorum parentum filium aliquem flebiliter ululantem paterni silentii perfidiæ cogerent oblatrare: atque infeliciter affixum cir-

Canis hortensis. *Cic. pro Sext. Rosc. Amer. Plin. l. 10. cap. 22. Plutarch. in problem.*

Plutarch. De Fortuna Romanorum.

circumferrent, anſerum triumphantium ſpectabile trophæum. Ne canina tibi quoque carnificina polluendæ, atque efferandæ ſint aſſuetæ floribus manus, fideli, & ad leviſſimum quenque ſtrepitum ſolicito cuſtodi crede floridos amores tuos. Intima fides in extimis indiciis eminebit. Placet igitur excubitor canis (ut minutas prætream notas) uſu villaticus, aut paſtoralis, ne Draconis Heſperidum fideles excubiæ deſiderentur: educatione placidus in domeſticos, implacabilis in exteros, ne blanditiis corrumpatur: toroſo corpore robuſtus, ut cominus: vaſto latratu canorus, ut eminus: arduo ſtatu minax, ut utrinque terreat inſidiantes: oculis ſanguinea luce ſuffuſis fulgurans, ut dentium fulmina portendat audacibus: villo niger, ut luce clara terribilior furibus conſpiciatur, utque in tenebris nocti concolor penitus inviſum ad hoſtes acceſſum habeat. Hujuſmodi canem interdiu captivum vinculis contineto, ut noctu manumiſſus & libertus excubias agat alacrior. Eidem excubitori mobile ac tranſlatitium tuguriolum craſſis aſſibus è caſtanea contabulato: in Auſtri teporem hieme, in Aquilonis frigus æſtate obvertito. Eo tamen in loco ſemper ſtatuito, unde tota hortenſis planities, atque adeo quiſquis ingreditur excubitoris oculis ſubjiciatur. Sed fruſtra hortis invigilant canes, ſi culturæ indormiant homines. Colonus ergo fidem in primis, ac benevolentiam erga dominum colat, ſine quibus horti mali-

Ejuſdem tugurium.

Coloni partes. *Cato c. 5.*

Colum. l. 11. cap. 1. malignè floreſcunt. Ne ſit ebrioſus, aut ambulator; quia capite pedibuſque vitioſa vertigine laborantibus diligentiæ ſtabilitas vacillat: neque ſit ſomniculoſus, aut voluptarius; quia deſidioſa mollities laborioſæ hortorum pulchritudinis venefica eſt. Sit autem ſideralis ſcientia leviter imbutus; ut, quæ captanda culturæ tempeſtiva, quæque cavenda ſint ſuſpecta tempora in bona ſiderum luce prævideat. Sit floridæ rei ſciens: ut ſcitè felices herbas excolat, infelices curiosè perſequatur. Sit agreſtium operum patiens: ut ſereno die in hortenſi ſole apricus ſerat, exherbet, emundet, ſuis munditiis floribus ipſis nitorem addat: per imbrem verò intra domeſticum aſylum umbraticus de floreis negotiis otiosè deliberet, arma ruſtica detergat, ſurculos indices præcidat, necnon variis numerorum crenis notet, quos deinde ad florum diſcrimina vel humi depangat, vel floralibus teſtis affigat. Licebit, ſi lubeat, in hunc uſum reſecta arundinea internodia laxioribus aliis internodiis operire; ut, quæ includentur, ſchedulæ notabilium florum nominibus inſcriptæ ab humoris corruptela integræ conſerventur. Quanquam ego eidem huic rei plumbeas lamellas numeris inſignitas, ſenos ſeptenoſve tranſverſos digitos longas, unum latas, digiti quadrantem craſſas utiliùs adhibeo: quòd hæ, cum neque frangantur, neq; putreſcant, ut ſurculi, permoleſtè reficiendæ quotannis non ſunt.

Virg. Georgic lib. 1. Colum. ibid. Plin. l. 18. cap. 24. Liban. in laud. Agricult.

Teſſeræ ſurculaceæ.

Arundineæ.

Plumbeæ.

sunt. Sicco diutius cælo amica irrigatione impluat, quemadmodum infra enodatiùs explicabo. Hosce autem vicarios imbres irriget, dum sol vel occidit æstivus, vel imminet hibernus; ne affusus humor nunc fervore tabifico, nunc gelu mortifero cum siti vitam bibuli seminis extinguat. Prima luce areolas circumeat: si quid res florea detrimenti passa sit, perveſtiget: flores vel senio, vel imbre, vel turbine, vel quo alio casu caducos surculaceis paxillis, tanquam pedamentis, erectos adminiculet: injussu domini ne legat: jussus hinc inde sic demetat, ut versicolor seges intacta atque illæsa videatur: iis verò decerpendis abstineat, qui placent sive nobilitate ad semen, sive novitate ad gloriam. Matutina florum messis in primis tempestiva est, cum sublucana illi blandientium siderum saliva guttatim perfusi omnino nectarei sunt: cum recentem ad solem experrecti roscidis lacrymulis lepidè lippiunt: cum semhiulco risu legi prægestiunt: cum egelido tepore suffiti odoratiorem animam expirant. Hanc minimè silvestrem, imò urbanam, atque urbanitati cæduam florum silvam tenui lino, aut lento vimine nunc teretes colligat in fasciculos, nunc textiles circinet in corollas, nunc etiam vinculo absolutam acervatim digerat in calathiscis, efficiatque suavi miraculo, ut pensiles horti manibus & capitibus facilè præferantur. Hìc & colonum, & dominum monitos volo, ut quà præ-

Cap. 20. Rigandi tempus.

Florum legendorum ratio.

Tempestivitas.

Componendorum peritia.

Sacræ aræ floribus ornandæ.

præcocis, quà serotini floris crebris munusculis sacras ædes condecorent, gratiam aliquam munificentissimo Deo relaturis; qui, ut omnium saluberrimis deliciis obvius esset, è concluso intactæ Parentis hortulo existens flos campi apparuit: cum in agro Bethlemio amantissimè præproperus media hieme vernavit: quique florea veris tempestate in ferali monte cruentus defloruit; quia lilium fuit, sed vulnificas inter spinas. Noxiarum quoque floribus animantium persequendarum optimus cultor artem percalleat, quam ego alio loco bipartitò fuséque tradam. Nocentissimas autem bestiolas, limacem, & erucam hortis potissimum caveat. Ergo si pluvialis anni fecunditas infelix cum floribus utranque florum pestem effuderit; intendentibus se tenebris ad furtivum pabulum egressas nocturnus ultor prælata face vestiget, deprehensas manu colligat, pede proterat. Si quas opaca noctis impunitas protexerit, suis ipsæ vestigiis reduce luce se prodent. Et limax quidem glutinosi corporis tractu insulsè salivans pigram fugam ad latebram usque sequaci lentore inscribit. Eruca verò depasti floris residuum in summo solo relinquit, infra quod ad unius alteriusve digiti crassitudinem sepulta vivit. Ibi terram digito, vel furculo leviter curioséque scalpe, ne multa simul egesta humus concolorem vermem involvat, & occulat. Quæris quid sit, cur vilissimæ

Cap. 21. & 22.

simæ bestiolæ nobiles florum epulas tam avidè consectentur ? Veram causam seria fabula docto aperit involucro. Vos interim audite pigri cultores, audite impigri fures vestris æqua meritis adumbrata ludicro sermone supplicia. Est in agro Hetrusco planities amœnissima, ubi quondam stetit ac viguit Semifontana Respublica. Hìc florentissimos hortos Flora, suam scilicet Regiam, natura simul atque arte ad elegantissimam architecturam conspirantibus, excitavit. Et possim ego toto naturæ, artisque molimine elaboratas delicias rudis, & inamœnus, atque, ut semel dicam, urbanus agricola exæquare dicendo ? Imò verò possum, paucis quàm pluribus eloquentior ita si dixero : nusquam elegantiùs, nusquam decentiùs, quàm Floræ in hortis, velut in voluptario theatro lepida florum natio pudica ludit Floralia. Liberale ostium omnibus patet, sed, qua lege pateat, hisce incisum notis admonet.

Limacis, & crucæ fabula.

Floræ horti.

Hic ver assiduum meliùs, quàm carmina, flores
Inscribunt: oculis tu lege, non manibus.

Floridissima hæc Hetrusca Tempe Barberinis Apibus feliciùs, quàm Thessalica vulgaribus, natalia geminas utrinque confines urbes Florentiam, & Senas propagatæ amœnita-

tis communicatione sic beant; ut illa tum re, tum nomine floreat: hæ sicut agrorum, sic ingeniorum vere perpetuo nobilitentur. Sed, ne in patriæ justissima commendatione nimius videar, unum è plurimis honoris causa nomino tum genere, tum hac utraque laude nobilissimum civem meum, Fabium Sergardium; quippe qui cultissimæ indolis nitorem in hortis cultu sumptuque nitidissimis repræsentat. Suis Flora deliciis tuendis colendisque præfecerat Limacem quendam, hominem primò quidem vigilacem & laborioſum; deinde verò (ut incuria diuturno glisçit ex famulatu) conniventem ac supinum. Igitur cultrice ignavia horti vernabant in urticas; decoram sanè somniculoso capiti coronam. Nec tamen seges illa sine igne acerrimè urens excitavit ad cultum; sed incitavit ad scelus. Frater erat Limaci Bruchus, homo inter fures nocturnos feliciſſimus, quippe qui raperet, & lateret: noctu furaciſſimus Mercurius, interdiu frugaliſſimus Marcus Curius. Floribus in primis delicatus iste scarabæus delectabatur, quorum exuctam suavitatem in sordidum quæstum conglobabat: seu potiùs (ut ille cum fratre gloriabatur) ex divenditis infructuosis flosculis ingenioso miraculo aureos fructus colligebat. Hortos autem non temerè, sed eruditè compilabat. Nam quos in cæteris eminentes, dominantesque nobi-

Fabius Sergardius.

Ex longo famulatu incuria.

nobiliſſimos flores de die vulturinis oculis præcerpſerat, eoſdem ſubluſtri de nocte, Periandrum ſpicas, Tarquinium papavera decutientes imitatus, demetebat: quin etiam, ne in ſuperbam pulchritudinis tyrannidem regerminarent, radicitus extrahebat. Sed nuſquam vigilantior, quàm Floræ in hortis expilandis indefeſſus runcator furacem operam ſuam collocavit: credo ut lentiſſimo fratri exherbandi viridarii laborem relevaret. Rem primò Limax fraterna ſcilicet indulgentia diſſimulare: deinde etiam nec videre, nec ſcire poſſe; ut qui pro ſe, atque adeo pro inſomni fratre dormiret. Adde, quòd in florum denſiſſima ſilva latè ſparſa deprehendi poſſe furta non putabat. Senſit tamen (quis enim ſagaciſſimam fœminam falleret?) ſenſit, & ingemuit Flora in ſuorum verna juventute hortorum præfeſtinatum furtivo ſcelere calvitium. Itaque ſæpè, at fruſtra fratrum par nocentiſſimum innocentibus verbis caſtigatos ita denique minitabunda præmonuit: Cave Limax, cave Bruche, ne Flora nova Circe mutet ora: ne vos puniat flos. Riſere nequiſſimi ſuis ipſis alioqui floſculis ſuavioris Dominæ minas: quin imò perfrictæ frontis Limax exprobrati ſibi, fratrique facinoris neutrum eſſe conſcium pernegavit. Tum Flora furore flammea; oculis, voce, geſtu fulminea; Agite, inquit, ſceleſtiſſimi, qui mina-

cem ridetis, vindicem pertimescite: ac simul peregrino flore, quem fortè manu gestabat, utrunque percussit. O prodigiosam, gravissimæque noxæ parem in hortorum vastatores pœnam! Contacta noxiorum corpora in turpes bestiolas repentè decrescunt: utque maneant in recenti forma veteris culpæ indices notæ, Limaci manus pedesque recedunt, quibus, dum licuit, per inertiam uti noluit: oculi occuluntur, quos in somnum occluserat, cum fuerat excubandum: ad prætentandum cæcum iter & bacilli, & oculorum vicaria quadrigemina cornicula protenduntur, & ipsa ignaviſſima; quippe quæ leviſſimum ad incursum resiliunt: horum summa pars nigello puncto, velut oculorum simulacro ac rudimento illuditur: totum tergus infuscatur, ut rustici hominis id fuisse intelligas, eadem remanet pigritia in lentissimo reptatu, totumque corpus tanquam ipso in otio laborans frigidum lentorem, hoc est ignaviæ succum exudat, ac viam sordidè signat, ne quis turpe vestigium persequatur: ipsa duriſſimi capitis penetralis pervicacia durescit in osſiculum, seu lapillum cùm ad multa, tum præcipuè ad alieni obstinationem ingenii emolliendam medicatum. Unum in tanta membrorum mutatione Limacis nomen appositè retinet, qui limosam, inertemque indolem non mutavit. Similis ultio Bruchum vertit in eru-

Limax in bestiolam sui nominis.

Bruchus in erucam.

in erucam. Atque ut in illam degeneraſſe furem ſentias ; alacres ad furtum digiti in multiplices pedes , prærepti flores in verſicolores maculas tranſeunt. Adeo verò depravatæ conſuetudinis tenax eſt hominum genus, ut etiam num mutato corpore multati fratres ad corrumpendos hortos priſtina aviditate ferantur. Et quanquam per nocturnas umbras ſuis quærunt inſidiis impunitatem : ea tamen irrogata eſt pertinaci vitio inevitabilis pœna , ut ſuo ipſum ſe prodat indicio. Limax ergo ſalivario ductu , eruca verò ſemeſa præda ſupernè relicta latibula commonſtrant. Efficaci vindicis Floræ indignatione nocentiſſimos homines ridiculas in beſtiolas deformatos non ſine riſu demiratæ ſunt Floram de more conſectantes Nymphæ quatuor , quæ ſingulas quadripartiti anni partes peculiari non magis fructu, quàm flore diſcriminant , floreoque annum diſcrimine in unam veris æterni faciem colorant. Ipſæ hortenſium odorum vagulæ prædatrices, decentium florum garrulæ adulatrices Auræ prodigioſo ſpectaculo defixæ ſuſpenderunt volatum , & ſibilum. Unus tamen Zephyri fraterculus , inter ventulos puſillus puſio , libratis repentè pinnulis , intentoque tragicum in prodigium digito ridibundus monitor pauca hæc inſuſurravit. Si fabula tam ſeverè animadvertit in hortenſes reos : quam illi ſeriam

vindictam non pertimescant? Hæc habui, quibus & fures monerem, ut floribus abstineant; ne turpiùs, quàm eruca, fustibus versicolores fiant: & colonos hortarer, ut pari diligentia & fide hortos colant; ne limacis instar nudi, ejecti, mendiculi parcissimè victitent succo suo.

Arma

Arma Hortensia.

CAPVT V.

NEque miles, neque colonus inermis esto: sua cuique arma sunto: illi bellica, huic pacifica: illa cruorem, hæc florem eliciunt. Hæc igitur, quamvis agrestia, magnifacienda, & sedulò comparanda sunt. Breve scilicet bipalium unum, uncias novem longum, latum sex, probè acuminatum: ut areolarum angustis limitibus interjectum solum, cum res exiget, citra lateritii munimenti injuriam expeditè fodiatur. Bipalium.

Item palæ duæ, quarum altera obtusior (sive ea quadrata, sive cuneata figura sit) usitatas extrahendi, reponendique partes expleat: quadrangula altera, & in aciem desinens præacutam herbulas confertim copioséque in ambulationibus provenientes latè succidat. Palæ.


Gallicum è perpetuo ferro minimè dentatum rastrum, sive hortensis radula una, semitarum percommodè eradendis herbis hoc artificio fabrefacta. Lamina è ferro, ex quo falces conflantur, palmum lata, quatuor digitos alta, supernè nonnihil crassa, decrescente paulatim crassamento in aciem extenuata leviter incurvatur. Ligneum longitudine circiter bicubitali manubrium inditur in anulum ex lamella ferrea in semet flexili, decussatim divaricata, rastriq; tergo affixa rotundatum, Rastrum Gallicum.

è medio

è medio ſummi raſtri prominentem, modicéque reſupinum. Hoc inſtrumento ita ſemitas cultor exherbat. Correpto utraque manu manubrio, ſtans aciem herbido ſolo preſsim applicitam trahit ad ſe, averſoque inceſſu recedens malas herbas ſuccidit, ac ſternit, & veluti fugiendo vincit. Noſtrate autem pala raſtrum hoc magis ex uſu eſſe ipſe uſus oſtendit. Illa enim non adeo leviter ad cæſionem impelli poteſt, quin ſolo ſæpè ſuffoſſo planitiem lædat: hoc innocenti tractu ſummam terræ cutem ita decerpit; ut, malis tantùm herbulis, prominuliſque ſaxulis corraſis, æquata ſemitarum glabreta æquiora & glabriora reddat. Illa præterea ſupino poſitu, motuque lentiorem navat operam: hoc prono, penituſque in opus incumbente corpore quicquid inutiliter & nocenter eminet, corradit ſimul & converrit. Ubi verò ſatis congeſsit herbarum & ſordium: ſparſim relictis congeſtitiis cumulis, alia opera aſportandis, ſuam adurget æquabilem raſuram. Idcirco planiſsimum eſſe oportet ita purgandum ſolum: alioqui enim minùs utiliter adhiberetur id raſtrum, quod malè natas herbulas locis eminentibus ſuccideret, ſubſidentibus tantùm delamberet.

Trullæ


RASTRVM
GALLICVM



Trullæ prętereà fabrorum parentur majuſculę duę: altera exacutior, qua ambulacrorum herbulæ carpturam vulſuramque ipſa tenuitate fugientes abraduntur: hebetior altera, qua terra minus altè convertitur, quaque leviter ducta, reductaq; complanatur. Alia itidem trulla minuſcula tum ad fodiendum in arcto, tum ad minimas radiculas refodiendas. Inter hortenſia quoque utenſilia numeratur ovato lanceæ ferro perſimile ferreum inſtrumentum unum, duodecim aut paulò plures palmi Romani uncias longum: ubi medium maximè patet, duas uncias cum ſemuncia latum: acumine in ſemicirculum retuſo, eodemque ad expeditam foſſionem, quàm reliqua ſit pars, tenuiore: ligneo manubrio priorem in partem, ut in trulla fabrili, exporrecto: ad radices præſertim aridas ſubruta humo innocenter eruendas perutili Belgarum invento in primis accommodatum, ut meritò à deplantandi uſu Gallicum nomen invenerit. Cultellus unus perbrevi, craſſaque lamina, mucrone retuſo atque devexo, quo malas herbas adultiores aut areis, aut ſemitis pertinaciter hærentes radicitus eruamus. Paxillus præferratus unus, qui paria per intervalla adactus ſcrobiculos faciat floriferis bulbis minimo labore collocandis. Vas irriguum unum ſic ex ære cyprio formandum. Venter capax in depreſſiorem figuram conglobetur: anſa verſatilis annulato ex utraque

Trullæ fabrorum.

Belgicum deplantandi inſtrumentum.

Cultellus.

Paxillus præferratus.

Vas irriguum.

me-

media parte labro inseratur: rostrum duplex pandum atque multiforum utrinque promineat; quorum altero laxiùs, altero angustiùs perforato, prout usus exiget, humor floribus irrorabitur: oris autem patentissimi media tantùm pateat pars, unde vas possit impleri: extrema utraque superinductæ laminæ obice obturetur, ne in irrigationem declinatum cum innoxio stillicidio immodicam pluviam superfundat. Hæc etiam in hortensem supellectilem opus sunt, navia, sive alveus ligneus unus in scaphæ modum carinatus, intritæ cæmentisque in ædificio, terræ sordibusque in horto transferendis accommodatus. Scopæ plures, quas ad everrendum sine scalptura, expoliendumque solum Reatinus præsertim ager idoneas mittit ex Indici milii geniculatis culmis, in paniculas molliter hispidas capillatis. Peniculi vel setacei, vel siliginei plures, munditias facturi summis laterculorum pulvinos circumstipantium oris, quas aut recens pastinatio pulvere, aut nimbosus imber luto respersit. Lignea purgamentorum capsula manubriata una. Vehes item lignea una, bipes, unica rotula antica, geminoque manubrio postico trusatilis ad majorem terræ vim ultro citroque comportandam, sive etiam ad copiosa hortorum purgamenta exportanda. Regula lignea una, cujus æquabili tractu areolarum tumor coæquetur. Graciles arundines pluri-

Navia.

Scopæ.

Peniculi.

Capsula purgamentorum.

Vehes trusatilis.

Regula lignea.

Arundines.

rimæ, quæ tum ad caducorum adminicula, tum ad notabilium indicia florum, ut facto opus erit, concidantur. Tubi fictiles aliquot, latitudine palmares, paulò productiores longitudine, ut eas singuli plantas circunsepiant, quæ de terra in terram translatæ, tantisper, dum coalescant, subdiales debent quidem esse, non tamen apricæ; ne insolatione exaresçant. Testæ item florales aliquanto plures, quàm loci captus ornatusve postulat; ut, si fortè gelu pruinisque, seu quo alio casu earum aliqua dissiliat, statim possit vicaria suffici. Sed, ne casibus, offensionibus, frigoribusve illæ fragiles sint, è laudatissima creta figulari, quæ videlicet exalbescat, sive ad flavum colorem inclinet, seu potiùs ex flavo viresçat, fingantur, validéque excoquantur. E rufa, sive leviter incocta argilla fictilia vasa in hortos ne admittantur: quòd ista nimis humentem cum semper humum conservent, concreditas radices plerunque vel corrumpunt, vel emaciant. Crassitudo requiritur minimùm pollicaris: ne florum fibras penetrans sol, aut frigus exurat. Forma placet globosa, modicè humilis, ore patula, brevi collo leviter substricta, ventre turgida, pede lata. Humilitas enim nec longiore per hiemem umbra officiet assitis floribus, nec prospectum impediet: capacitas verò largiore gleba semen ipsum complexa ab æstu, bruma-

Tubi fictiles.

Vasa florialia.

maque defendet; ac præstabit, ut idem latè diffusis fibratis capillamentis in agnatam sobolem, in florulentam familiam felicissimè luxuriet. Item scabile parvum unum, satori, runcatorique inter opus sessuro percommodum, quaqua versus palmare, sed in summo uncia minùs latum; totum contabulatum etiam in imo, ut quancunque premet semitarum partem, æquato pressu condenset, & coæquet; ex uno tamen latere semiapertum, ut capsulæ instar peniculum, trullam minusculam, sive quid aliud minutum utensile recondat. Cistulæ inæquales tres: prior minima instar pateræ plana, in præcocium penuria florum donaticas primitias oblatura: mediocris alter paulò laxior atque altior in uberiore proventu idonea: tertia denique reliquis capacior in uberrimo usurpanda. Orbes viminei complures una cum structilibus florum donis subinde mittendi, ac subinde reparandi; ut subitarios in usus habeantur in promptu. Cribra tria, quorum duo ex ære cyprio filatim extenuato sic reticulata sint, ut primum plagis mediocriter raris grandiusculam & exceptitiam bulbis; alterum minutis maculis prætenuem & secundariam radiculis terram incernat; tertium verò per ejusdem æris laminam densissimis arctissimisque foraminibus distinctam tenuissimum & cribrarium pulviscu-

Scabile.

Cistulæ.

Orbes viminei.

Cribra.


lum transmittat, seminibus levissimè obruendis.


Item

Item laterna una contra nocturnas quà hominum, quà beſtiolarum inſidias facem prælatura. Laterna. Muſcipula una, vel plures pro murium hortos infeſtantium copia. Muſcipula. Theca ferramentorum una, forficulis & cultello inſtructa; illis, ut florentes cauliculi bellè attondeantur; iſto, ut crenarum notæ in indicibus taleis, vel arundinibus incidantur. Theca ferramentorum. Falcula una, qua hortenſium fruticum inutiles ramuſculi amputentur. Falcula. Serrula una, qua ramuli duriuſculi deſecentur. Serrula. Cos olearis ferramentis exacuendis una. Cos olearis Tesseræ. Lamellæ plumbeæ plurimæ, numerorum characteribus diſcriminatæ, conſitis inſigni flore vaſis potiſſimùm præfigendæ: aut certè pro plumbeis arundineæ vel ſurculaceæ teſſeræ compluſculæ, quales paulò ante deſcripſi. Lineum filum. Præter hæc lini glomus, Funiculi. funiculus multiplex, Vimina. ac diverſi generis vimina in varios, frequenteſque uſus neceſſaria ſunt. Tubus ferreus ad plantas transferendas. Reliquum jam eſt, ut innocenter eximendis tranſducendiſque cum hærente humo, dum adhuc effloreſcunt, plantariis habile inſtrumentum præparemus. Lamina ferrea ſubtenuis ad lentam infragilemque duritiam temperata in tubum adapertilem rotundetur, cujus diameter in latitudinem pateat uncias circiter ſex, decem & octo in longitudinem. Sed quà tubus adapertilis eſt, altera laminæ ora tres itidem è ferro fibulas, pari diſcretas intervallo, ſummam me-

diam imam exporrigat : quarum singulas binis alterius oræ fibulis sic medias inserat, ut ferreo radio stylove trajectis nexisque simul universis tubus in orbem concludatur. Habeat idem præterea geminas utrinque ansulas, ad inoffensam tractationem lævi rotunditate tortiles, supraque summam oram eminentes, aut latiore in semet volumine convolutas. Ansulæ, fibulæque tubo ipsi clavulis affigantur. Denique os summum, ne deprimentes acie vulneret manus, in recurvum labellum hebetetur : & oris imi acies ad penetrandam commodiùs humum perbenè excitetur.

Hujus-



TVBVS
FERREVS
AD
PLANTAS
TRANSEEREDAS



Hujuſce verò inſtrumenti uſus hic eſto. Deplantandæ plantæ folia floremque, ſi is exiſtat, in rectum manipulum citra injuriam, citra preſſuram molliter coacta medio tubo inſerito: tubum ipſum, prehenſis utraque manu anſulis, æquo niſu infra extrahendæ plantæ fibras, quantum aſſequi conjectura poteris, in terebræ modum defigito: defixum extollito: in foſſulam deponendæ plantæ deſtinatam & capacem, ſeu trulla tunc faciendam, ſeu potiùs hoc eodem ferreo tubo priùs excavatam ipſum tubum demittito: radium eximito: ſolutum dehiſcentemque tubum educito; qui plantam ſuis cum floribus, cumque compreſſa humo illæſam atque integram relinquet. Tum, ſiquid diſtet, hoſpitale ſolum bellè applicato: ut preſſiùs adhæreſcat, modicè irrigato. Aliud eodem uſu gemellum, conformatione diſpar deductum è Gallia inſtrumentum, deplantandis transferendiſque vivis ceſpitibus accommodatum ſic fiet. Ferrea lamina longitudinis circiter palmaris eatenus imbricatim incurvabitur, quoad quinque aut ſex digitorum hiatu pateat. Acies tum infra, tum ex obliquo bene exacuetur. Manubrium figetur à tergo itidem ferreum, ab imbricato inſtrumento ſtatim retrorſo ſinu falcatum, recto denique radio in ligneum capulum inſerto tractabile. Hunc autem extractorium imbricem ſic uſurpabis.


Imbrex ferreus extractorius.

E gemino cespitis latere totum imprimes : aut dextera manu falcato manubrio , sinistra verò ligneo capulo arrepto terebrans eousque versabis, donec probè circunsectum exemptumque cespitem intra imbricatum alveum reponas; &, quò destinaveris, transducas. Adeo ferreo seculo ferraria floret ars : ut ipso cum pigro solo, cui radicitus affixi sunt, flores doceat huc illuc facili miraculo peregrinari.



Hocce

IMBREX FERREVS EXTRACTORIVS



Hocce mutum instrumentum hortis rite colendis parare; hocce in proxima cellula tanquam in armamentario, suis digestum locis custodire oportet. Id genus arma statim ab opere, quicquid pulveris sordisve contraxerint, detergito: ne rubigo, ne situs sine dente corrodant: utque præclaro labore defuncta nitidæ cessationis præmio splendescant. Ferramenta usu nonnihil hebetata ad cotem exacuito: rubiginosa ad hortensem arenam & palæstram oleo inungito. Minutiora instrumenta assamenti paxillis rastelli modo eminulis suspendito: ut oculis manibusque obvia ex inerti suspendio ad motum opusque facilè reviviscant.

Promptuarium. Instrumentorum cura.

Terra Floralis.

CAPVT VI.

MOnet me jam tempestivè canorum illud oraculum, Non omnis fert omnia tellus, ut doceam, quamnam terram totius anni vernaferacitas florum prole pulcherrima parentem faciat. Emmanuel Suertius Batavus in præfatione perbrevi, quam Florilegio suo, sive nudis florum imaginibus præscribit, justæ magnitudinis fossam excavari jubet: in ea fossa fimum bubulum, vel tunsos quernos cortices, quibus usi sutores fuerint, cum solo bono nigroque miscere;

Emmanuelis Suertii terra factitia.

ri ; idque sæpius intra annum bipalio converti, ac fossione iterari : subnascentes præterea herbas identidem eximi. Ita præparari affirmat habile circumacto anno floreæ sationi solum. Verùm ego (nisi id genus terram Batavæ oræ temperies quærat) universis incommodam & periculosam hortis existimaverim: tum quòd sola versatio atque iteratio non potest unico anno lætamen adeo resolvere, ut in terram degeneret nullis reliquiis stercorosam, nec præpinguem, hoc est bulbosis excipiendis radicibus temperatam : tum quòd è quernis præsertim corticibus levior atque imbecillior, quàm quæ à bulbis exigitur, humus factitia præparatur. Sunt, qui singulas terras singulis seminum generibus maritent: atque hoc pingui solo, illud macro; hoc denso, illud raro ; hoc sicco, illud humido committant. Sunt, qui Hyacinthos cinere, Tulipas sabulo terræ permistis obruant, fragilesque Anemonarum radiculas putribus arborum frondibus truncisque in factitiam & mollissimam humum resolutis ita in florem erupturas tumulent : ut, quod olim tumulatis antiquitas voce precabatur, ipsi re meliùs præstent; illud nimirum, Sit tibi terra levis. Equidem multiplicem istum, curiosumque terræ delectum sicut non improbo, sic ejusdem adhibendi author sum nemini : cum paratiorem, utilioremque glebam indagator optimus, recentior usus invenerit.

Non ubique utilis.

Suum cuique plantæ solum.

Minimè necessarium.

nerit. Terrenum igitur sativo flori utile nec pingue sit, nec macrum, sed ex utroque æquata mediocritate temperatum: quia nimio succo & pinguitudine fermentata radix, ut in agnatas radiculas subterraneas ingloriaq; fœcunditate soboleſcit, sic ſterileſcit ad flores, laudatiſſimum alioqui ſcapum, & publica luce digniſſimum, quà numeroſo, quà grandi flore coronatum enixura. Genitales enim obrutæ radicis partes pinguiſſimi ſoli tepidiore complexu illectæ, alimentoque largiore turgeſcentes vim fermè omnem in primum adnaſcentium tuberculorum puerperium effundunt, ad ultimum ſpecioſi floris fœtum effœtæ. Cæterùm ſiccaneus etiam & macer ſabulo, ut qui nutritio humore deſtituitur, neque alere matricem plantam, aut fœcundare; neque teneram floream prolem educere, aut lactare poteſt. Quamobrem una ſupereſt floriferis apta ſeminibus excipiendis mediocris humus, quæ parciore ſucco præmaturè luxuriantem fœturam coërcet, donec ſeſe totam efferat in denſiſſimi floris tempeſtivam fœcunditatem. At cur tam fertilis eſt, cur floribus planè aurea terræ mediocritas? quia videlicet laxitatem, ac ſpiſſitudinem; ſiccitatem, atque humorem; levitatem, gravitatemque, adverſantes invicem qualitates media temperatione ita continet fœderatas: ut ſuperiores terræ partes inferioribus modicè reſpondeant. Id autem ad aëris, rerum omnium generationem calo-

Quænam terra floribus aptiſſima.

Theophraſt. de cauſ. plant. lib. 2. cap. 6.

calore, atque humore quàm maximè juvantis habitudinem propius videtur accedere. Ejusmodi ergo solum à Theophrasto summopere commendatum satis solutum erit, ut & radicibus facilem præbeat meatum, & imbribus, ac radiis altè penetretur: leve, ne satus opprimat: humectum, ut enutriat. Quoniam verò ut hominum, sic terrarum arcana indoles in apertis eminet indiciis: ideo florum fertile solum, ne quid inepto delectu peccemus, sensilibus se prodit argumentis. Est igitur aspectu pullum: tactu molle ac leve, si aridum sit: sin aqua consperſum subigatur, modicè glutinosum: gustatu quoque subdulce, si ex ea parte agri, quæ maximè displicet, glebam in fictili vase dulci aqua madefactam, ac more fæculenti vini diligenter colatam judicio saporis explores: olfactu denique suave. Et suavis quidem odor, cum principum qualitatum ad optimam corporis constitutionem conspirantium veluti amicus quidam & socialis halitus sit, feliciſſimam in solo temperiem indicabit. Quare juxta sagaci, atque eloquenti M. Tullio gratiora videbantur unguenta, quæ terram, quàm quæ crocum saperent. Oraculum geminat altera sapientiæ cortina, alter Plinius, qui de terra odorem optimè judicare affirmat: quærenti verò quanam in terra odor iste sit, cui comparari suavitas nulla possit, talem ferè esse subjicit, cæsa vetere silva in novalibus. Ut mirandum nemini

Ibid.

Ejusdem indicia.

Colum. l. 2. cap. 2.

Plin. l. 17. cap. 5.

Pallad. l. 1. tit. 5.

l. 3. de Orat.

l. 17. cap. 5.

mini sit, floreos terræ filios non paucos odoratos esse: matrem enim olent. At verò languida dulcitudo graciliorem pinguitudinem sapit. Etenim, cum pinguia calore humorem decoquente exuberent, subdulce solum subpingue ac temperatum esse necesse est. Ad hæc tractabilem mollitiem humoris mediocritas, caloris temperatura leve pondus, pinguedinis modus modicum aquæ aspersum lentorem in terris efficit. Denique cum jejunum solum frigore palleat, saginatum calore nigrescat; pullus color percocta nigredine dilutior caloris cum terrestri siccitate parcum humorem penitus permiscentis addensantisque temperiem significat, simulque medium quendam inter crassum tenuemque soli habitum commonstrat. Quòd si malumus optimam floreoque satiorem operi terram unico miræ multiplicisque significationis vocabulo describere, tenerrimam cum Catone appellabimus. Hac enim una appellatione, quicquid in illa exigi optarique potest, Plinio interprete, continetur. Hæc una temperatè ferax, mollis ad cultum, nec madida, nec sitiens demonstratur. Sic præterea soli mediocritatem ex veteri disciplina explorabis. Scrobem effodito: egestam humum regerito, & recondito. Si superaverit, pinguis erit: ut quæ aërio caloris, humorisque tanquam fermento turgescit. Si subsederit, macra: quòd frigoris ac siccitatis terre-

De re rustic. c. 151.

Lib. 17. c. 5.

Colum. l. 2. cap. 2. Pallad. l. 1. tit. 5.

terreno pondere deprimitur. Si æquata convenerit, mediocris: extremis qualitatibus ut temperatione, sic loco in medium coëuntibus. Expressum quoque parentis exemplum filii sunt. Si plantæ decolores exilesque aboriantur, macram: si viridissimæ solitoque foliosiores luxurient, præpinguem: si modicè carnosæ sessilesque assurgant, attemperatam habilemque floribus humum significant. Sic denique varium terræ ingenium aqua exploratè dignosces. Liquore illimi bene lota humus si multum solvatur in limum: limosa pinguedo valde hortis accommodatam declarabit. Si plus aquosi madoris, quàm limi habeat: superfluus humor corruptioni opportunam, atque adeo infœcundam arguet. Si ceræ instar glutinosa tractantem pertinaciter remoretur: argillosa tenacitas ab altrice seminum vi attrahi contumax fundendis floribus avaram, ipsa quoque pressior adhæsio semina strangulans nocentissimam indicabit. Rimosam verò in primis fugies: ne radices adobrutas sol admissus exurat. Quòd si citra superstitionem certo auspicio sive tripudio auguralem conjecturam facere placet: illa temperatæ ubertatis, faciliſque culturæ habenda est humus, quam recens effossam volucres quærunt, rostroque scalpuriunt: pinguis enim tellus vermiculorum pabulo invitat. Id ego terræ genus ex olitoriis hortis accersendum advehendumque esse aio: quòd licet

Constant. Pogonat. l. 12. c. 3.

Olitoria optima.

licet annua ſtercoratio ſaginaverit; diuturna tamen tum inſolatio, tum irrigatio macerarunt, nutrita quoque olera nonnihil emunxerunt. In hoc autem olitoriæ terræ unico genere permulta eſt invenire diſcrimina, & veluti qualitatum gradus: ut pro ſeminum radicumque varietate variam ex hac fodina terram petere, qui velit, poſſit. Hinc enim alia pinguior, alia macrior, alia ſolutior, alia ſpiſſior, alia ſiccior, humectior alia, alia levior, alia gravior in florum uſus effoditur. Liceat hìc mihi per delicatas atque emunctas lectorum nares de fimo terram lætificante paucis agere. Res enim alioqui olida inter odoratos hortos, ut ſpero, graviter non olebit. Non eſt animus (quod tamen Theophraſtus, M. Cato, M. Varro, Columella, Conſtantinus Cæſar Pogonatus, aliique graviſſimi fecere ſcriptores) in fimetis varia genera graduſque præſtantiæ contemplando perdiu immorari: ſed, quæ fœcundis è ſordibus magis proderunt, curſim luſtrare dicendo. Igitur de optimo ſtercoris genere nihil habeo definitum ac certum, quod afferam: quia neque priſcis ſcriptoribus, neque recentibus colonis de ejuſdem primatu inter ſe convenit. Nam quod hominum eſt ab antiquiſſimis cultoribus, Theophraſto teſte, utpote acerrimum, præferebatur. Caſſius autem apud Varronem, Quintilii apud Conſtantinum Cæſarem Pogonatum, nec non Columella columbino

Fimus hortenſis.

De hiſt. plant. lib. 2. cap. 8.
De re ruſt. lib. 1. c. 38.
De agricult. lib. 2. c. 19.
De re ruſt. lib. 2. c. 15.

bino tribuunt principatum : quia præfervidum est, humumque fermentat. Quare columbinum fimum in pratum, vel in hortum, vel in segetem spargi oportere rusticæ rei urbanum oraculum pronunciavit Cato. At verò idem M. Varro ex animi sui sententia præstare asseverat merularum, ac turdorum fimum ex aviariis non solùm ad uber agrorum, verùm etiam ad boum, suumque saginam. Lautiùs enimvero, quàm agris, ac belluis, consuluit colonis genialis iste doctor, cum turdos, ac merulas in hortensis culturæ consortium congregavit. Et plures (opinor) & pinguiores hac ætate colonos haberemus, si turdis, ac merulis horti pingueſcerent. Primus quoque asino honos à Columella in hortis lætificandis perhibetur: quoniam id animal lentissimè mandit, ideoque faciliùs concoquit, ac bene confectum, minimumque herbarum creantem fimum reddit. Non pauci sunt, qui equinum magnificant : tum quòd bono conficiatur pabulo, tum quòd vulgò atque utiliter ut leviſſimus usurpetur. Alii bubulo favent: quia mitiore terram calore fœcundans posita semina non exurit. Bubalinum alii celebrant: quia nigram ac levem terram, nempe sationi commodam facit. Nullum denique sterquilinium est, quod suum non habeat patronum ac vindicem. Usque adeo sapientissimi viri non de lana caprina, sed viliore de re digladiantur. Me quidem

De re rust. c. 36.

l. 2. c. 15. & l. 11. c. 3.

in

in tam lutulenta palæstra pugnare non delectat. Unum ajo, spectandum esse in stercoratione cujusque soli habitum: eum cuique terræ fimum præstabilem habendum esse, qui quanque valde fœcundet, hoc est apta permistione calefaciat, & resolvat, succosiorem quoque, laxioremque reddat, ut altricem faciliùs aquam exorbeat: ita pro multiplici terrarum varietate varia lætaminis genera posse optima judicari. Quin etiam cum antiquis, novisque cultoribus censeo, si quocumque fimo deficiantur horti, congestas frondes, ac stipulas, atque ipsa, quæ macerari possint, vel terræ vel aquæ purgamenta fimi vicem aliquatenus exhibitura. Cæterùm ad hortorum ubertatem ex veteri instituto duplex fiet, aut certè unum bifariam divisum sterquilinium; ut sit, ubi recens fimus macerandus reponatur, & unde vetus jam putris in hortos exportetur. Idem ab hortensi consepto modicè aberit; ut sit floribus fertili pinguedine juvandis proximum, à floreis odoribus gravi lædendis halitu satis remotum. Extructum pavitumque solum habebit, ne transmittat humorem, quo fimi vires continentur, & interjecta stramentis aut paleis spinarum, vel graminum semina herbidos hortos cæteroqui redditura intereunt. Ad hæc vel opaco & secluso situ, vel superpositis virgeis cratibus à vento, & sole vindicabitur; ne succum, quem terra quærit, ille exiccet, hic exugat.

Sterquilinium duplex. *Cato de re rustic. c. 29. Varro de re rust. l. 1. c. 13. & 38. Colum. l. 1. c. 6. l. 2. c. 5. l. 11. c. 2. Pallad. l. 1. tit. 33.*

Itaque, si possis, ut eò aqua influat eo nomine facies. Nova præterea per æstivos menses luna non secus, ac si repastines, fimum rastro aut bipalio permiscebis, & comminues, ut is æqualiter computrescat. Recentissimo abstinebis: quia bona semina perurit, & malas herbas progenerat. Anno requietum, jamque flaccidum, si cum plerisque idoneis authoribus sentias, robustioribus plantis adhibebis: quia vires adhuc solidas habet, ut hortensem adjuvet fœcunditatem. At verò, si Pogonatum Cæsarem audias, fimum anniculum cavebis, quem ille non inutilem modò, sed multis etiam nominibus noxium, atque eo præcipuè censet, quòd innumerabiles bestiolas & serpentes creat. Verùm, & si vetustiorem minùs prodesse veteres existimarunt, idem tamen Pogonatus, atque adeo diuturna experientia edocuit, trimum, aut etiam quadrimum tenerioribus præsertim floribus tutiùs admoveri: longinquo enim tempore, quicquid fœtidum erat, expiravit; si quid durum, flaccuit. Quocunque tempore lætamine lætificandi fuerint horti, curabis ut aspirante favonio, lunaque silente sive decrescente, ac sicca fiat: hac enim observatione humus minimè herbescens fertiliùs efflorescet. Illud quoque moneo sedulò cavendum, ne, nondum attenuato absumptoque fimo, terra floribus obserenda stercorosa sit: quia recentis simi tabificus æstus attactus-

Perfecti fimi ætas.

Agricult. l. 2. cap. 19.

Spargendi tempestivitas.

Terra stercorosa floribus cavenda.

tactuſq; depoſitos bulbos adureret, aut putrefaceret. Scio eſſe nonneminem, qui duos infra palmos caballinum fimum ſubſternat, cujus opportuno halitu bulboſæ radices ſuperinjecto in ſolo poſitæ ad præcocem florum partum incaleſcant. Adeo ab inſuavi ſuffimento verna ſuavitas properatur. Verùm ego in hoc noſtratis mundi tepore ſupervacaneam cenſeo ſtercorariam ſuffitionem iſtam: eam ſalubriùs uſurpent frigidiores, ac prę ſertim aquilonares horti, ne materna intra terræ viſcera florum matrices penetrabili frigore perurantur. Quinetiam (quo minimè præſidio indiget Romana quà temperies, quà fœcunditas) gelidæ regionis cultrix induſtria per ſummum ſolum ſparſo calidæ efficacitatis fimo noxia gelicidia vel omnino defendit, vel quadantenus mitigat, vel facilè regelat. Huc alterũ adde non contemnendum emolumentum, quòd, intra terræ rimulas cum pluviis aquis percolata fertilis fimi pinguedine, annuo partu fatigata hortenſia culta non mediocriter refoventur. Quanquam id fomenti menſe Martio, cùm longiores dies recaleſcunt, providi cultores amovent; ne vitiet inferveſcens obrutas radices. Ut autem aſſiduo diuturnoq; partu exhauſta tellus ad floridam fertilitatem juveneſcat; ſexto minimùm quoque anno, veteri emeritaq; unius, alteriuſve palmi humo egeſta, atque, ut iterata ſtercoratione pingueſcat, ad olerum ſeminarium revecta, junior & ſuccoſior ex olitorio agro,

Subſtratus ac ſuperfuſus fimus alicubi ſupervacaneus.

Quoto anno mutanda terra.

ut paulò priùs dixi, congestitia substituatur: parentis enim terræ jam effœtæ anilitas emaciatam parit, ac degenerat floream posteritatem. Sed quoniam laxiores horti plus exigunt operæ ac laboris; unius anni difficile ac permolestum negotium sic est in plures tribuendum, ut hortorum aliqua singulis annis pars recenti humo renovelletur. Prædicta olerum altrix humus non bulbis modo, atque anemonarum radicibus; sed caryophyllis etiam, rosisque lectissimis, necnon arbusculis, fruticibusque floriferis, minutis denique seminibus commoda est: dum tamen hisce postremis, ut in loco mox dicam, tenuissima incernatur. Monet igitur callidissimus magister, usus, una oleribus priùs consita tellure omnia florum genera, tanquam oleraceæ ubertatis decus & præmium, felicissimè progenerari. Nam fama est, sive fabula; gemellæ enim sunt, ac simili sæpe vultu fallunt: fama, inquam, sic fabulatur, paucos ante annos, cum, ferreo abrogato, floreum seculum suo Flora de nomine condere, opiparoque convivio condire vellet, ad florales hortos priscæ fabulæ numerosam sobolem, Deos omnes per blandissimum apparitorem Zephyrum accitos convenisse. Eminet in hortensi meditullio spatiosa porticus & pervia, Apolline Dædalum agente ac facilè superante magnificentiùs, quàm Troiani muri, labor itidem Apollineus, excitata. Etenim aureis columnis ordine duplici surgen-

Telluris perorantis fabula.

Porticus convivalis.

surgentibus & validè fulcitur, & nitidè coronatur. Corinthiæ venustatis argentea capitella flexibili acantho, ut hortensem decet architecturam, folioſa sunt. Argenteæ pariter baſes, principum hortorum gemmea deſcriptione, fidelique mendacio teſſellatæ pretiosè vernant. Longum eſſet imitamenta ſingula breviter enumerare. Ut è compluribus pauca, quæ ſuccurrunt, à remotiſſimis regionibus ducta narratione recenſeam: illic viſitur barbarica opulentia conditi Bizantii viridarii ornatiſſimum ſimulacrum, non Othomanica modò barbarie ad florum cultionem, ſed ipſa etiam ferme indomabili gemmea duritie ad eorundem imitationem manſueſcente. Illic gemmarum omnium diſcolori fulgore florentes Hiſpanorum Regum inter odoratas auras à regiis curis reſpirantium Toletanæ deliciæ ſimulantur, quas non minùs aurifer vero fictus Tagus, quippe qui ſolido conſtat ex auro, congruenter irriguus interfluit: gemmeis enim hortis decora eſt aurea irrigatio. Illic Brabantinorum Ducum magnificentiſſimis ædibus adjuncta Elyſia Bruxellæ conſepta, magnam urbis pulcherrimæ partem continenti muro complexa minutiſſimæ commiſſuræ ſplendida brevitas ita exæquat, ac ſimulat; ut ficta veris, & parva magnis compoſita non invideant. Gallorum illic Regum Pariſienſes horti cæteris quidem floribus pretiosè gemmaſcunt,

Horti Bizantii Othomanorum.

Toletani Regum Hiſpanorum.

Bruxellenſes Brabantinorum Ducum.

Pariſienſes Gallorum Regum.

sed regalibus Liliis illustriùs aurescunt. Proximus his crystallini Sequana liquoris licet ex gemma rigeat, ad obsequium tamen artifici fraude emollitus Regios flores allambere & colere videtur.

Viennenses Cæsarum. Nec minùs felici fallacia Viennense ampliſſimæ amœnitatis viridarium, Austriacorum Cæsarum gloriæ coronariis & floribus & laureis fœcundissimum in gemmei contrahitur imitamenti miraculum.

Eystadienses. Ad hæc Eystadiensis veris læta species inter Germaniæ floret nives.

Salisburgenses. Neque hìc desiderantur Salisburgenses universa hortensi amœnitate inclytæ deliciæ, in Germaniæ quidem solo amplitudine mirabiles, sed in gemmeo simulacro ingeniosa contractione mirabiliores: ut jam non vetus malorum, sed recens bonorum Ilias suspiciatur. Hìc etiam totius anni verna formositas non modò multiplicis & fontis & lacus, verùm etiam allabentis Juvavii fluminis liquido limpidoque speculo decentiùs, quàm fontano liquore fabulosa Narcissi forma, geminatur. Hìc immistæ silvulis feræ, sine feritate veris simillimæ, innocenti mutoque venatu & unis capiuntur oculis, & oculos capiunt. Hìc effossus in theatrum saxeus mons veteris magnificentiæ montes edomantis spectaculum integrat sumptuosum. Hìc denique opulenti splendida majestas ædificij, ne perstringat aciem contemplantium, per circunfusa vireta gratior interlucet. Tu quoque Mantuana Gonzaga-

Mantuani. Gonzagarum Ducum.

zaga-

zagarum, Parmenſis Farneſiorum Ducum ſcena hortenſis, viridiſſimis coruſca ſilvulis, liquidiſſimis uda fonticulis, nitidiſſimis expicta floſculis, quà Mincij, quà Parmæ fluviali ambitu munita in diſcoloribus gemmulis compendiario artificio refulges: quod hortenſium omnium vaſto complexu deliciarum pretioſa voluptas niſi gemmeum in exemplar aptè contrahi non potuit. Illic etiam ex aridis horridiſque Apennini aſpretis floriferas undas evolvens Arnus, & gemmeus & veri gemellus, priùs Hetruſco Duci cumulata felicitate Magno, quàm Regi aquarum Oceano prodigè tributarius Florentia Tempe in hortenſem amœnitatem adeo fœcundat; ut amœniſſimæ urbis ipſum quoque fluvio quondam aſperſum nomen feliciſſimè jam florere faciat. In uno Neapolitanas delicias cumulante Caſertani Principis Hymetto fideliter effingendo vix habuit ars ab univerſis gemmis tam variam & verſicolorem lucem; ut vernos colores naturæ lectiſſimorum florum gemmantem ſpeciem explicantis æquaret. Cæterùm nihil ibi ornatius, quàm Romana floralia, quæ quamvis gemmato imitamento adumbrata clariſſima ſunt, quamvis in arctum coacta magnitudinem habent maximæ hominum admirationi parem: ſive ad portam Næviam & Neronianos arcus aquam Claudiam in Palatium olim derivantes Cornelia te mirabundum hoſpitem detineant,

Parmenſes Farneſiorum.

Florentini Mediceorum.

Caſertani Principis Aquavivæ.

Romani.

Card. Cornelii.

hoc plausu prosequenda, Venetum florem etiam Romanas ad aquas perennare. Sive Matthæia delectent, vbi Cælius mons amœnitate pæne dixerim cælesti vernat: ubi regia custos, gentilis Aquila, fabuloso Jovis contempto famulatu, in florea specula nidulatur. Sive Perettina te sustollant ad Viminalem non tam arduo situ, quàm hortensi gloria Montem pulcherrimè Altum: ubi familiaris Leo à Dominis & domicilio mite ingenium trahit, dum non in spelæis exulat, sed pro floribus excubat. Sive Pia invitent tum Pacis templo decenter apposita, quòd pacifera rident viriditate: tum cruentis olim spectaculis nobili Amphitheatro ingeniosè oppositа, quòd gemmea florum purpura innocentissimè cruentantur. Sive Farnesiana consideres ad flavi Tyberis liquidissimum aurum appositè sita: quia cælo concolor Farnesiorum flos aureo debet humore nutriri. Sive in veteri Hortorum colle Medicea oculos alliciant; quòd in ipsis pristina omnis ejus loci illecebra reflorescat. Sive proxima tum Ludovisia, tum Burghesia contemplere: illa domesticorum testificatione insignium purpura auroque florentissima: hæc amplissimi muri ambitu delicias amplexa universas, pretiosisque Hesperidum hortis multò attentiùs custodita, quòd vigili Draconi perspicacem Aquilam addiderunt. Sive in Quirinali fastigio conspicua suspicias tum Aldobrandina,

Matthæiorum.

Perettorum.

Card. Pii.

Farnesiorum.

Mediceorum.

Ludovisiorum.

Burghesiorum.

Aldobrandinorum.

na, quibus eò benigniùs, quò propius affulgent ſidera : tum Bentivola, vbi geminarum bis auſpicatum inſigne Aquilarum amœnitatis regiæ miraculum ſingulare præmonſtrat : tum Barberina ubi tanquam Romana in Hybla ſub Apum imagine ſuavitas Urbana mellificat. Verùm ut in eodem Quirinali, & Vaticano colle, ornatu majeſtatis pleniſſimo graviſſimæ provinciæ curis ſublevandis Pontificij eminent horti; ita imitatricibus auguſtiùs enitent in gemmis. Quidni enim coagmentatæ gemmæ, tanquam famulæ ſtellæ, à Romano ſole cum luce majeſtatem trahant ? Illic præterea ſplendida ſpecie, vt alibi re ipſa, cum formoſiſſima Urbe certant proximæ ac ſuburbanæ deliciæ, quæ in Faliſcis Balneariam, & Ciminiam Caprarolæ villam purpurea Conditorum gloria illuſtrant : quæque in Latio Tuſculum ac Tibur exornant, quarum illæ ambitu non ampliſſimo plurimorum Principum voluptati pares in patritiæ nobilitatis coloniam tranſierunt: hæ vero amæniſſimo, quà ſitu, quà opere ſic eminent, vt Romanæ majeſtatis olim Tibure ruſticantis veteres moles non ſua ipſæ magis multiplici ruina, quàm vna Eſtenſi magnificentia obruantur Ipſe Anio pulcherrimæ ſtructuræ admirabilitate ſuſpenſus, ſuique ad Romana miracula curſus frequenter oblitus totum præcipitantis vn-

Bentivolorum.

Barberinorum.

Pontificum.

Horti Balneariæ.

Horti Caprarolæ.

Tuſculani Principum plurimorum.

Tiburtes Eſtenſium.

dæ

dæ diluvium ad hortense diverticulum innocenter declinat, tantusque tamque vetustus fluvius in subsultim ludibundos fonticulos & siphunculos obsequentissimè repueraſcit. Noviſſima floret etiam in gemmis Franciſci Caëtani Sermonetæ Ducis voluptas nuper condita & conſita propter oppidum, quod amico floribus Ciſternæ nomine hortos pulcherrimos exigebat. Hæc circunſtantium columnarum aurea forma: hic argenteus, & gemmeus ornatus. Teſtudo ſapphirina, cæloque concolor, ſeu potius gemmeum cælum vitilium herbularum ambitioſos ramulos diffundentium textili è ſectilibus gemmis topiario ita conveſtitur atque opacatur, ut clariùs fulgeat. In pavimento denique ſmaragdino, herbida luce florido, diſcoloribus lapillis multiformes in areolas nitidè variato calcantur quidem opes opuſque nobiliſſimum, at non philoſophico Cratetis contemptu: manus enim pedibus invident contactus diuturni felicitatem. Hanc ego amœniſſimi horti mediam porticum pulcherrimam; ſi verbis audere tantum liceat, quantum rei dignitas vocabulis major poſtulat; appellare non timeam florei maris inſulam fortunatam. Poſtquam hìc cæleſtes convivæ ſuper inſtrata purpura diſcubuere, inuſitata epularum miracula in auream menſam inferuntur: ſinguli enim miſſus florei ſunt, in florum genera diſcriminati. Quare mirari primò Deorum chorus, & alius alium circun-

Ciſternani Caëtani Ducis.

Dapes floreæ.

Deorum allucinatio.

cunſpectare, quid ageret: deinde jejunum in riſum ora diducere, quòd in illa florea lautitia oculis tantùm naribuſque ſibi epulandum eſſe exiſtimaret. Tum Flora corridentibus, ſeſeque lepido aſtu deluſos opinantibus argutè ſubridens, Experiamur, inquit, an etiam palato ſapiant flores mei: roſamque aurea de lance ſummis digitis præcerptam, pulchrioriſque in roſetum oris inſertam ſcitulo preſſu morſicatim præflorans addit: Papæ! dum roſa hæc flos nectaris eſt, & flos ambroſiæ; præſtat apem eſſe, præſtat ſugere, quàm olfacere. Quas verò dapes ſibi magis decoras Flora, quàm flores vobis apponeret? Tunc enimvero ſenſere Cælites omnes in terris quoque ambroſiam eſſe Cælitibus ipſis expetendam, cujus cæleſtis ſuavitas epulari bonoque dolo terrenam formam ſubitura non potuit ſuavioris formoſitatis epulas, niſi flores, præſentare. Quis jam dicendo explicet ad agnitas peregrinas epulas Epularium aviditatem? Quis à guſtu eminentem in omnium vultu, atque adeo in feſtiviſſimis acclamationibus voluptatem! Illa omnium erat vox Deorum una: Si tam ſuaviter florerent horti; Deos omnes, acclinata majeſtate, ſemper in floſculis colendis ruſticaturos. Hic ad hilaritatem erugato regio ſupercilio Iuppiter, Cur, inquit, edulium deliciarũ alma parens Tellus pulcherrimos floreos fœtus artificioſis hiſce deteriores, utpote aut fatuo ſapore non appetendos,

aut

aut venenato succo fugiendos paris ? Responso aliquantisper expectato, nec accepto, Tellurem Iuppiter inter confertam convivarum multitudinem oculis diu quæsivit, nec inventam ut abesse cognovit, Et abest, ait, in florei seculi natalitiis magna mater florum ? Tum Flora, demiror equidem, inquit, non interesse disertè vocatam. Quanquam fortasse nec dum potuit : sua enim mole prægravis lentè festinat. Sed jam ego lentissimam gravitatem istam Archimede faciliùs efficaci machina incitabo. Ministrabant regali facie puellæ centum, Auræ leves agilesque, atque inter seduli ministerii laborioſos excursus recursusque odoratæ animæ tenera reciprocatione sine flabello flabelliferæ genialem convivii calorem ventilabant. Ex his natu minimam, ore argutulam, vultu roseam, crine auream, lacteoli corporis candidum jubar linea nebula castè umbrantem, pubescentibus per glabellos humeros versicoloribus pinnis volatilem, extimis tenellis plumulis tremula palpitatione lascivientibus ipso in otio inquietam Flora sic alloquitur : Age mea festivitas, mera pernicitas, mea motacilla, Aurilla, Tellurem Deam tardigradam, ubiubi gentium erit, investigatam incitatamque tecum huc quàm ocyssimè siste. Vix dum imperarat Flora, cum imperata ferè jam fecerat Aurilla. Vagulo enim volatu immensa terrarum spatia emensa jam erat : nec tamen in terris Tellurem inveniе-

Tellus absens accitur.

veniebat. Quacunque roſcidulas alas concutiebat, ſudum ver impluebat: quacunque halantem halitum anhelabat, extemporalem amœnitatem inhalabat. Deſperaverat poſſe præterea inveniri per amœniſſimos omnes quæſitam hortos: cum, ubi minimè rebatur, tandem reperit. In abdito ignobilique hortulo, variis oleribus liratim poſitis ordinatim viridicato Matronam proſpicit cruda viridique anilitate meliùs, quàm purpuriſſo, annoſum os fucantem interpolantemque; obeſiſſimam eam quidem, at ſedentario labore operoſam: phrygio enim opere vera olera mentiente matronalis pepli oras lactucis, & braſſicis; cæpis, & alliis, cæteriſque oleraceis imaginibus inſigniverat; ac tum fortè manum ultimam imponebat. Tunc Aurilla flabili murmurillo eloquenter eblandita facilè Telluri perſuaſit, ut nimiùm diu expectata præter morem molemque properaret. Jucundiſſimæ nuntiæ aſpirantibus hilarata blanditiis loci ejus olera omnia vultu viridiore riſerunt. Ipſa Tellus inſolito afflata impetu recens elaborato magnificè ſe peplo exornat; levique curru, quem curulis rapit leo, quàm citiſſimè provecta, peplum vibrante alludentis Aurillæ aſpiratione, in ſicco velificat. Interea, dum Tellus acciretur, eruditum Jovis nodum vicario Flora reſponſo expediverat: atque inter multa, quæ nunc referre non vacat, reſponderat, ideo formoſiſſimos terræ filios, florum pleroſque

Olitorio in hortulo inventur.

Cur florum pleriq. inſulſi, venenati, inodori.

rosque aut insulsos, aut venenatos, aut malè olidos, aut saltem inolentes fatua specie colorari: ut ne nimiùm colori credat coloratis præstigiis facilis capi mortalitas: utque non in herba solùm vanissimæ spei, sed in flore quoque breviſſimæ formositatis anguem latere condiscat. Quanquam erravi, nec opus habeo (inquit illa) cibariam hortensium florum suavitatem argutè dissimulare: quando flores omnes nectarei sunt, merumque mel, quod Apes ministræ sedulæ hominibus colligunt, & præguſtant. Quærenti præterea Baccho, quis amœniſſimæ indolis coquus suaviſſima illa cupedia in flores vernare feciſſet, cum Charitum artificio florida ea bellaria concinnata esse subjeciſſet Flora; pinguiſſimi ventris, & pinguioris Minervæ Deus præter expectationem acutè, Enimvero sic decuit, inquit: è manibus enim Gratiarum quid potuit aliud præter flores exiſtere? Verùm ubi se tandem in convivarum conspectum dedit optatiſſima Tellus, olitorij syrmatis textilem pompam trahens, omnium risu excepta jucundo spectaculo convivii lætitiam cumulavit. Flora jussam discumbere convivali urbanitate sic dicitur allocuta. Quamvis sera, tamen ades tempestiva, Omniparens mater. In tempore enim post florea mea fercula secundas ipsa mensas in ista oleraceo textu fertili veste attuliſti. Aculeato joco solito gravior Tellus pauca hæc, & seria. Illusa vilium olerum figu-

Telluris habitus ridetur.

Ejusdem pro se oratio.

figuris, ignobilique viriditate mihi atra & infelix veſtis hæc miſericordiam opemque implorat, Flora, non riſum & joca. Damnatæ parentis in vulgarium partum herbularum quidni paratus agreſti opere amictus concolor herbeſcat? Inani jam nomine ad ludibrium mater dicor omniparens; quando cinis & ſabulo, nempe ſterilis pulvis ad floreæ fœcunditatis gloriam eliguntur. Quid hoc artis eſt repugnare naturæ, terraque genitali relicta ſativas humani generis delicias è cinere arenaque demetere? Si placet floream ætatem diuturnam, ſtabilemque fundare: non levis pulviſculus, ſed ſolida tellus fundamentum eſto. Si quid merui olerum opportuno fructu, florum ubertas honoraria remuneret. Si patritiam inter Deos matronam oleraceo virore vulgaris palla dedecorat; veſtro Cælites ſuffragio, tuo Flora beneficio floridæ purpuræ nobile ſyrma condecoret. Audita Deorum omnium aſſenſu atque approbatione Tellus ſuam feliciter cauſam peroravit. Nam florali convivio ſoluto cæleſtis Senatus conſultum per vernum præconem Zephyrum in hæc verba recitatum eſt. Quod felix Floræ, bonum floribus, fauſtumque florum cultoribus ſit: cum, quod nimiùm diu non minùs in animorum indole, quàm in annorum nomine regnavit, ferrum longè lateque jam propagato florum cultui ſerviat; in floralibus Deorum omnium comitiis, Flora rogationem ferente, cætero-

De floreo ſæculo, deque hortenſi terra Cælitum, edictum.

terorum Senatu Deorum censente, ferreæ floream decoro, aptoque transitu nomenclationem subrogari placuit : & appellatione ferruginea detersa, à communi mortalium studio erga flores floreum seculum appellari. Illud præterea floriferorum hortorum coloni omnes inviolatè servanto, quod, magna matre Tellure ad eundem Senatum referente, sancitum est: ut, supervacanea cineris sabulique cum terra permistione antiquata, pura puta hortensis humus immisto pridem fimo jam putri, atque in ipsam terram transformato, frequentique olerum fœtu nimia pinguedine depasta, subpinguis progenerandis floribus usurpetur, atque olitoriæ fœcunditatis beneficio florida gratia referatur. Hoc tam jucundum tamque justum edictum genialibus comitiis peractis, ne cui florum studioso ignoraretur, Jovis Floræ gratificantis jussu à volucre cursore Zephyro singulis hortorum postibus præfixum est.

FLO-



FLORUM NOTÆ LIBER SECUNDUS.

Narcissorum notæ.

CAPUT I.



QUID hortorum cultori turpius aut etiam nocentius, quàm flores, nempe familiam suam, de facie non agnoscere? Nam quî suis quenque locis aptè disponere, atque educare possit; nisi lineamenta formasque distinguat? Et quanquam multiformes florum natales indiscreta specie,& concordi figura simillimi neque internosci: complures tamen sunt aut claro, aut certè obscuro discrimine notabiles, quorum, ut licuerit, notas persequemur. Neque verò hìc universos, sed eos duntaxat flores suis coloribus exprimemus, quos nostri exhibent horti; ut necessitati pariter, & brevitati consulamus. Illud

Cur flores colono prænoscendi.

Complures indiscreti.

Bulbacei plerique aut hyacinthi, aut narcissi. *R. Dodon. stirp. Hist. Pempt. 2. l. 2. cap. 18.*

autem præmonitos cultores volo, è bulbaceis floribus, qui plurimi antiquitati prorsus ignoti, atque anonymi coluntur in hortis, narcissos, aut hyacinthos ab erudita pleroſque posteritate censeri: & grandiores quidem ad narcissinum ordinem, minores ad hyacinthinum revocari. Nar-

Narcissi nomen unde. *Plin l. 21. c. 19.*

cissus à narce dictus, quòd aliena gravet capita, suum priùs prægravavit; cum fabulosus vmbræ suæ amator puer è fontani speculi sincero nitore malè sibi notus, atque è frigidis aquis tabificam flammam trahens, ex homine in caducum florem dilapsus est. Etiam nunc mutatæ formæ studiosus ore

Narcissus genere, & colore varius.

vernat multiformi. Aut enim simplici foliorum textura tenuior, aut multiplici habitior est. Nunc argenteo, nunc aureo pallore veteres curas præfert. Medius flos, quem ab imitamento calicem cum recentioribus in posterum appellabo, inter lactea folia aut suaviter concolor lacteſcit, aut splendidè decolor aureſcit, aut circa summam oram croco illitam lepidè rubeſcit. Sed quis coloris, magnitudinis, formæque inexputabiles varietates enumeret, natura cultuque ad assiduam novi-

Narcissus totus candidus flore simplici polyanthes.

tatem conspirante? Nostris autem hortis familiaris potissimùm est, qui colore totus argenteo suffunditur; ut à medio candido calice in pateræ formam

Narcissus colore sulphureo, flore simplici polyanthes.

depresso argenti patera Italico vocabulo nominetur. Neque tamen hujuscemodi narcissus uno argenti candore, sed sulphuris quoque pallore pingitur.

gitur. Idem præterea in plura genera diſcriminatur. Alius enim præmaturè, ſerò alius vernat: alius minutos, modicos alius, alius peramplos in flores è caule ſummo ſe diffundit: alius denique foliorum ſimplici ſerie, alius multiplici componitur. Hic ergo tum candido, tum pallido colore narciſſus à cæteris narciſſis diſcrepat floreis foliis anguſtioribus, & calice breviore. Virentia quoque folia ſæpe anguſtiùs patent, longiùs porriguntur, læviora & rigidiora ſunt. Nec eadem omnibus tinctura. Candidum allii virore albida, & veluti rorulenta; pallidum myrti exemplo viridiſſima conveſtiunt. Bulbi membranas extimas color auſterus infuſcat; intimas tunicas dilutus dealbat: magis compacta forma ventrem deprimit, cervice modicè producta. Quin etiam iſto ejus qui folioſo floret argento, bulbus depreſſior eſt. At verò majoris floris bulboſa parens vaſtiore corpore, ventre oblongo, procero collo, ſpadicis coloris dilutioribus tunicis notabilem in modum inſignitur. E folioſis albentibus narciſſis Byzantius, ſive Chalcedonius perplacet, & colitur. Hic tum præcox, tum ſerotinus membranacea primùm vagina includitur, quæ longum in alabaſtrum, ut ſimplicis floris folliculus, non faſtigiatur; ſed rotundiore gremio latiùs tumet. Ea demum dehiſcente numeroſus, & formoſus partus excluditur. Deni aut duodeni fratres ex uno caule penduli ſæ-

Narciſſus Byzantius polyanthes, albo flore luteoque calice multiplex.

pe numerantur. Alba folia denſiſſimo congeſtu bene compactum tribuuntur in florem. Media foliola vario atque multiplici flavi calicis mæandro intercurſante undatim, intercisè, permiſtéque implicantur. Subſimilem alium narciſſum, ſine mediis albis foliolis denſato, atque in rugas replicato flavi coloris orbe multiplici criſtatum, nimiam in ſobolem luxuriantis bulbi decorum abortum eſſe conſtanter affirmant obſervatione diuturna experientiſſimi cultores: quòd & numeroſo fœtu effœta radix, & adnata poſteritas nondum per ætatem ſatis robuſta floribus explendis idonea non ſit; cum deinde, ubi juſtam in rotunditatem adoleverit, prioribus pares, atque adeo æquè folioſos flores progeneret. Alii verò, & quidem callidi rerum æſtimatores exiſtimant, certis è bulbis minore vi prædítis mutilos ejuſmodi partus perpetua ſtabilique lege exiſtere: nec deſunt, qui eoſdem, utpote Epidauro miſſos, Epidaurios appellent; ac duplici potiſſimum procerioris caulis, majoriſque floris nota diſtinguant. Equidem (ut erudita diſſidia iſta componam) non negaverim, ex imbecillis radicibus hæc interdum ſpecioſa monſtra poſſe progigni; ſimulque inveniri crediderim radices alias ita natura conſtitutas, ut flaventibus tantùm criſpulis criſtis albidos partus ſuos exornent. Utriuſque folioſi narciſſi caulis herbaceus de more nudus, concavus, atque ſtriatus digitali ferme craſſitudine,

C. Cluſ. Rarior. plant. Hiſt. lib. 2. cap. 13.

Narciſſus Epidaurius.

ne, & pedali longitudine assurgit: virentibus foliis nonnihil carinatis, & paulò, quàm in simplici narcisso, laxioribus circunvallatur. Bulbus carne intus candicat, convestientibus tunicis foris nigricat, & in rotunditatem conglobatur: præcox magnitudine nostratis narcissi bulbum æquat, serotinus etiam superat. Hic etiam illo, qui præmaturè floret, magis compactus & rotundior ad florem difficilis & morosus est, frequentemque in rotunda basi cariem trahit. Non solet in semen exire in florei fœtus præstantiam exhausta utriusque fœcunditas. Eminet folioſus alius duplicis generis narcissus, corniculati nomine insignis. Minor sex alba folia minuscula in orbem expandit: in umbilico aureum calicem crispantis auri pleniſſimum porrigit: inde sex flava cornicula in stellam deducta surrigit. Quaternos quinosve flores profert, ac sustinet caulis, priore tenuior atque humilior. Ab radice folia exeunt prolixa, gracilia, mollia, & subalbida. Bulbus denique subest à vulgatis narciſſinis una corporis mensura paulò breviore discretus. Majoris bulbosa radix vulgaris narcissi bulbum adæquat, cervice perparum extante: folia tenuitate, ac prolixitudine superioribus non dissimilia minùs pallent: scapus insigniter procerus in duũ triumve ferè palmorum longitudinem procurrit. Complures è membranaceo involucro flores quà prospero, quà abortivo partu excluduntur, quo-

Narcissus corniculatus minor. & major, polyanthes

rum folia flaventis lineæ ductu eminulo intermeante liberaliter colorantur. Ut igitur vides, uterque narcissus cornibus armatus longè fugiendus non est: non enim fœnum habet in cornu, ut vulnera præcaveantur; sed odoratum aurum, ut oculi nareſque suavissimè feriantur. Jam verò ne qua narcisso desit opulentia; præter argentum etiam aurum totam floris bracteam opulentat: siquidem inter simplicis composituræ narcissos & foliis, & calice aureus in prætio est. Hic discoloris auri, variæque aut conformationis, aut amplitudinis levibus momentis pulchrè dissidet à se ipso. Superioribus albis narcissis caule, florumq; pensili congerie similis, folio, bulboque differt: illos enim folioſior, hunc rarior plerunque silva distinguit: illi bulbum ipsum rotundant, hic in pyri effigiem turbinat: circuntegentes tunicas illorum plerique fuscant, hic modicè rutilat. Simplicium denique narcissorum ritu triangularibus folliculis nigrum, & inæquale semen includit. E minusculo narcisso aureolo, à reliquis una brevitate sejuncto bulbulus pendet rotundus, & nigellus; decolor nempe decori floris appendicula. Verùm illi ditiores narcissi sunt, qui frequentium foliorum flaventibus bracteis aurescunt. Et in his genera variant. Alium videbis à silvis oriundum è pallido bulbulo pusillum æquante narcissinum bulbum, qui de junceis foliis nomen Hispanum traxit, inter angusta, ob-

Narcissus totus flavus polyanthes.

Narcissus silvestris stellatus.

oblonga, tenuia, carinata, & pallidula folia ferè palmari, gracilique cauliculo innixum prosilire; & creberrimis foliis in stellam distributis confertim coagmentatum, albo gilvoque confusis in paleæ speciem colorari. Subsimilis alius rosea specie, bulbo & flore paulò amplior, & coloratior à collaris rugati crispissimo imitamento Gallicum Frasei nomen adeptus rarò floret, floreo membrana ægrè dehiscente, ac plerunque vitium faciente. Sed excellere se cæteris ipso vulgato jam nomine significat septentrionalis, sive silvestris narcissus, cui Roseus major nomen est. Is enim luteæ foliosæ rosæ decora suppari gyro complexus media floris folia calicis loco densissima complicat, & crispat; simili quoque auro colorat, foliis aliis quà luteis, quà pallidis, quà herbaceis per ambitum congestis, & explicatis. Illud præterea familiare ipsi est, ut à foliorum densitate, & copia particulatim efflorescat. Etenim extremis foliis marcentibus & præmorientibus, mediæ convolutæ paniculæ paulatim evolvuntur in flosculos. Quanquam illa florea congeries raro difficulterque digeritur, ac dehiscit ad plenum. Roseus hic narcissus, sive narcissina rosa solitaria scapo insidet bene firmo, anguloso, duos circiter palmos alto; ac, tanquam ipsa sibi oneroso, nutat. Ex imo folia modicè consurgunt, liberaliter patent, mucronem retundunt & rotundant, in viridi pallent. Bulbosa radix pro-

Narcissus silvestris roseus minor.

Narcissus silvestris roseus major.

pe

pe rotunda exteriores tuniculas diluto colore ferrugineo ſuffundit. Junceo folio, amploque tum flore tum calice narciſſi plerique ſaturo colore lutei ſunt, & prope inodora pulchritudine tantùm ſpectabiles, necnon eodem in genere multiformes. Alius enim foliorum oras nonnihil utrinque convolvit, caliciſque ſemuncialis ferratum, & ſinuoſum labrum diducit. Ad hæc ſingulos, binos, atque adeo ſenos interdum flores, foliis totidem in orbem compactiles è folliculi ſinu excludit. Scapum gracilem, concavum, rectum, pedaneum, atque ex nobiliſſimi cultoris obſervatione ſimplicem excitat. Si quando autem plures conjunctim caules emittat; multiplicem bulbo fertilem florum ſobolem adnatam eſſe ſignificat. Bina, aut etiam terna profert ab radice folia pedalis, aut certè majoris longitudinis, anguſta, cuſpidata, carinata, fuſco virore herbida, & ſucci plena. Bulbum ſubjungit ſubſtricto ventre oblongum, collum non rarò detorquentem, diluto exterioris tunicæ cólore ſpadicem. Alius explicata, & conjuncta, imò invicem ſupervenientia folia perpetuo velut orbe continuat: ſaturatiore colore lucet: anguſtiorem calicem magis criſpat: ſuperiore infœcundior quaternos circiter ex trudit flores: eodem vivacior ſeriùs defloreſcit: languidam ſuavitatem olet: ima folia menſura breviore profundit: bulbum ſubjicit forma conſimilem, ſed aliquan-

Narciſſus juncifolius major, amplo calice, & foliis convolutis.

Alius foliis continuatis.

quantò contractiorem. Alius demum anguſtioribus floreis foliis in ſtellam diradiatis teretem æquabilemque calicem exporrigit. Noſtrate ſub cælo binis terniſve floribus avarè vernat: folia itidem carinata latiùs explicat, & parciùs producit: bulbo gignitur perſimili, ſed longè minore, minuſque cervicem detorquente, necnon ſubnigris involucris tunicato. At verò narciſſus junceis foliis odoratus, ac totus liberaliter aureus, ſuperioribus inodoris minor, à ſoli natalis nomine Hiſpanus, à medica vi (ut Remberto Dodonæo placet) vomitorius & ſimplici, & multiplici foliorum ſerie flavet. Ille florum foliis mucronatis, aut orbiculatis; conjunctis, aut dejunctis: ipſis quoque floſculis præcocibus, aut ſerotinis; grandiuſculis, aut minuſculis; binis terniſve, aut etiam denis pluribuſve ex unoquoque cauliculo emicantibus varius; ac partim unicaulis, partim multicaulis eſt. Hic verò ut plurimum ſingulos, binoſve; ut maximè quaternos, aut quinos unico è caule flores promit, floreum gelſimini, malique Medicæ halitum ſuaviſſima temperie olentes. Utriuſque caules ſaturatior viriditas, inoffenſus lævor, ac teres rotunditas compares facit. Veruntamen duplex eoſdem nota diſcriminat. Illos enim proceritas ferè bipalmis extendit, hos puſillò brevior longitudo contrahit: illos continuum foramen vacuat, hos fungoſa quædam natura modicè obſtruit.

Alius calice tereti, & foliis anguſtioribus.

Narciſſus juncifolius minor odoratus ſimplex, & multiplex. *Stirp. Hiſt. Pempt. 2. lib. 2. cap. 22.*

ſtruit. Folia pariter viridantia, oblonga, rotunda, carnoſa, lævia, & planè juncida. Bulbuli plerique globoſi: minùs plerunque utiles oblongi, diſſipatis in longitudinem viribus: rotundi feraces, toto in floriferos niſus collecto corpore. Idem omnibus color: extima enim pulligine nigricant. Hoc etiam inter utrunque narciſſum convenit, ut longulos proferant è membranacea theca floſculos, quibus ille triangularia capitula ſubjicit, flore dilapſo turgentia, & nigelli anguloſique ſeminis fœcunda: hic autem longulis tantùm pediculis inſiſtentes, nulloque ſeminali folliculo capitatos parit, genitali conatu in floris plenitudinem effuſo. Triplex eſt præterea Hiſpano ſuperiori luteo non abſimilis, albo colore vernus narciſſus. Prioris oblongus bulbulus juncea foliola fundit humi reptantia: minutum, inolentem, informem floſculum, Martio menſe tempeſtivum Romanis in hortis ægrè raroque aperit. Alter grandiuſculus, Hiſpanique narciſſi partibus cæteris gemellus, albore ac fœtore diſcrepat. Huic æqualis tertius candida folia ſulphurei coloris calice diſtinguit. Uterque continenti foliorum ſerie floreum orbem circinat. Eſt etiam, qui è longulo ſubſtrictioris ventris bulbo caulem ante folia impellens, binis terniſve, candidis, & leviter odoratis floſculis per autumnum vernet Hiſpano par, viridiſſimus, planeque junceus minimi pretii narciſſus. Silentio diſſimulandus

Albus minor.

Albus major.

Albus ſul. phurei coloris calice.

Albus autumnalis.

dus non est satis elegans junceis itidem foliis, albidoque colore in sulphureum proclivi, & reflexo flore narcissus alius; cujus è radice bulbosa, nuci Ponticæ, aut Hispani juncei narcissi bulbulo exæquata, rotunda, candida, membranaceo involucro infuscata, numerosis tenuibus albisque fibris bene comata, exiliunt quaterna vel quina folia, vt in proximè superiore narcisso juncea, prolixa, angusta, modicè carinata. Medius consimilis caulis Aprili mense fastigiatur in quaternos aut quinos flores oblongos, diluto sulphureo colore pallidos, sex foliis sursum reflexis supinos, devexis cervicibus pronos, semuncialem aut longiusculum & inæqualiter sinuosum calicem porrigentes, levissimè odoratos. Corruptis floribus summi caules triangularia turgescunt in capita, exigui, orbiculati, nigri, lævisque seminis pleniſſima. Pseudonarcissos Hispanos Clusius vocat silvestres Dodonæi narcissos, qui sena inter folia velut in alas explicata medium prælongi calicis tubum, repandas per oras fimbriatum crenatumque, in tubæ modum exertant; ex qua Italicum quoque nomen hauserunt. Ut meritò fabulari quis possit, Famam volando, buccinandoque fessam genialibus tantisper in hortis conquievisse, dum reficeret vires: utque hospitalibus floſculis appositam referret gratiam, è suis conditum insignibus novum florem, nempe alatum tubulatumque narcissum

Pallidus foliis reflexis.

Pseudonarcissus Hispanus. *Rarior. plant. Hist. lib. 2. c. 17. Stirp. Hist. Pempt. 2 l. 2. cap. 23.*

ſum floreo populo addidiſſe, amantis hortos Famæ buccinatorem. Harum verò florentium tubarum, muta ſpecie ſuaviùs argutarum, quàm quæ ſtridulo ſtrepunt ſono, aliæ aurea bractea flaveſcunt; aliæ argentea candicant; circa aureum aliæ tubum circunfuſo foliorum veluti cupro expalleſcunt; hunc aliæ cupreum pallorem media flavente linea inaurant, ac totum prægrandem tubum verno illinunt auro; alias mirè degenerantis ſeminis inenarrabilis varietas colorat; aliis præterea diffuſior, aliis eſt menſura contractior; aliæ denique ſimplici gracilique tenuem, aliæ replicato confertoque tubo pleniſſimam publicant voluptatem. Et his quidem poſtremis forma præſertim quadruplex. Aut enim tubus in tubum inſeritur; aut ſimplici tubo denſiſſima folia innaſcuntur; aut grandior flos denſè fartus ubertate plerunque rumpitur, foliis in roſei narciſſi ſpeciem confuſis; aut demum ſimilis tum ſimplici, tum duplici foliorum ambitu floſculus tubulum exerit folioſa fartura pariter denſatum. Pſeudonarciſſis univerſis pro cujuſque florum amplitudine proceri caules; folia ſurrecta, prolixa, lata, in canaliculum concava, minimè mucronata, & languidè virentia; bulbi oblongi, quorum extimæ tunicæ dilutiore ferrugine imbutæ raris, & fuſcis ejuſdem ſaturi coloris lineis in longitudinem intercurrentibus diſtinguuntur. Sunt, qui ſentiant à majo-

Pſeudonarciſſus pleno flore quadruplex.

jore roſeo narciſſo pleniſſimum pſeudonarciſſum, ſive (ut alii nominant) narciſſum alterum maximum ſeptentrionalem, qui calicem implet, & folia duplicat, nullo diſcrimine ſeperari. Veruntamen ut folio, & caule inter ſe congruunt; ſic bulbo, & flore diſſentiunt. Hujus enim bulbus, ut vulgaris etiam pſeudonarciſſi, longior collum quadantenus obliquat; flos tubulatum calicem folioſo ſæpe farto, nimioque madore fatiſcentem nonnihil exporrigit. Minuſculi flore ſimplici pſeudonarciſſi ut floſculorum coloribus, ſic bulbulorum figuris variant, cervicula in quibuſdam proceriore: ſemper tamen aliquod majorum inſtar in puſillis eminet. Qui verò parva geminant folia, & caliculi tubulum addenſant, aut ſaltem hunc pleniſſimè foliis infarciunt; minutulis funduntur è bulbis, grandiores bulbos pleni floris feraces, ſi non magnitudine, certè figura exæquantibus. Folium protenditur palmare, prætenue, pallidum. Caulis itidem exilit brevis, & concolor. Pulchrè mentitur & nomine, & re narciſſum pſeudonarciſſus montanus, in Luſitanis & Cantabricis jugis frequens. Hunc junceo folio & cauliculo flexilem, flavo albove flore in ſena plerunque anguſta folia expaſſo pinnatum à medii caliculi cono in calathi ſeu nolæ figuram oblongo, repando, & ſæpe fimbriato campanulam Hiſpani; flavum calicu- *C.Cluſ. Hiſt. plant. l. 2. c. 17.*
lum, & flavam violam Martiam Auſtriacæ matro-

Pſeudonarciſſus pleno flore major.

Pſeudonarciſſus ſimplici flore minor.

Pſeudonarciſſus pleno flore minor.

Pſeudonarciſſus junciſolius.

næ vo-

næ vocant. Subjectum floſculo caput nigro, rotundoque ſemine impletur. Bulbulus rotundus, intus candidus, foris nigellus juncei folii narciſſinum bulbum prope indiſcreta facie repræſentat.

Idem Cur. poſter. p. 60. Narciſſus maximus, ſive incomparabilis. Perpetuò flavus.

Narciſſum maximum amplo calice, à magnitudine incomparabilem multiplicis eſſe generis invenio. Eſt enim, qui tam pertinaciter flavet, ut eodem, quo vixit, ore & colore moriatur. Hic ſenis foliis continuatum in orbem latè explicatis, medium criſpulum calicem ab imis anguſtiis paulatim ac modicè ſeſe laxantem in uncialem longitudinem exerit. Subtenuem caulem ad binos palmos extollit. Folia ſurrigit ſilveſtris more narciſſi laxa, prolixa, retuſa, incana. Bulbum ſubdit ſilveſtris itidem narciſſi bulbo conſimilem, ſed magis compactilem, colloque nonnihil obtorto notabilem. Alter hujus gemellus cætera, uno veluti vultu degenerat: flavum enim colorem, quem naſcens præfert, in ſulphureum, ſive albidum ſeneſcens mutat, & foliis anguſtioribus, rugoſis, atque utrinque leviter convolutis floreum orbem minimè continuat. Tertius verò triſtioris indolis frater eo colore dehiſcens naſcitur, quo ſuperior moritur: & velut appetentem mortem pertimeſcens paulatim exalbeſcit, luteo per oras calice. Illud etiam differt, quòd calice foliiſq; latioribus, atque his etiam nonnihil continuatis prior floret. Candidus præterea Romanis in hortis viſitur fo-

Ex flavo in ſulphureũ languens.

Sulphureus ſummo calice luteo.

Candidus major, & minor.

liis

liis floris aliquatenus diversis duplex, major nempe discretis minorque conjunctis: uterq; cæteris magnitudine suppar: illius caulis ferè bipalmis, & gracilis; hujus autem paulò brevior. majoris folia, quàm vulgaris, tenuiora & angustiora; minoris quàm majoris, magis lata minusq; longa: utriusque bulbosæ radices candore formaque similes pyrum superbum æquant, cervice modicè porrecta. Est etiam proximè superioris bulbum adæquans, foliis æquè candidis flavoq; calice narcissus maximus, itidem major & minor: sed calix est minori coloratior. Candidus calice flavo major & minor.

Postremus in Casertani Principis Andreæ Matthæi Aquavivæ principes flores merito cultu excipientis nobilissimis hortis alitur narcissus sanè incomparabilis, confertissimis nempe sulphureo colore folijs singularis. Sulphureus flore multiplici.

Narcissus montanus serotinus, flore simplici candido, calice luteo.

Narcissus serotinus montanus, aut ejus planè gemellus (Musartum vulgus appellat) bulbaceæ radicis exteriore tunica subalbida, magnitudine media, ventre utrinq; substricto, corpore oblongo, cervice modica illius narcissi bulbum ex parte refert, qui cameli collum simplici producit in flore. Appetente jam vere folia trudit prolixa, angusta, mollia, prasina, sive narcissinis similia. E teretis, pedalis, glabri, fungosique caulis apice ternos sæpe, quaternosve mense Martio suspendit flores, sena nivei candoris folia, vulgaris narcissi folijs laxiora, & flaccida stellæ modo decussantes, patulo sulphurei coloris caliculo crocea fimbria ornato distin-

guentes, digna etiam pulchro corpore anima odoratos. Duplicem hìc habeo ſeri floris, extremo nempe Martio, vel ineunte Aprili vernantis ſubtexere narciſſum, alterum Narbonenſem, Anglicum alterum. Priorem præcipuè diſcriminant bulbus oblongus, modicus, fuſci palloris membrana tunicatus; anguſta folia, & erecta; flos albus, flavo calice ferè unciali, nonnihil repando reflexoq; diſtinctus, incomparabili narciſſo contractior, in unoquoque palmari caule ſæpe multiplex. Poſterirem non abſimilem dignoſces tum ex bulbo grandiore, in ventrem diſtento, in cervicem extenuato, membranaque ferruginea circunſepto; tum ex folio brevi latoque; tum ex ampliore flore luteum calicem æquabiliter tubulatum porrigente. Longa cervice narciſſos camelini colli nomen ab imitamento appoſitè deductum notat. Merum puerperæ Floræ lac in hoſce flores candoris eximii concrevit. Ex his plebejus alius, & ſenis tantùm foliis pauperculus, atque inglorius candidatus à nobilium hortorum aditu diſtinetur. Unum diluto aridæ paleæ colore pallidum, & veluti ſordidatum hortorum exilio liberant coloni, utpote Byzantio tranſlatum & rarum. Adeo raritas etiam deformitati pretium facit. Alius folioſa prætexta per flavi calicis fimbriatas oras purpuraſcente conſpicuus, & nobilis in patritios hortos admittitur. Caules ferè bipalmes plerunque ſingulos flores, binos inter-

Narciſſus Narbonenſis.

Narciſſus Anglicus.

C. Cluſ. Rarior. plant. Hiſt. l. 2. c. 12.

Narciſſus longa cervice.

Simplex candidus.

Simplex pallidus.

Multiplex candidus.

interdum ſuſtinent. Proſiliunt ab radice folia prælonga, tenuia, mucronata, ſubpallida. Bulbacea radix pallidæ cutis, modicique ventris in collum abſumitur, quod in folioſi quàm in ſimplicis floris bulbo productius eſt. Virginienſis narciſſi bulbus cupreſſini hyacinthi bulbo modica magnitudine atque oblonga forma ſimillimus, colore diſtat. Is enim ſubrubet, hic albicat. Folia puſilli pleno flore ſilveſtris narciſſi foliis prorſus congruerent, niſi aliquantò longiora validiùs virerent. Ex viridi pallens caulis in palmum aſſurgit. Flos in ſemhiulcæ Perſicæ tulipæ grandiorem figuram dehiſcens obſoleto candore inficitur, dilutoque ſenſim rubore conſpergitur. Narciſſus Indicus lato folio narciſſino, flore rubro liliaceo, album ſcilicet lilium imitante, quem Jacobeum adhuc vulgus appellat, extremi Maii, aut ineuntis Junii caloribus citatus, antequam folia exeant, ita properat. Floreus thyrſus emicat enodis ac lævis, craſſitudine propemodum digitali, ac duorum quandoque palmorum proceritate viſendus. Apex membranacea concluſos vagina primùm turget in calyces: tum ea dirupta quatuor ſæpe ſolvitur in flores ſtriatis ſex foliis deorſum reflexos, è craſſioribus pediculis in decuſſem diſpoſitis pendulos, purpura in crocum languente coloratos, ſex ſubalbidis ſtaminibus longiuſculis in luteas appendiculas deſinentibus, medioque ſtamine ru-

Narciſſ. Virginienſis flore purpuraſcente.

Narciſſus Indicus è rubro croceus flore liliaceo.

bente cæteris longiore capillatos. Ubi flos membranæ moram rupit, aut certè ubi defloruit, bina ſive etiam terna exiſtunt folia, narciſſi marini ſive hemerocallidis folijs latiora & viridiora, minuto ſæpe minio guttata, ſumma parte ſubrubentia, non admodum longa, in hiemem uſque diuturna. Bulbacea radix & figura, & magnitudine hyacinthinæ compar exuberante rubore aſpergitur, & citra floreum partum parens miniatula præfloret. Alius Indorum narciſſus rarior, & nobilior in hortis primùm Caſertanis factus eſt Italicus. Magnitudine formaque candido lilio par, floreis foliis magis continuatis minuſque reſupinis diſpar, florum numero ſuperior, albo rubroque blande temperatis circiter ſeptembres calendas expingitur; ut ipſius lacte & ſanguine pulchritudinis coaluiſſe videatur. Albidæ membranæ rupto involucro conniventis primùm folia floris modicè rubent, coloratioribus tantùm lineis in longitudinem virgata: in calathi deinde imaginem deducta adulto pudore ſuffunduntur. Adeo vel in floribus pudibunda pulchritudo publicam lucem erubeſcit. Toto denique ſenili vultu rubicundiore, dum defloreſcunt, floridiora ſunt. Imus umbilicus intus foriſque flavet. Sex inæqualia ſtamina ima parte candicantia, ſumma ſubrubentia lunatos in crocos ex viridi flaventes deſinunt. Septimum & medium ſtamen prolixius, itidemque coloratum apice

Narciſſus Indicus liliaceus ſaturo colore purpuraſcens.

apice nullo insignitur. Viceni pluresve flores è pediculis satis crassis, binos seu ternos digitos longis, ex atro virentibus, & sive devexis, sive arrectis modò in orbem penduli, modò in silvam prominuli, necnon particulatim dehiscentes summum caulem coronant. Caulis ipse rotundus, digitum crassus, ac prope bipalmis ex viridi obsolescit in rubidum. Folia liliacei viroris, & narcissinæ magnitudinis, arefacto jam flore, à latere caulis enata in ipsum caulem incumbunt. Bulbus Neapolitano in tepore scillam prope exæquat, Romano sub cælo minùs tumet; instar eriophori summo sub cortice membranaceo lanosus extra pallet; nec florem fert, nisi ad justam punici mali molem adoleverit. Et hic narcissus more cæterorum sementat, parco tamen proventu. Non absimili forma minùs formosum misit India narcissum alium, qui contractiore bulbo, caule tenuiore pedali & inæqualiter rotundo, florum quoque minore & numero & magnitudine, facie dilutiore, à proximè superiore degenerat. Uterque tamen tam decenter, tam modestè rubet; ut ipse pudor vel in florem transierit, vel in flore seipsum expinxerit. Quare, si suo sibi colore flos hic nomen inscribat, rectiùs, quàm narcissus, flos pudoris appelletur. Utinam tam verecundè rubuisset, cum se Narcissus aspexit: candidiore profecto fabu-

Narcissus Indicus liliaceus dilutо colore purpurascens.

la floruisset. Jam verò, quando roseus vultus insano amore in posthumum florem expalluit, recens rubor suam erubescentis insaniam pudor est.



NARCISSVS
INDICVS
LILIACEVS
SATVRO
COLORE
PVRPVRASCENS




NARCISSVS
INDICVS
LILIACEVS
DILVTO
COLORE
PVRPVRASCENS




VTRIVSQVE
NARCISSI
BVLBVS
ET FOLIA



Indicus latiſſimis foliis, & florum forma liliacea, ſphæralique ambitu narciſſus; quem alii ſphæricum ornithogalum, moly maximum Indicum alii vocant; Gallici ſoli advena nunquam floruit: ſed Romanæ tandem amœnitatis & majeſtatis hoſpes effuſo flore pro riſu felicitatem ſibi ſuam in Tranquilli Romauli felicibus hortis gratulatus eſt. Bulbus longè ſcillino major ventrem propè rotundat: ferrugineum, & quamvis tenue, duriſſimum tamen corium ſuperinducit: imam partem, ut in botryode odorato hyacintho, protuberantem pro corporis amplitudine latè circinat: fibras minimi vice digiti præcraſſas, prælongas, immortaleſque diffundit. Floris vagina ad calendas Septembris exiſtit in lanceam cuſpidata, ternos lata digitos, quinos longa, exuberante cinnabari ſaturata. Poſt decem dies ſubnaſcente ſcapo in palmum exerta, turgente jam atque urgente numeroſo fœtu, in geminas partes oris anguinei modo latiſſimè hiaſcit, non ut linguis triſulcis horribilis, ſed ut floribus plurimis amabilis micet. Apparet primò conniventium florum confertiſſima congeries, quæ ramoſo paulatim incremento rotundam ita rareſcit in ſilvam. Scapus exurgit prope bipalmis, binos digitos latus, ex rotundo preſſior, ex viridi rubens; qua parte ſolem aſpicit coloratior, ſumma capitatus. Funduntur è capite denſioris more capillitii frequen-

Narciſſus Indicus flore liliaceo ſphæricus.

Tranquillus Romaulus.

quentes, prolixæ, ſuavique rubore viſendæ laciniæ: quibus internati radiata rotunditate porriguntur cauliculi triangulares, palmo longiores, minuſculum digitum lati, interfuſo rubore virentes, in capita extumidi tuliparum triquetro folliculo, ſeu præferratæ trifidæ clavæ ſimillima. Plerique inſtar candidi camelino collo narciſſi cervicem deflectunt: recto rigidoque nonnulli ſtatu circunſtant. E ſingulorum verticibus eminent ſurſum verſum ſpectantes elegantiſſimi flores, rubro convolutoque montium lilio æquales, nec abſimiles, quippe phœniceo rubore colorati, & foliis quinis nativos in cirros reflexis calamiſtrati, exteriore folio cum ſtaminibus aſſurgente: quæ ſanè conſpicienda ſtamina ſic extant. Sena læto colore punicea in totidem verſatiles apices primùm flavos & grandiuſculos; deinde contractiores, ſubter ſuffuſculos, ſupra exalbidos, & veluti farina conſperſos degenerant. Septimum ſine apice piſtilli facie productius, craſſius, longa utrinque rimula interſecante ſtriatum, ſumma parte recurvum pariter purpurat. Ut uno inclyta purpureo capillo veteris Niſi coma recenti flore ſuperetur, qui crocis pluribus blandè rubentibus citra diſcrimen amittendæ regalis gloriæ feliciter capillatur. Omnes inter ſe flores ternis quaterniſve digitis intervacantibus diſtant. Per partes dehiſcunt: nec prior ante defloreſcit, quàm vernent univerſi. Senium illos


non

non contrahit, sed infuscat, ac demum decutit. Menstrua ipsis vita, & ver autumnale. September eosdem parit oriens, perimit occidens: hæc enim multorum florentium capitum hydra non calore, sed frigore interficitur. Quanquam Lernæa vivacior sumptis à funere viribus quotannis renascitur: neque clavas Herculeæ similes timet, quibus, tanquam cauliculis, insidet ac fulcitur. A florum interitu triangula capita grandescunt, pleraque inania, perpauca nonnullo abortivi seminis rudimento fœta: sive quòd peregrina planta nostratis autumni frigus reformidat: sive quòd eadem apud nos nondum robustæ fœcunditatis est. Caulis tandem, & inhærentes cauliculi penitùs directi, atque in orbem diradiati sic exarescunt; ut floris pulcherrimi cadaver sidus sit: neque enim hoc insolens est, ut hydra mutetur in sidus. Nec isti hortorum sideri mors parcit. Præmortui floris decorum cadaver ingruentia primùm frigora iterata morte corrumpunt. Neque clavæ multiplicis armatura formosum tueri germen adversùs ævi demolientis injuriam potest. Folia circiter Octobris exitum apparent, flore non proveniente: in ejusdem proventu seriùs, extremo scilicet Novembri mense existunt. Pauciora initio, sex tandem flori prolusere. Longitudo illis bipalmis, latitudo palmaris, dimidiati ferme digiti seu cultri crassitudo, retusa forma,


læta

læta viriditas & fusco per oras rubore circunlita, corpus humi erraticum latéque procumbens, vita usque ad extremum Majum sive ad primos calores producta.

Gemi-


NARCISSVS
INDICVS
FLORE
LILIACEO
SPHÆRICVS





I. 2.



Gemino latiore folio, & flore puniceo peregrinus Indiæ narciſſus, à Batavo cultore Suertius, ſive Colchicum maximum Indicum, paucis ab hinc annis Romanos hortos nobilitavit. Bulboſa radix, pineæ nuci par, oblonga, ſquamoſa, imi fibrati verticis orbe anguſto coronata, fibris inſtar botryodis hyacinthi, quem Muſcari vocitant, craſſis latéque prorepentibus ſubnixa, deorſum porrecto tubere calloſa, Septembri menſe caulem protrudit craſſitudine digitali, in rotundo utrinq; planum, albidum, ſanguineis anguineiſque maculis guttatum, ſumma parte rubentem. Inde pateſcens vagina depromit florem balauſtio ſimilem, qui ſex minimùm foliis puniceis modicéque craſſis complectitur intimos floſculos confertiſſimos, nonnihil hiantes, rubicundulos, brevibus ſubalbidiſque pediculis innixos. E ſingulis floſculis terna ſubrubicunda, & luteolis pallidiſve apicibus capitulata ſtamina confertim eminent. Floſculis poſtea dilapſis ſubjecta capitula turgent in folliculos ardenti colore rubros, trifidos aut quadrifidos, oleam æquantes, racemi ſeu corymbi aſpectu conglobatos; quibus terna continentur aut quaterna nigella grana, minuſculi phaſeoli figura & magnitudine. Bina poſt excuſſum florem folia exiſtunt, flacceſcenti atque in ſemen exeunti ſcapo adnata & ſuperinducta, ovata, in duos circiter palmos longa, in palmi dimidium lata,

Narciſſus Indicus gemino latiore folio, flore puniceo.

ſcillæ foliis craſſitudine æqualia, nigrantia, primò ſurrecta, humi demum jacentia. Hic autem flos ſive regionis vitio, ſive artis inertia ægrè rarenterque noſtrate vernat in ſolo. Primùm tamen formoſus hic Urbis hoſpes ac tiro in Quirinalibus hortis purpurati Principis FRANCISCI BARBERINI ſuam explicuit purpuram tributariam; ut pulcherrimi loci amœnitas Domino concolor effulgeret. Neque enim in APUM Regia nobiliſſimorum florum ſterileſcere decet annonam.

Croci,


NARCISSVS
INDICVS
PVNICEVS
GEMINO
LATIORE
FOLIO

EIVSDEM
ARCISSI
BVLBVS
FOLIA
SEMEN


EIVSDEM
NARCISSI
BVLBVS
FOLIA
SEMEN



Croci, Colchici, Coronæ imperialis, ac Tuliparum notæ.

CAPVT II.

CRocus, & ipſe florea impotenter amantium fabula, flore vario & multicolore, tum ſimplici, tum folioſo vernat, & autumnat. Brevi pediculo ante folium aſſurgit: tum florem expellente folio aut latiore gramineo, aut candidè ſtriato, aut in capillamenti modum tenuiore ac junceo viret. Bulbulo multiplicis magnitudinis rotundo, carnoſo, & vivaci, intus albo, extra ſpadice ſive ſubnigro progignitur, fibriſque candicantibus innititur. Præter vulgare Colchicum in Italiæ, Galliæ, Germaniæ, atque Pannoniæ humentibus opimiſque pratis obvium plura, & florum foliorum bulborumque mirabili varietate præſtantiora genera indagavit recentium colonorum amœna ſolertia. Hæc tamen ferè conveniunt univerſis: bulbus turbinatus, parte altera planior, media rima ſive ſulco, unde flos exilit, dehiſcens; ubi flos defloruit, connivens, rubentibus ex nigro tunicis obvolutus, intus candidus, carnoſus, lacteo ſucco manans, dum recens erutus adhuc viget; ſed ubi exaruit, rugoſus, intus foriſque nigricans, aut certè rubidus: flores circiter æquinoctium autumni ante folia præpoperi, croci

Crocum.

Colchicum.

croci floſculis non abſimiles, & longiuſculi, brevibus teneriſque pediculis inſidentes : à floribus turgentes folliculi triangulares, craſſi, oblongi, ſemine fœti rotundo, vergentis è rufo ad ſubnigrum coloris : folia prolixa, laxa, erecta, lævia, pinguia, & planè liliacea. Unum cæteris præfertur Colchicis, quod rubello plenoque flore foliosum, & alternis quà ſaturi, quà diluti coloris quadratis maculis variegatum primoribus autumni pluviis emergit. Flos eſt ab oriente oriundus, quem vernacula, quàm latina vox auguſtiùs nominat: is enim latinè Lilium Regium, vulgò autem Corona imperialis appellatur. Cæparum inſtar vegrandis ejus bulbus, binas & amplius libras interdum pendens, rudi & inæquali rotunditate conglobatur: candidas, promiſſas, molles, & parva offenſione fragiles fibras non ab ima tantùm, ſed varia etiam ex parte diſpergit : medio patuloque, quà ſcapus exit, foramine hiat : ſine tunicis inveſtis, ſuccoſa denſaque carne modò candicat, modò purpurat, plerunque pallet: allium, aut hircum, aut quid inſuavius olet. Atque hoc maximè diſtat à ſimillima Suſiani, ſive Perſici lilii bulboſa radice, quæ graveolentia nulla nares ferit, quæque forma eſt præterea longiore. Thyrſus robuſtus, craſſus, intus fungoſus, viridis, rotundus, procerus ad mediam ferè altitudinem modò confuſis, modò ordinatis liliaceis foliis conveſtitur : inde teres, nudus, & purpu-

Corona imperialis.

R. Dodon. Stir. Hiſt. Pempt. 2. l. 2. c. 5. C. Cluſ. Rarior. plant. Hiſt. l. 2. c. 1.

purpuraſcens folioſam ſumma parte ſilveſcit in criſtam. Inter criſtati capitis folia plerunque bina tenuibus è pediculis vario numero, multiplicique interdum ſerie, raro ſcilicet naturæ luxuriantis luſu, lutei aut ex croceo rubentes liliorum ſimiles flores, at minores in calathos ab imis anguſtiis diducti, nec labella reſupinantes, minuſque dehiſcentes, quàm decori, tam fœtidi penſili coronamento nutant. Eſt etiam cum voluptate cernere in intimis foliorum ſingulorum floreis unguibus margaritarum gemella candida tubercula, quæ cum ſereno, tum maximè pluvio cælo liquidam & prædulcem aquam guttatim delacrymant ſalubri documento, ſcatere lacrymis etiam coronas. Ea poſtmodum eminula vnionum rudimenta, marcentibus floribus, introrſum abeunt in æquè candidas lacunas. Ad hæc ſex albida ſtamina luteis crocis capitulata cum trifido medii ſtyli piſtillo prominent. Excuſſo flore grandia capita ſuſtollunt anguloſi folliculi, ſeminibus graves ſubrufis, planis, cartilagineis, duplici ſerie in unoquoque angulo digeſtis. Lepidiſſimum florem, Turcico vocabulo Dalmaticis pileis ob ſimilitudinem communi Tulipam, recentiorum verò biformi nomine Lilionarciſſum, quòd liliacea in primis & narciſſina unus decora complectatur, appellamus. Sunt, qui velint coronarium eſſe veterum Coſmoſandalon, aut certè Satyrion. Nulla æquè in planta verſicolor natu-

Tulipa. *R. Dodon. Stirp. Hiſt. Pemp. 2. lib. 2. c. 27.*

C. Cluſ. Rarior. plant. Hiſtor. l. 2. c. 9.

Idem ibid. c. 7. naturæ licentia laſcivit: ut ſuperioribus annis fuerit, qui ſupra ducenta coloribus diſcreta genera numerarit. Jam verò cum ſemper aliquid novi afferat fœcundior Flora, quàm Africa; multò licebit plura

Idem ibid. c. 9. percenſere. Ne tamen quis iſtorum coloribus florum nimiùm credat; præmonente Cluſio, alternis annis verſicolor inconſtantia liberaliter credulos eludit. Princeps & publica ea generum partitio eſt, quæ de triplici tempeſtivitate ducitur: ut aliæ præcoces, mediæ aliæ, aliæ ſerotinæ tulipæ dicantur. Habent autem ferè univerſæ hunc exortum, hoc incrementum, hunc exitum. Inter bina diluto virore pallida folia flos, infantium primæ conſpectum lucis non ſuſtinentium more connivens, nec dum colorata formoſitate viridis & prorſus herbeus incipit exiſtere. Tum paulatim impellitur ſuccreſcente ſcapo, qui medulla duriore robuſtus, rotundus, & virens ad pedalem atque etiam cubitalem altitudinem modò arduo ſtatu rectus, modò in anguineam ſpiram tortilis exurgit. Quanquam præcox tulipa breviſſimo caule à terra vix eminet. Hunc ſparſim amplectuntur folia plerunque terna, nonnunquam etiam quaterna & quina, craſſa, oblonga, carinata, interdum per oras modicè reflexa & criſpula, modò pendula, modò ſurrecta. Summus interim flos colorem mutat, ſeſeque in ſena, aliquando etiam in ſeptena & octona folia, rarò folioſiorem

rem in congeriem explicat, ſive calathi, ſive cyathi, ſive reſupini pilei effigie. Ex meditullio ſex, vel etiam totidem, quot ipſe foliis conſtat, mirum in modum coloribus varia ſtamina profert, apicibus aut luteis, aut pallidis, aut nigricantibus inſignita. Idem hic flos nubilo cælo triſtatur, vultumque contrahit; pluvio facilè defluit, & corrumpitur; temperato ſole hilaratur, atque in riſum decenter hiat; ardenti peruſtus, formæ vitæque decoquit. Dilapſo flore ſubit membranaceum ac triangulare caput ſatis magnum, atque oblongum; quo tres in partes dehiſcente, ſex ordines viſuntur ſeminis confertim aggeſti, plani, cartilaginoſi, rufi ſeu rubidi, prorſuſque liliacei. Jam verò, quoniam è medio bulbo cum foliis flos primùm exit, ariduſque deinde floris caulis (quod etiam in iride bulboſa, Colchico, aliiſque hoc genus videre eſt) imo extimoque cruti bulbi circulo hærere conſpicitur; quamobrem id fiat, enodare convenit. In intimo bulbo, unde caulis & flos eminet, novus quoque bulbus, veluti gemellus fraterculus, ejuſdem ſcapo floris adnaſcitur; pariterque cum illo non modò per materni bulbi fibras terræ alimentum, ſed ipſum quoque ſuccum matris exugit: ubi verò, deſito jam flore, lateri cohærens caulis inaruit, reliquo ille ſucco innutritus adoleſcit; vetere interim eviſcerato bulbo membranaceas in exuvias, nempe in recentis involucra deficiente.

Tulipæ annua corruptio & reparatio. *C. Cluſ. Rarior. plant. Hiſt. l. 2. c. 9.*

Mirandum jam non eſt, vel eruto bulbo extrinſecùs hærentem aridum ſcapum inveniri, cum idem utrunque partus conjunxerit; vel altera novum bulbum parte planiorem eſſe, cum flos adnatus abſolutæ offecerit rotunditati. Si cui lubeat, quod hìc affirmo, fide oculata credere; periculum faciat, quod ipſe feci non ſemel cum Fabritio Sbardono Caroli Cardinalis Pii hortorum peritiſſimo præfecto, florumque peregrinorum ſagaciſſimo indagatore: tulipæ, inquam, bulbum, cum jam cæpit egerminare, intercidat; invenietque inter convoluta foliola puſillum floſculi rudimentum, adnatumque ſurgenti cauliculo novi bulbuli nucleum. Ita vetula parens cum floreo partu juventutem reparat, ac ſemet intra ſe parturit. Illud cultoribus ignorandum non eſt, tulipam, quæ folium ejicit ſingulare, florem eo anno non allaturam: ſed in duplici folio proximi ſpem floris evireſcere. Bulboſæ radices haud multùm narciſſinis bulbis diſpares, forma modò ferè rotunda ventrioſæ, modò turbinata gracileſcentes; imo, unde exeunt prętenues, frequentes, breveſque fibræ prominulo anguſtoque circulo coronatæ, prædulces atque edules, interiore carne, velut excocti duratique albumen ovi, ſolidæ candicant: exterioribus tunicis aut flavent, aut ſubrubent, aut nigricant. Publicum præterea eſt omnium, parte altera magis tumere, altera paulò compreſſiores eſſe; & canaliculo,

Fabritius. Sbardonus.

liculo, cui ſcapus ab ima corona profiliens adhæret, intermeante ſulcari. Nonnullis tuliparum, ſeu nondum ſatis adultis, ſeu vegetiſſimis bulbis, & ſuperfluente per imbres humore luxuriantibus antiquiſſimum eſt candidam, præcraſſam, prolixam, anguineo more ſerpentem aut rectà deorſum, aut in latus venam, ſeu nervum ſpargere, qui parte ſumma in bulbulum definit, ceu fœtus nuper editi ſolutior umbilicus. Fit etiam non rarò, cum præſertim id bulborum diutius humatum eſſe permittitur, ut continuatus per adnatum bulbulum nervus unam alteramve præterea ſobolem, tempeſtiva maturitate vernaturam, veluti catenata ſerie, ſubjungat. Id autem fieri crediderim, propterea quòd naturalis tuliparum fœcunditas, dum ſobolem meditatur, humorem nacta uberiorem, quàm qui citò digeri poſſit in bulbulos, in longam effunditur appendicem; quæ, quamvis radicibus conſimilis, videtur tamen prominentis umbilici officio defungi; dum bulbulo, in quem deficit ac degenerat, alendo conſeritur: ob eandem cauſam ea connexorum ſeries bulborum continuatur. Ad hæc in altiorem latebram ſe penetrare conſueverunt complures id genus bulbi, ſive nativo pondere, ſive frigoris humoriſque amore deorſum urgente. Uſque adeo vel per ſolidi elementi obicem ad ima prono amanti facilis deſcenſus. Eſt etiam tulipa, quæ, ſuam ut feracitatem

Tulipæ propagatio. *C. Cluſ. Rarior. plant. Hiſt. l. 2. c. 9. & 10.*

velut jactantior extollat, bulbulos in ipsa caulis foliorumque junctura, hoc est inter alas parit ac gestat. Pleræq; tuliparum bulbaceæ radices utpote indiscreta specie ambiguoque vultu simillimæ, florum discrimina certò non indicant. Duæ tamen sunt, quæ notabilem in modum dissimiles cæterarum certis apertisque indiciis floris genus præsignificant. Bulbus majusculus, cui vulgaris coloris crassior ac durior membrana, tenui subalbidoque tomento intus lanuginosa bombycinæ tulipæ nomen fecit, florem dabit vel procero caule sublimem intus extraque rubrum, acuminatis & in summo subviridibus foliis distinctum; vel brevi scapo humilem, forinsecus ex viridi pallidum, intrinsecus tristi purpura dilutioribus lineis virgata nigrantem, uno pavonini oculi nomine à rudi specie in umbilico adumbrata speciosum. Persica bicolor tulipa ut bulbo, sic flore longè recedit à cæteris. Bulbus igitur est avellanæ instar nucis perparvulus, prope rotundus; corio duriusculo, foris nigro, intus villoso; summo villo extante, carne candida. Flos senis coagmentatur angustis foliis, exterioribus ternis mucronatis, inter candidas oras dorso roseo distinctis, ternis verò interioribus planè niveis, capitulo luteo, cinereis crocis: caule fulcitur gracili erectoque: foliis ambitur striatis, junceis, ac flexuosis. Ad extremum præcoces tulipas minore bulbo, serotinas grandiore ple-

Tulipa bombycina.

Persica bicolor.

Præcocis, ac Serotinæ indicia.

replerunque dignoſci, Cluſii vox; recentis verò coloni obſervatio eſt, illas corona bulbi laxiore, has anguſtiore monſtrari. *Ibid. c. 8.*

Fritillariæ, Iridum, Liliorum, Orchis, atque Ornithogali notæ.

CAPVT III.

FRitillaria nomen à fritillo, ab alveo luſorio maculoſas areolas mutuata multicolorem ludum in hortis ludit. Hanc etiam pictis Africæ gallinis conſimilem ſuaviore gulæ vocabulo Meleagridem recentiores coloni appellant. Eandem ab inventore dixere narciſſum Caperonium, à diſcolore forma lilium variegatum. Unico è caule pedali aut etiam longiore, tenui, quinis aut pluribus foliis, anguſtis, carinatis, impensè virentibus, atque inordinatis conveſtito flores ſinguli, interdum bini, rarò plures, more tintinnabuli penſiles nutant. Quadratis aut oblongis maculis alternantibus pleriq; bicolores, velut opere teſſellato, elegantiſſimè variant. Nonnulli etiam unicolores ſine varietate delectant. Interior foliorum pars floridiore tinctura ſaturatur. Ungues, vt in roſis, candicant: inde ad medium uſque folium herbidi coloris linea producitur. Stylus è floris erumpens umbilico inter ſex luteos crocos quodam quaſi pulviſculo conſperſos multifidus eminet. Folliculus de-

Fritillaria.

R. Dodon. Stirp. Hiſt. Pempt. 2. l. 2. c. 28. C. Cluſ. Rarior. plant. Hiſt. l. 2. c. 11. Criſpin. Paſſæus in Hort. floriđ. vern.

inde turgeſcit ſæpe vncialis, ac triangularis, ſuperné craſſior, haud coronatus, ſemine fœtus rufo, exiguo, plano & membranaceo. Radix bulboſa ſubjacet plerunque puſilla, orbiculata, depreſſa, nudula, exalbida; ubi aliquandiu inobruta fuerit, leviter lutea, in binas ut plurimùm æquales partes veluti diſſecta, &, quâ caulis exiſtit, extuberante toro pulvinata. Iris hortenſis tam varia & verſicolor eſt, ut cæleſtem Iridem æmulata colorum vera ſpecie coloratum cæli mendacium ſuperet, idemque ſibi decorum jure nomen adſciſcat. Bulboſæ radix ferè oblonga, & adnaſcentium nucleorum liberaliter fertilis ſubrufis aut ſubnigris induviis obducitur. Inde geniculatus caulis in cubitalem ſæpe proſilit altitudinem; foliiſque prolixis, anguſtis, ſtriatis, ſuperiore parte cavis, inferiore prope rotundis geniculatim circundatur. Flos unicus, interdum etiam geminus in cacumine dehiſcit, figura picturaque nonnihil variantibus. Commune hoc omnibus, ut majora per ambitum folia devexis labellis reſupinentur, minora ſurrigantur. Poſt florem ſurgit longulum ac triangulum loculamentum, quo tres in rimas fatiſcente ſemen apparet anguloſum, aut rugoſum; rufum, aut fulvum. Iris alia partibus cæteris non diſſimilis, flore folioſo & majore præſtantior, media floris paulò minutiora folia conduplicat, bulbumque magis rotundat. Bulboſam & latifoliam iridem è Luſitanis Bæticiſque

Iris.

Iris bulboſa.

Iris prima Cluſii latifolia.

cisque collibus cultissimos ad hortos transvectam ab eo, qui priorem describit ac celebrat, Primam Clusii nominant. Bulbus cæterarum de more iridum modicus, candidus, phœnicea, tenui, lævique membrana velatus radices demittit vice glandium crassas, minusculum digitum longas, inde in prætenuem longitudinem procurrentes; quibus à florum defluvio senectute rugatis & flaccidis novellæ subeunt, juvenilem parenti vim & fœcunditatem suffecturæ: unde fit, ut altrici terræ fibris bulbus perennibus adhærescat. Folia prodeunt utrinque densa, sese invicem amplectentia, modicè carinata, longa, ternos digitos lata, acuminata, mollia, in terram prona, contortuplicata, supernè ex viridi pallentia & lævia, subtus incana. Medii flores membranaceis involucris evoluti, brevibus teneriscque pediculis instar croci vix eminentes, ex cæruleo colore in violaceum inclinantes, interdum etiam lactei, vulgarem bulbosæ iridis in faciem senis ita foliis conformati, ut imæ præterea foliaceæ tres interfertæ exertæque lingulæ supinentur, ad quindenos usque particulatim vernant, aliis cadentibus, aliis matureſcentibus, aliis verò subnascentibus. Hiberno frigore, ceu verno tepore citati gelidissimis mensibus, Decembri scilicet, Januario, & Februario ver brumale diuturnumque repræsentant. Ubi defloruerunt, ima pediculorum pars inter folia delitescens oblongam ac triangu-

C. Clus. Rarior. plant. Hist. l. 2. c. 44.

lam turget in thecam seminis, ut in tulipis, compressi, sed exalbidi, extremo Majo matureſcentis. Persicæ iridis bulbosa radix proximè superiori persimilis minorem nacta est modum. Folia pauciora, diluto virore veluti rorulenta, atque in canalis effigiem concava sex digitorum longitudine, duum latitudine definiuntur. Exiguò post foliorum exortum sub extremum Februarium flores exiſtunt supradictis conformatione pares, numero autem & colore disspares. Hi enim quaterni tantùm quinive pro cujusque bulbi viribus funduntur; totique sic albicant, ut folia terna surrecta dilutiore cæruleo fuco interfuso pulchrè liveſcant: totidem verò hisce subjecta tum prominula crocea linea intercurſante distincta, tum violaceis guttis circunlita, grandiore janthini coloris velut holoserica macula devexum labrum infuscante, splendidè nigreſcant. Denique ejusdem formæ folliculus Junio menſe matureſcit in semen. Quæ tuberosa & geniculata radice sunt irides, floris figura vix differunt à bulbosis. Quare minutiora minusque in rem meam neceſſaria discrimina petat, qui velit, ex iis, qui unicam florum historiam elaborarunt. Iridi lilium nominis adjungit affinitas, & contigua veris extremi tempestivitas. Noſtrates horti emaculata & lactea venuſtate nativum rejiciunt, aut certè externo & silvatico posthabent naturali nauſea, qua domeſticas delicias fastidimus,

Iris Persica variegata præcox.

Iris tuberosa.

pere-

peregrinis inhiamus. Candido autem notiſſimoque lilio cum in aliis partibus, tum præcipuè in bulbo ſquamatim compacto ſubſimiles liliaceæ ſtirpes omnes exteræ, ac noſtris è ſilvis montibuſque petitæ, vario diſcrimine ſeparantur; quas uno Martagonum recenti nomine complectimur. Silveſtris lilii, ſive martagonis purpurei complura genera numerantur. Aliud enim majus procero caule, foliis anguſtis, atque è nigro virentibus circunfuſo numeroſos, atque adeo ſexagenos pluresve colore rubro ad croceum inclinante dilutos, nempe puniceos flores effert. Aliud humilius, minuſque floribus fœcundum, nechon foliis dilutioribus ſilveſcens, atque ex ipſo bulbo propagines in latera graminis more diſpergens partibus cæteris conſentit. Illud autem cum hi, tum reliqui martagonum bulbi familiare habent, ut ſupra infráque porrectis fibris liberaliter barbati ſint. Aliud invenitur his non abſimile triplicis generis ſilveſtre lilium etiam inter folia floreſque bulboſum. Eſt enim, quod nondum ferendis floribus per ætatis immaturitatem par ſecundùm caulem inter folia naſcentibus bulbulis luxuriet, ac deinde in ſummi tantùm caulis ramuloſa diviſura, & juxta flores bulbos grandiuſculos effundat; cum ad bina uſque cubita ſatis adultum & ſeneſcens ſanguineis floribus purpurat. Eſt etiam, cujus jam adulti ſcapus humilior & ferè cubitalis raros, eoſque ſuperioribus minores bulbos

Martagon, ſive lilium ſilveſtre. *R. Dodon. Stir. Hiſt. Pempt. 2. l. 2. c. 2. C. Cluſ. Rarior. plant. Hiſt. l. 2. c. 6.*

Puniceum majus.

Puniceum minus.

Purpureum triplex, inter folia floreſque bulboſum.

ſum-

ſummis tantùm in alis ferre ſit ſolitus. Poſtremò eſt, quod inter ſuperiora duo magnitudine medium numeroſa bulborum tum foliis tum floribus adnaſcentium ſobole ſemper oneretur, quodque è bulbi prædicto minoris lateribus propagines plerunque fundens, extuberantibus ad ſingula genicula candidis bulbulis latè ſeſe diſſeminet. Penſiles porrò bulbi ſeu vento ſeu contactu decuſſi, terraque reconditi maternam radicem pari fœcunditate imitantur. Quin etiam, dum ſcapo adhuc inhærent, fibras deorſum agere interdum ſolent, iis velut brachiolis communis gremium nutricis implorantes. Ferunt præterea lilia hæc univerſa triquetris folliculis latum, cartilagineum, & leviter fuſcum ſemen. Cæterùm in horum aliquo liliorum poëticum hyacinthum, atris doloris vulnuſculis compunctum, flebiliter effloreſcere indicat fabulæ concolor ferrugineus floris rubor, nigellis atque adeo lugubribus lituris punctim literatus. Sed iſte poëtarum cantu, quàm colonorum cultu nobilior flos eſt. Geminum viſitur lepidioris formæ lilium, quod Matthioli martagon, aut hemerocallis altera dicitur, è ſilvis montibuſque in urbes hortoſque tranſlatum. Alterius ſæpe bicubitalis, rotundus, & purpuraſcens caulis oblongis, latis, acuminatiſq; foliis in ſtellam ſeſe pandentibus certa per intervalla radiatur: è pediculis prono ſuſpendio vacillant flores purpura frequenter obſoleta, quando-

Ferrugineum atris notis inſcriptum, ſive Hyacinthus poëticus. *R. Dodon. ibid.*

Id. ibid. c. 3.

Montanum primum.

doque elegantiore ſuffuſi, & purpureis aut nigricantibus interdum maculis notati, nonnunquam etiam incontaminato candore ſpectabiles; foliis annulatos in cirros, velut calamiſtro, vibratis & reflexis; ſtaminibus ſumma parte capitulatis, & citra mediam ſtyli clavam extantibus. Squameus, atque in acumen gracileſcens bulbus, quòd ochræ luteo colore inficitur, apud Germanos aureæ radicis pretioſum nomen invenit. Multò alterum elegantius caulem attollit cubitalem aut proceriorem, non admodum tamen craſſum, inferiùs ex purpura nigricantem: lævibus, pinguibus, ſurrectis, ſenſimque brevioribus foliis comoſum. Ad hæc floribus grandiuſculis, cinnabaris miniique temperie prodigè coloratis nitidè rubet: neque à lilio Byzantii rubro diſtare videtur, quòd à criſpula & cincinnata foliorum forma Italico blanditu Dominæ cincinnus vocitatur. Bulboſa radix ſuperiore amplior minutioribus & ſubcandidis nucleis veluti ſquamatim coaleſcit. Habet Pomponii Martagon, quod à prædicto lilio nonnihil diſcrepet. Nam juſtæ magnitudinis bulbus quaſi ſquamulis compactus minutiſſimis, ac depreſſior ſulphureo colore flavet. Scapus in quatuor circiter palmos adoleſcit; ac productioribus, tenuiſſimis, contortis, aſperis, inferiore parte abundè virentibus, & paulatim decreſcentibus foliis faſtigiatus denſiùs capillatur. Flos priori congener tetro coronæ imperialis (ut

C. Cluſ. Rarior. Plant. Hiſtor. l. 2. c. 4. Montanum alterum.

Martagon Pomponii.

(ut vocant) odore degenerat. Congruunt colore formaq; noſtratibus exteræ martagonum radices: quanquam in frigidiore plaga, ſolo cæloque magis propitio, feliciùs florere dicuntur. Orchis radice conſtat bulboſa, in oleæ modùm oblonga, gemina; altera plena & vegeta, altera rugoſa & flaccida; utraque alternis annis intumeſcente ac decreſcente, ſupernè in imo caule fibrata. Inter pauca mirabilis eſt herbæ hujus varias animantium imagines numeroſo partu progignentis nunquam effœta fœcunditas. Verùm nobiliſſima in primis, florumque lectiſſimorum digna conſortio cenſetur duplex ejuſdē generis radix anthropophora, quarum altera hominum mares, altera fœmellas capitulis velut è galea, ſive trifido involucro purpuraſcente penſilibus, extentis brachiolis, divaricatis cruſculis, corpuſculis carnis colore ſubrubentibus extremo vere, aut ineunte autumno parit. Et quiſquam dubitet humano generi decoram eſſe florum culturam, cum ſuorum illi cultorum in effigiem humaniſſimè transformati grata vice beneficium recolere videantur? Maſculorum parens folia fundit ex pallido virentia, alia ſcapo circunvoluta, latè alia diffuſa, & per ambitum undoſa, unciam lata, palmum longa: ipſum verò pedalem ſcapum tenerum, & viridi lævore nitidum denſiſſimis floſculis ab ima parte dehiſcentibus inſpicat. Flores, antequam dehiſcant, purpurant: ubi

Orchis.

Orchis floribus viros exprimens. *Fab. Columna Minùs cognit. Stirp. & Rarior. par. 2. c. 4.*

ubi deinde humanam in faciem explicati lineamentis homunculi patuerunt, mentiente carnem fuco ſuaviùs rubent. Priorem hanc in herboſis Caſperię collibus radicem reperit Fabius Columna, vir tum in pervadendis eruditis naturæ latebris induſtrius, tum Lynceus in pervidendis. Conſitam germinare aſſerit autumno: menſe etiam Aprili floruiſſe: autumni initio ſimplicem eſſe, & abſque fibris vegetam: aliam deinde ab ipſa gigni vegetiſſimam, & ſucci juvenilis plenam, matre interim ſeneſcente atque in rugas abeunte. Subſimilis eſt radix fœmellarum puerpera, bulborum altero juſtæ olivæ magnitudinem æquante, albicante, ac duro; altero autem minuſculo, pullo, & rugato. Caulem hæc ſeſquipedalem, rotundum, lævem foliis duobus complectitur: ima quinque ferè ſemipedalia, unciam circiter lata, & recurva ex longa cervice ab humo ſuſtollit. Majo menſe floret ſilvoſis in montibus Æquicolorum, è trifido integumento vireſcente, ac per oras purpurante ſuſpenſis muliebris formæ minutulis ludibriis, congerie in acutum faſtigium decreſcente ſpicatis. Utriuſque radicis flores aureis velut arenulis pulverulenti ſplendidè ſordeſcunt. Notabilis in ornithogalis eſt bulbi candor, imique verticis, unde capillamenta funduntur, latitudo. Sed præ cæteris, quorum pleraque noſtrate in ſolo paſſim occurrunt, elegantia & raritate peregrinum ſpicatum placet.

Orchis floribus mulieres exprimens. *Id. par.* 1. c. 146.

Ornithogalum.

Peregrinũ ſpicatum.

placet. Bulbacea ipsius radix rotunditate ac magnitudine Arabici ornithogali, quod vulgò Alexandrinum lilium vocant, radicem æquat, candore etiam superat; latitudine autem basis, ex qua prodeunt fibræ, superatur. Quina aut sena folia brevia & lata instar eriophori, sive hyacinthi Peruani humi sternit secus, quàm aliud solet ornithogalum spicatum, quod folia surrigit. Caulem trudit gracilem, at robustum, qui post mensem Majum in floream palmarem spicam fastigiatur. Flores lactei coronario frutici, sive candidæ syringæ non absimiles, medio subviridi capitulo turgentes, quod cum sementat, exalbicat, particulatim vernant. Neque tamen, dum summi dehiscunt, imi contrahuntur atq; flaccescunt, quemadmodum in floreis pleriſque spicis usu venit, sed, ubi avarum sui spectaculum per partes & paulatim indulserunt, universa demum argentea pompa simul explicata oculos ditant.

Hyacinthorum notæ.

CAPVT IV.

Hyacinthi nomen anceps.

FLoribus hisce bulbaceis, pleriſque grandioribus pulchrè attexitur hyacinthus, corpore, non gloria minor. Quoniam verò geminos, genere longè discretos unum hyacinthos nomen

nomen amplectitur; alterum, quem rubrum sive ferrugineum lilium (ut modò præmonuimus) herbarii, comosandalon Hermionenses apud Pausaniam, inscriptum hyacinthum Theocritus appellat, quia floream ferruginem nigris & veluti funestis notis punctim inscribit, funebri memoria vernans sive Hyacinthi sive Ajacis in hunc florem fabuloso miraculo mutati: alterum, qui non inscriptus vocari potest, quique Vaccinium à priscis Quiritibus, à recentioribus Gallis tanquam pristini vocabuli vestigio Vacietum appellatur: hunc nos in præsentia postremum non inscriptum describimus. Hic in omnes prope colores tum naturæ tum artis felici conspiratione facilis Vertumnus, modò candidus monstrat nigra vaccinia eximiè posse exalbescere, ut alba ligustra alieno candore victa penitùs cadant: modò cinereus floreum Phœnicem se probat, qui cineres animat: modò ex albo rubens humani vultus formosam temperiem pulchrè transformat in florem: modò cælo concolor Archimedem ludit, dum cælum angustiùs contrahit: modò colores alios mille non fictos & breves, sed veros & constantes vario è satu trahit; ut admirationis filiam, fugitivam Iridem provocet & superet: modò polyanthes numeroso se flosculo convestit, ut unus flos hortus sit. Folia illi oblonga, porri foliis plerunque angustiora & breviora, carinata, lævia, & splendentia:

Lib. 2.

Idyll. 10.

Plin. l. 21. c. 11.

Vaccinium.

Ioan. Ruell. De nat. Stirp. l. 2. c. 104.

Hyacinthus non inscriptus multicolor.

tia: caulis teres, enodis, glaber, fungosus, digito sæpe minimo gracilior, interdum quoque digitalem ad crassitudinem proficiens, aliàs florea turri superbus, aliàs onere felici languidus: flores à tubulatis angustiis in calathi formam repandi, lilii divisura per oras reflexi, à medio plerunque, nonnunquam etiam ab imo caule ad summum, nunc in latus, nunc per ambitum, modò densata, modò rara serie digesti: semen in triangularibus valvulis exiguum, rotundum, nigrum: bulbosa radix intus candida, &, quemadmodum etiam tota herba, lento succo glutinosa. Orientales vulgò hyacinthos appellant, qui pinguiora latioraque explicant folia, qui crassiores vegetioresque exerunt caules, qui majores patentioresque suspendunt flores, qui denique à fertili lucis oriente nitidam formositatem ducere videntur. Horum præterea geminum fastigium est, majoris alterum hyacinthi copiosiùs, alterum minoris parciùs efflorescentis. Cæterùm pro discolori florum varietate cernuntur plerique bulbi & coloris & figuræ discerniculo insignes, qui florea discrimina præmonstrent. Neque verò diffiteor nonnullos tam obscurè bulbos inter se differre, ut perspicacem etiam judicem sæpè fallant. Præcocem hyacinthum candidum bulbus arguit nonnihil compressus, & rubicundis tunicis prævelatus: bene odoratum, ac leviter cæruleum præma-

Hyacinthus orientalis. *R. Dodon. Stir. Hist. Pempt. 2. l. 2. c. 17.*

Albus brumalis.

Cæruleus odoratus præcox.

maturè vernantem pusillus, globosus, superiori concolor, adnataque posteritate sese facilè disseminans : cyani sive Lazuli cæleste decus æmulantem in pyri formam turbinatus, & saturata purpura nigricans : hujus consimilis, obscuroque discrimine prope gemellus exuberante cæli colore splendidè fuscum, folioliſque convolutis Februario & Martio mense cincinnatum : Byzantium odoratissimum floribus diluto colore cæruleis, splendentibus, majusculis, & raris mense Martio visendum in rapi rotunditatem depressus, conglobatus, atro rubore suffusus : lacteum media tempestate florentem, atque à magni Ducis Hetruriæ stabulis viridario conterminis imparem appellationem indeptum vastior, in latitudinem fusus, exalbidus : violaceum dilutioribus maculis intercursantibus distinctum, cui vernaculum à leonino colore nomen est, non ita magnus, in globulum prope collectus, nucleorum, quàm florum, fertilior, & pallidus : cineraceum modicè subsidens, inhærentis crebræ sobolis pressu atque fuctu denormante rarenter in rotunditatem globatus, subpallidus : subrubente tubulo albicantem longulus, carne tenerrimus, & hanc ob causam carioſa sæpe basi vitiosus : obsoleti candoris serotinum polyanthem, facie simillima geminus proximè superioris, qui florem fert ex albo rubentem : subnascentibus per floridi caulis interval-

Cyaneus præcox.

E cyaneo fuscus & crispus.

Cæruleus major odoratissimus Byzantius.

Candidus.

Violaceus dilutioribus maculis distinctus.

Cineraceus.

Subrubens.

Albus serotinus polyanthes.

Violaceus polyanthes caule foliato.

la virentibus tæniis foliatum rotundus, & frequenter exesam carie imam sedem explentibus bulbulis deorsum versum soboleſcens: polyanthem quà odoratum, quà inodorum, eumque maximè, quem satu plerunque feliciſſimo prodigiosè variéque multiferum suſcipit quàm ferox armorum, tam mitis florum genitrix Brixia, compactus, orbiculatus, nullo rarove hærede cohærente infœcundus, tota in florei partus absolutionem luxuriante fœcunditate: isti planè consimilis rosmarino coloratum, cum præcocem parciùs, tum serotinum liberaliùs florum feracem, & præcrasso caule spectabilem: duplicato autem flore ex albo & cæruleo virescentem itidem rotundus, foliati radice major, sessili parte vitio obnoxius. Violaceus est singulari pulchritudine hyacinthus, qui de singulis longiusculis pediculis flosculos complures frequentiore foliorum coma stipatos racemi modo plerunque suspendens (interdum enim præter morem abortivus more provenit cæterorum) appositè racemosus dicitur. Hunc ex bulbo conjicies mediocri, quadantenus rotundo, & subrubente. Januarii nomenclaturam à cultoris cognomine sortitum in pusillæ rosæ formam folioſum, pretioſumque diluto cæleſti colore hyacinthum prædicto cyanei floris bulbo simillimus ambiguè indicabit. Sed grandiore Roseum flore, pariterque cæruleum signo nullo insignis bulbosa radix à vulgari-

Polyanthes multiformis.

Cæruleus dilutior colore rosmarini.

Subviridis duplex.

Racemosus multiplex.

Januarius multiplex.

Roseus multiplex.

garibus non ſecernit. Anglicum ſive Belgicum, nempe campeſtrem earum regionum florem extremo Martio vernantem ex bulbulo interpretaberis nudulo & candidulo; ſi cæruleum is progignat, ſæpius orbiculato; ſi candidum, aut ex candido rubellum, frequentiùs oblongo. Hiſpano hyacintho ſerotino atque inodoro minorem natura modum, faciem Belgico perſimilem dedit. Cæruleus plerunque aut candidus menſe Majo palmari ſpica vernat, cujus apex ad quaternos digitos confertioribus floſculis oneratur: cauliculus prætenuis, & prædurus diluto colore viret: folia, quàm in Belgico, tenuiora atq; anguſtiora canaliculatim incurvantur: albus & globoſus bulbulus puſillam junceo folio Hiſpani narciſſi bulboſam radicem æquat. Obſoleto colore tum viridis, tum rubentis ſive melini hyacinthi bulbus in cruſtumini minuſculi pyri effigiem longiuſculus, albidus, latiore baſi ſeſſilis: folia prælonga, anguſta, carinata, ſuccoſa, pallido virore ſuffecta, mucronata, flexuoſa: caulis ſubviridis, pedalis, gracilis, duriuſculus, ab imo ad ſummum inæqualia per intervalla ſecundùm anguſtiſſimas foliaceas appendiculas flores extremo vere ferens Belgicis conſimiles, nonnihil tamen longiores, è brevibus pediculis nutantes, ſenis foliis contextos, exterioribus quidem reflexis, interioribus verò tanquam in tubulum coëuntibus, imam ſpicam rariore, ſummam

Anglicus, ſive Belgicus ſerotinus.

Cæruleus.

Candidus.

Rubellus.

Hiſpanus ſerotinus.

Hiſpanus obſoletior.

densiore copia onerantes, onerique interdum imparem & languidam acclinantes : folliculi semine offertissimi plano, cartilagineo, circinato, nigro. Peruanus. Hyacinthum stellatum polyanthem Peruanum foliis crassioribus, latè carinatis, angustè mucronatis, splendidè virentibus, propter humum fusis; caule firmo, tereti, glabro, viresçente; minutis innumerisque floribus modò cæruleis, modò ex cæruleo in violam inclinatis, modò albis, modò albidis, in stellam hiantibus, spicatum in turbinem conglobatis, ex ima primùm parte sese pandentibus; acuminatis ac trigonis folliculis semen rotundum & nigrum concludentibus, bulbus effundit grandior, foris fuscus, sub exteriore tunica laniger & re ipsa eriophorus, basi lata & prominente sessilis. Botryodes odoratus. Mera in florem collecta suavitas, hyacinthus botryodes Chalcedonius, sive Turcarum Muscari, vel ipso barbaro nomine jucundè olens caulem surrigit crassum, teretem, fragilem, ad partem usque dimidiam nudum; inde ad cacumen flosculis, utpote jucundissimi odoris plenissimis, in urceolos meritò conformatis, modò leviter luteis, modò subalbidis acervatim racematum. Prægrandibus, ac triquetris vasculis semen includit nigrum, rotundum, ervo par. Folia frequenter humi sternit prolixa, in mucronem fastigiata, satis & crassa & virentia, canaliculata, tortuosa. Bulbum subjicit oblongum, albicantem, compluribus tuni-

tuni cis cęparum instar coagmentatum, crassis fibris ex ima extuberante basi diffusis, nec unoquoque anno pereuntibus & redivivis, sed perennibus innixum. Illud habeo tandem subjicere, sufflavum hyacinthum botryodem geminum esse, alterum præcocem, serotinum alterum non sine discolori discrimine: illius enim præfestinatum ante hiemem germen expallet; hujus verno tempore tempestivum saturatiore purpura nigricat. Colitur præterea duplex hyacinthus botryodes inodorus, lacteo candore alter, alter diluta purpura respersus. Illius cauliculus, & juncea folia languido virore pallent; hujus autem ex viridi purpurant. Vtriusque flores Aprili mense perangustis oscillis oscitantes concava rotunditate globantur minutarum effigie margaritarum, à quibus Italicum nomen retulerunt; summumque cauliculum uva confertim vernante convestiunt. Rotundi bulbuli penetralem candorem pullo cortice infuscant: prodigiosè etiam fœcundi, quod angustis corpusculis nequeunt, numeroso nucleorum partu latè se porrigunt. Comosus florum panicula hyacinthus, Aprilis flos, quòd in floridissima Sannesiæ domus amœnitate primùm admirabilis hospes Romam oblectavit, Sannesius dictus est: quòd autem luctibus ac funeribus dicatæ cupressus læta ridet imagine, vulgò cupressinus appellatur. Flosculos granosos, capillamenti modo tenues, tenerrimos, fragiles, velut vitrea glacie concretos,

C. Cl. Append. ult. ad plant histor.

Botryodes inodorus candidus, & rubellus.

Sannesius florum panicula comosus, sive cupressinus. *Fab. Columna Minùs cognit. Stirp. & Rarior. par. 2. c. 5.*

vario flexu ramulosos, è cæleſti colore in purpuram inclinantes primùm inſtar fœminæ cupreſſus metæ aſpectu in faſtigium convolvit; deinde, ut aſſolet mas, extra ſe ſpargit: cauliculo ſuſtinetur ſubviridi, ſeu ſubalbicante, prætenui, rotundo, lævi, lignoſo, inter folia proſiliente prælonga, ſuccoſa, nonnihil carinata, & flexile in cacumen extenuata: bulbum turbinat; ſubrubente foris tunica involvit, craſſiſque fibris firmat; à comoſo ſpurio hyacintho dilutiore potiſſimùm rubore, & minuſcula mole ſecernit. Indici hyacinthi, ſive Aſphodedi nuper ad nos tranſlata tuberora radix, ex qua ille cum vita nomen accipit, oblongum botryodis odorati hyacinthi bulbum imitatur: carnis, & ſubnaſcentis calli duritiem ſuperat: nimiùm ſui prodiga, & raritatis gloriæ officiens innumeros toto corpore parit hæredes: ineunte vere folia emittit in terram convexa, prolixa, digitum lata, in acumen deficientia, viridi lævore nitida: caulem impellit ferè bicubitalem, duriuſculum, lævem, geniculatum, brevia è geniculis folia fundentem, minimo nunquam digito craſſiorem, numeroſis floribus cacumen onerantibus uberrimè ſpicatum. Hi ſucco pleni, degenére à patriis Indis lacteo vultu oculis, odoratiſſimo ſpiritu naribus ſuaviſſimi, aurei mali floribus æquales, ab ima parte particulatim ſeſe explicantes æſtivis menſibus ad hiemem uſque vernant.

Indicus tuberoſus candidus.

Cycla-

Cyclamini, & floris Indici è violaceo nigricantis notæ.

CAPVT V.

TUberosa radix bulbo proxima Cyclaminus est, quam veteres Latini terræ modò umbilicum, modò rapum, modò malum, ac tuber appellarunt. Ejus duo genera discriminat florum gemina tempestivitas, alterum vernum, autumnale alterum, utrunque raro candore charum: nam, pretium cultumque minuente copia, sepibus obvium prope omnibus, licet rosas æmuletur, licet regio colore splendeat, prorsus viluit purpurascens. Quod vere floret, Byzantio translatùm duplici candet aspectu. Flos enim de more in quinque sursum reflexas foliorum lacinias distributus, & veluti refugo à fronte capillo relicinus, aut emaculatam albitudinem grandiore mensura explicat, aut vulgaribus par, & cætera candidus rotundum osculum saturata purpura expingit: odoratam uterque animam, dum vivit, expirat: uterque mucronatæ rotunditatis leniter serrata folia præmittit autumno, quæ (quod familiare plerisque est) subter ex viridi albicant, supernè verò ramulosis toris subrubentibus virent: sed ille latiùs explicata fusco virore albidis maculis interstincto inficit; contractiora hic diluta viriditate, viridiorem umbilicum cingente, distinguit. Vernam folioso

Theophrast. Hist. plant. l. 7. c. 9. Plin. l. 21. c. 9. & lib. 25. c. 9. Ioan. Ruell. de nat. Stirp. l. 2. c. 94.

Cyclaminus gemina.

Verna.

flore prorsus candido Cyclaminum prædictarum priori partibus plerisque simillimam tum floris theca magis turgida, tum flos ipse numerosis foliis nondum satis evolutis primò glomerosus à popularí secernit. Probabilior autumni Cyclaminus aut languidè odorata, aut penitus inodora simili colorum in floribus discerniculo exalbescit. Ejus folia in orbem sparsa, crispa, supernè maculosa, angulata, & marginibus quasi circunrosis crenata ipsis floribus præpostera lentè festinant. Ubi marcidi flores interciderunt, semine gravia longis cum pediculis, quibus insident, capitula multas convolvuntur in spiras, donec terram attingant: illic demum adulta, maturoque partu hiantia semen ostendunt inæquale ac fulvum; quod humo exceptum non abit in germen more seminum cæterorum, sed in tuberculum rotundatur, unde postmodum folia emergunt. Radix tuberosa in orbiculatam latitudinem effusa, oculis interdum, velut in cauliculos, extantibus supernè scabra, senio etiam rugosa candidam carnem nigrante corio investit. Indicum tuber effigie rapuli, colore intus albo, extra subrufo, corpore binos ternosve digitos lato, superno infernoque umbilico angusto, & nonnihil introrsum acto paucos ante annos ad Parisienses hortos edvectum est è Batavia. Illic toto triennio sine fibrarum exortu, sine floris ostentatione ignavum atque inglorium latuit. Romam denique transla-

Autumnalis.

Flos Indicus è violaceo fuscus radice tuberosa.

translatum, velut eroſum terebratumque teredine, in Tranquilli Romauli manus, efficaces nempe cultrices, venit. Hæ vario ſatu indolem tuberis per biennium explorarunt. Et primò quidem florem elicuit macra humus cum exiguo ſabulonis admiſta. Jam verò ferum tuber adeo cultus edomuit, & conſuetudo manſuefecit; ut communi bonoque olerum ſolo gaudeat, arcanumque gaudium floreo riſu exprimat. Septembri menſe radix in fictili primùm depoſita germinavit Octobri; tum verno tepore turgere cœpit in florem: ſed florea ſpes intempeſtivis pruinis præuſta decoxit. Folia exeunt à tubere longa, & ſæpe cubitalia, lata, nervoſa, ſtriata, gladii modo in mucronem exacuta, diluto virore albicantia, propter humum candida rubriſque guttis intertincta. Medius deinde ſcapus exilit densè ramuloſus, & bulboſæ iridis more articulatus, at brevioribus mucronatis foliis articulatim armatus: ut licet iridem nonnemo vocitet, gladiolo tamen propior hæc planta videatur. Flores ſimplici narciſſo grandiuſculo prorſus albo ſuppares in ſex folia decuſſantur ſubter vireſcentia, ſupra è violaceo fuſca, nativo tanquam holoſerico villoſa, furvis & velut fuligine oblitis per ambitum cirris, ſeu fimbriis criſpula & corrugata, atris albidiſque unguibus maculoſa, prominula linea intermeante diſtincta. Medium præterea ſtylum ſurrigunt janthinis, atque albicantibus maculis


Tranquillus Romaulus.

lis notatum, ſtaminibus tenuiſſimis in imo violaceis, in ſummo luteolis capillatum, quaternis quoque majuſculis bifidis crocis exteriorem in decuſſem demiſſiùs digeſtis coronatum. A medio caule ad cacumen uſque ſummis è ramulis, atque ex ipſo foliorum complexu menſe Martio atque Aprili particulatim exiſtunt. Medicamenti cujuſpiam, aut mellis excocti inelegantem odorem expirant. Diem, aut paulò diutius vivunt breviſſima digni vita, quippe nocti mortique nigritudine concolores. Emortui, velut informia veſpertilionum cadavera, illepidè contrahuntur: deinde ultro caduci voluntarium properant ad ſepulcrum. Mira eſt hujus tuberis fœtura: ex imo enim umbilico fibra prodit modò longior, modò brevior, narciſſinæ inſtar candida & modicè craſſa, cujus ſumma pars in tuberculum paulatim ſoboleſcit. Quare factum eſt non ſemel, ut ejus fibræ jam corruptæ ſoluto nexu procul à matre præter morem natus fœtus inobſervato adhuc miraculo inveniretur: interdum quoque brevioris fibræ ligamine adhuc integro ſoboles matri cohærens & contigua, vel etiam de more adnata deprehenditur.

Ane-



FLOS INDICVS E VIOLACEO FVSCVS
RADICE TVBEROSA



Anemones notæ.

CAPVT VI.

FLoriferis oculis abundat exigua radix anemones, ut omnium voluptati oculorum quàm maximè prospiciat. Sunt, qui anemonen Phenion vocent: alii Adonidis ab apro interempti florem appellant: alii Veneris Adonidem lugentis lacrimas in eum florem concrevisse deblaterant, innocentissimi risum floris impuræ fabulæ tragico luctu funestantes: alii denique vim Græci nominis interpretati florem venti nominant, quia non sine vento aperitur; & (quas etiam aula vices alternat) eadem, qua fovebatur aspirante aura, reflante difflatur. Duo autem sunt hujus herbæ fastigia: alterum enim tenuibus coriandri foliis altè multifidis, minutim lacinioſis, atque tergeminis; alterum apii modo divisis, tripartitò dissectis, rotundum per ambitum modicè serratis, & leniter crispis viret. Ejus, quæ tenui folio est, anemones cauliculus nudus, exilis, leviter lanuginosus, palmaris, aut etiam pedalis, circa dimidium aut sub ipsum cacumen tribus foliaceis laciniis sine pediculo pressiùs cohærentibus, & aliquantulum surrectis intercinctus, in cacumine florem explicat latioribus foliis non minus senis, ferè in rosæ amplitudinem circinatum, medio interdum

Plin. l. 21. 23. *Nicander. Theocrit.*

Anemone duplex.

Tenui folio.

terdum globulo ſtaminibus obſito, exalbido, atque villoſo capitulatum, qui tomentoſam in lanuginem ſemine ſubrufo, longiuſculo, planoque plenam aura leviſſima ſolvitur ac diſſipatur : interdum etiam ſine ſeminali capitulo coma denſiſſima capillatum. At verò latifoliæ flos ſimili caule ſuffultus anguſtiorum foliorum modò ſimplici, modò multiplici ſerie contexitur. Excuſſo flore caput in umbilico eminulum naſcentis aſparagi cacumine intumeſcit, exili flocco incanum, & lanuginoſo ſemine denſatum; quo tandem fatiſcente, leviter volitantes ſeminales villos incautis cultoribus auræ præripiunt. Utraque anemone multùm, ſed latifolia è ſemine variè degenerante progenita licentiùs verſicolore varietate laſcivit. Quæ folio tenuiore pubeſcunt floris hujus radices, intus candidæ, pullo foris caſtaneæ colore non ſine multiplici diſcrimine nigricant : pleræque etiam in graciles, preſſas, longulas, & inæqualiter articulatas appendiculas, quas ab imitamento linguas vocitant, effunduntur : nonnullas tamen animadvertimus nodoſis oculis, quàm porrectis lingulis, frequentiores; eæ præſertim ſunt, quæ florem ferunt arboris perſicæ flori concolorem, minutulas lacinias conglomerantem, quæ vivido cinnabaris rubore ſplendeſcentem, quæque planè viridi facie ancipitem an inter flores herba ſit, an inter herbas flos. Diuturna quoque obſervatione comperimus linguæ figura

Lato folio.

Vtriuſque diſcrimina è radicibus.

ſatam

ſatam radicem in tuberoſum oculum adnatis circa oblongis, & planis internodiis lingulatum ſæpe degenerare. Latifoliæ autem univerſæ radicibus indicantur magis nigricantibus, nullas exertantibus lingulas; ſed rotundos in oculos extuberantibus. Hæc autem oculata tubercula aut lata rotunditate ſubſidunt, aut gracili longitudine aſſurgunt. Dubia & facilè fallentia florum diſcrimina petuntur è radicibus; quia ſæpenumero vix, aut ne vix quidem facie diſcrepant: nos certiores cujuſque notas præmonſtrabimus. Inter eas, quæ tenui minutimque conciſo ſunt folio, & folioſo flore, anemonas pallido candore lacteam radix indicat fuſca, tenera, longis hæredibus ſoboleſcens: circunfuſis foliis albicantem, medioque villo ſubrubentem ſubpallida, duriuſcula, longulas in ſoboles porrecta: rubram colore fuſco ferruginea, lingulis oculiſque pariter articulata, rara carie laborans: vegeto cinnabaris colore miniatulam, oculoſque hilari luce perſtringentem degeneri pallore decolor, nodoſis toris levi nexu coëuntibus frequentiùs compacta, cariem ſentire facilis: iſti perſimilis eodem fulgentiſſimo minio albis maculis guttato bicolorem: convoluta utrinque folia exuberante cocco ſaturantem proximè ſuperiore magis fuſca, pluribuſq; ac longioribus lingulis fœcunda: languidè miniatam ex fulvo nigricans, in longas lataſq; ſoboles ramoſa: rubram albo virgatam è cinereo fuſca, atque

Anemone tenui folio, pleno flore lactea.

Albicans.

Rubra.

Cinnabaris ſaturo colore miniata.

Cinnabari albiſque maculis bicolor.

Coccinea foliis convolutis.

Diluto minio colorata.

Rubra albo virgata.

ex

Alba rubro circundata.

ex facili putrescens. Huic parenti pallore ac teneritudine corruptioni obnoxia congener, novo mirabiliq; flore formosè degener geniculatus fœtus pudico & matronali visendam ornatu profert anemonen, purpurea nimirum instita circundato foliorum candore stolatam. Usque adeo non bene floret candida pulchritudo, nisi tutelari pudoris ambitu circuntegatur. Flos autem hic ut habitu, sic origine & pulchritudine Romanus natales habuit sanè memorabiles. Etenim rubræ albo virgatæ anemones humata radix inter flores de more maculosos è sobole adnata candidum florem edidit, cujus oras instar subsuti limbi ambitiosa purpura obibat. Ea soboles & adnotata, & à matre divulsa simili semper miraculo floruit, perpetuamque demisit ex se posteritatem, ejusdem laudis

Trium colorum.

hæredem. Trium colorum anemone, foliis nempe fusco rubore saturatis, amaranthina coma, mediisque eminulis cirris blandè rubentibus insignis è radice dignoscitur nigricante, planos in oculos sæpius collecta, quàm longas in lingulas diffusa;

Quinque colorum.

& frangentibus contumaci. Alia quinque colorum anemone addit superioribus tribus, aut certè consimilibus coëuntium in oculi speciem unguium sulphureum, expassæque comæ imum argenteum colorem. Ejus radix proximè superiore parciùs nigrat, molliùs riget, floresque pro vocibus locuturas copiosè soboleſcit in linguas. Mo-

nendus

nendus hìc es, inveniri præterea degenerem & mendaciſſimam nomine tenus quinque colorum anemonem, re autem ipſa nullius prope coloris: perrarò enim floret, ac luxuriantibus tantùm foliis infeliciter ſilveſcit. Radix hortorum exilio multanda oculorum nodoſa fœcunditate diſcernitur. Saturo rubore fuſca, albo diſtincta trium colorum anemonen refert radicis nigrore; in lingulas ocelloſq; porrigitur, & frequenti carie abſumitur. Violaceam, ſive (ut alii à diluto colore nominant) columbinam ex radice prædiſces miſto atrore cinerea, lingulata, & vitio, poſtquam ingranduit, opportuna: mali Perſici ſubrubicundis floribus concolorem, & medium capillitium colligentem è ſubalbida, tuberculiſque ſæpe acervatim adnatis incommodè coagmentata: eodem languido rubore gemellam, ſed promiſſa & violaceis circundata ſtaminibus como diſparem è longis latiſque ramoſa internodiis, & magis pulla. Quæ floris folia holoſericum imitantia obſoleto rubore infuſcans, mediiſque laciniis virens ſupra morem cæterarum caulem in excelſum impellit; radicem oblonga per intervalla geniculatam vehementer denigrat. Quæ verò viridior herbeſcit, biformis eſt: altera enim confertum medium villum ſuperiore molliorem, velut in paniculam, convolvit: altera ſic ab umbilico ad media uſque exteriora folia viret, inde ad oram ſubrubet; ut pavoninæ cau-

Saturo rubore fuſca, albo diſtincta. Violacca.

Mali Perſici flore ſubrubicunda comam colligens.

Mali Perſici flore ſubrubicunda comam explicans.

Rubra mediis laciniis virens.

Tota viridis.

Vmbilico viridi ſubrubens.

dæ oculatum orbem imitetur; molliſſimum quoq; florei verticis frequentem capillum non criſpat, ſed promittit. Utraque radicem tum oblonga, tum rotunda ſobole extuberantem pullo indiſcriminatim colore ſufficit. Poſtrema inter folioſas recenſetur anemonas, quæ nuper è ſimplicis floris ſemine Romæ floruit formoſiſſima: candidis foliis diluto rubore umbilicatis latiſſimum in orbem patens duplici ſpiſſa coma, & veluti gradata capillatur, altera attonſa & viridi, interjecta mediaque altera intonſa & incana; quæ foliis etiam dilapſis diu florida tam latè expanditur, ut lacinioſum florem anemones latifoliæ mentiatur: provenit autem è radice pallida, compacta, carnoſa, & vegetiſſimas linguas exertante. Probabiles præterea exiſtimantur ſine mediis laciniis anemonæ ſimplices nonnullæ. Inter has quæ, foliorum candorem flammea purpura in radios diſtinguente, purpureis à flammis nomen trahit, radice ſubpallida tenuique cum in oculos, tum in lingulas propagata ſè reparat; lanuginoſo etiam ſemine in varios diſcoloreſque vultus ſeſe reſeminat. Nefas hìc fuerit indictam præterire anemonen, cujus flos à pulchritudine Rex indigitatur. Non deeſt huic Regi nigrans, & florido ſerico villoſa foliorum purpura, cæleſti eleganter colore umbilicata. Purpurea idem folia & laxa & promiſſa in tuliparum æmulationem expandit; ut regio more ſyrma trahere videa-

Alba diluto rubore umbilicata, & coma duplici bicolor.

Flammea flore ſimplici.

Purpurea flore holoſerico ſimplici.

videatur. Radicem articulata gracilitate ramulosam subnigro squalore rufat. Cæterùm latifoliæ anemonæ pari ferme atrore suffectis, nodosis, oculatis, interdum quoque ab opacitate, à morbo, à senio tenuiculas protendentibus cervices radicibus inter se vix differunt. Florem verò duplici aspectu proferunt: aut enim exterior atque ima latiorum foliorum series subviridis, ac discolori floris rudimento virgata tenuissimas & confertissimas floreas lacinias suffulcit; aut foliis flos universis æquè angustis, prolixis, & coloratis micat. Florum præterea, quos tenui folio anemone parit, genera varia præsagimus è prægerminātium varietate foliorum. Candore tum emaculato suaviter lactea, tum obsoleto nitidè sordida folium præmittit frequentibus incisuris leniter lacinioſum, interque incisuras laxius anemones folio, quæ mali Persici florem diluta purpura æmulatur, comamque colligit: lactea tamen & magis explicat, & in viridi dealbat; albicans & angustat, & fuscat. Rubra, albo rubroq; maculosa, & oris puniceis candida effundunt prope consimile, longulo videlicet ab radice pediculo porrectum, mediocriter incisum, sparsum, herbeo colore viride ac subrubens: alba languido rubore umbilicata, & coma duplici bicolor viridissimum, peramplum, crassum, erectum, rariùs interciſum, crispum: hilari cinnabaris fulgore ardentissima, & lacteis guttis irroratis minùs ar-

Latifolia duplex.

Anemones tenui folio discrimina è foliis.

dens, magisque visenda bene viresçens, levi peroras rubore conspersum, raros in ramusculos discretum, & ferè jacens: quæ profundi coloris tristem ruborem interfuso candore diluit & hilarat, minutatim lacinioſum, satis viride, non admodum assurgens: quæ contractis utrinque foliis cocco saturatiore nitet, mediocriter sessile, temperatè virens, & modicis divisuris incisum: diluto minio fucata spissum, laxum, rariùs crenatum, prasinum, nonnihil assurgens: quinque colorum ornatu multiplici singularis rarum, breve, retusum, minutè concisum, humi stratum & planè supinum, fusca viriditate inamœnum: trium colorum felici numero gaudens, & mali Persici flore languidè punicea, quæ mediam glomerat cæsariem, pusillum, densum, multifidum; sed illa herbidum & reptabundum, hæc luridum & minùs pronum: ejusdem mali Persici rubello concolor flori, quæ prolixam depexamque comam staminibus janthinis coronat, raris divisuris crenatum, latis particulis distinctum, & pleno virore splendidum: violacea mediis inter extremas incisuras intervallis superiori subsimile, surrectum, & vegeto colore jucundum: circa umbilicum viridi ambitu oculata oris rubentibus breve, minutum, fastigiatum, modicè incisum, blandè virens, humili silvula procumbens: at verò toto interdum subrubente flore, ac virente coma bicolor

gran-

grandiusculum, parciùs fimbriatum, paulò erectius, minùs silvosum, in viridi pallidum: circunfusis foliis obsoletiùs purpurea, mediisque conglomeratis foliolis virescens altè insectum, longis & ramulosis pediculis dissipatum, raris ramulis brachiatum, incurvum, ac decolori facie inamabile: isti cætera consimile, at viridius, laxius, densius, atque in excelsum emicans quæ villoso florentem holoserico fuscam purpuram induta regale cum habitu nomen usurpat: quæ denique floreas foliorum nives purpureis radiis innocenter flammea pervadit minutulas in lacinias dissectum, contractum, vegetissima viriditate coloratum. Cæterùm ex hujus, quæ tenui folio est, anemones, atque etiam è latifoliæ cujuslibet sato semine ut multicolor florum, ita multiformis atque inenarrabilis foliorum varietas existit.

Ranunculi notæ.

CAPVT VII.

INter hortenses ranunculos lectissimi habentur, quorum exigua radix, pluribus ab uno capite demissis prope rotundis aut longiusculis pallidis radiculis in tenues fibras desinentibus, grumuli effigie coalescit. Oblongis & crassioribus coagmentata simplici flore ranunculum feret. Inter

Ranunculus radiculis in grumum acervatis.

Simplex.

Asiaticus flore aureo simplex.

ter simplices in primis aureus pretiosus est. Brevi prætenuique pediculo nixus quaternis, quinis, seniſve latis foliis nigrum capitis rudimentum coronat, in longuli, plani, minutuli, & subrubentis seminis teretem thecam transiturum. Ima folia modicè lata, pinguia, laciniatim divisa, & leviter serrata ex viridi flavescunt. Cohærentes in grumum radiculæ gracili longitudine porriguntur. Sed radices illæ, quarum flores densa structilique foliorum copia compacti ardentissimè rubent, minusculis quà ferme rotundis, quà oblongis glandulis coagmentantur. Folia pallida, itidem crenata, sed minora, & sæpe tripartita prosiliunt. Cauliculus crassior & procerior, leviter lanuginosus, adnatisque minutim incisis foliis pinnatis aut rectus in unicum, aut obliquè ramulosus in plures desinit flores; qui læta quandoque pabuli luxuria, radicisque robusta juventa è sinu medio altiùs impulsum, brevique pediculo nitentem unum alterumve pariter folioſum seſe evisceranteſ in floſculum. Eum præterea ranunculum nostrates educant horti, cujus granosa radix granis paucioribus, quàm superior, albidis, rotundis, duplo, quàm triticea sint, majoribus in grumulum coalescit. Folia humi repunt rutæ simillima, sed herbaceo colore lætiora: caulis gracilis, imbellis, atque striatus in palmum adolescit: ejus fastigium flore instar candidi multiplicis ranunculi mox

Asiaticus flore coccineo multiplex.

Flavus multiplex folio rutæ.

descri-

deſcribendi folioſo, grandiore tamen ſplendidoque à Martio menſe in Aprilem uſque flaveſcit. Flos autem duplex, alter laxiorum foliorum imo ambitu media foliola ſpiſſiſſima coronat; alter paulò ampliora proximè ſuperioris mediis foliolis folia ſerie pariter denſiſſima in rotunditatem conglobat. Alium prælongis, tenuibus, diffuſiſque radicibus inhærentem ſolo ranunculum noſtri cultores in pretio habent, cujus folia oblonga, ſerrata, dura, nervoſa, aut in ſummis pediculis aut circum ramuloſi caulis alas in ſtellas collata, ſupernè fuſca, ſubter diluta gemino virore pinguntur. Lactei floſculi minuta foliorum denſitate inſtar bellidum turgiduli, unoquoque in ramuſculo ſolitarii gemmantium hortorum ſmaragdinis virgulis præfixæ margaritæ ſunt. Ranunculo, quem globoſum vocant, radix eſt è capite plurimas prætenues fibras in capillamenti modum ſpargens, adnaſcentem in ſobolem itidem capillatam, quæ multiplici è germine prænoſcitur, multiplicabilis: folia eidem lata, rotunda, ſtellatis anfractibus ſinuoſa, crenata, nervoſa, ex viridi pallida: caulis concolor, palmaris, exilis, ac tener: aureo colore flos, geminatis foliis atque in anemones amplitudinem adultis in globum collectus, ſemperque naſcenti ſimilis, Aprili atque Octobri menſe bis vernans: à flore loculatæ vaginulæ complures ſemine plenæ minuto, nigricante, ejuſque ſimilli-

Fibratus flore pleno candido.

Globoſus.

mo, quod regius flos, sive delphinium reddit. Tu-
Tuberosus. berosi ranunculi, quem batrachium cum Græcis
Hist. de herb. virtutib. c. 9. appellat Apulejus, tuber cinereo colore fuscum, rudi verticilli forma scabrosum, grandiorem juglandem nucem magnitudine solet æquare: adnatis è tuberculis pallidas tenuesque fibras longè porrigit: numerosa protrudit folia latam in stellam angulosa, diluto virore picta, ravis maculis distincta, nervulis intercurrentibus lineata, mediocri pediculo nitentia: in tres palmos caulem excitat ramosum, singulis ramusculis summum flosculum fundentibus luteolum, ranunculi, qui rutam folio imitatur, persimilem, at minorem, Majo mense vernantem.

Asphodeli, Pæoniæ, Lilii convallium, & Iucæ Indicæ notæ.

CAPVT VIII.

Asphodelus. ASphodelus, sive hastula regia, non ferro, & flore cuspidata, bicolore vernat aspe-
Flavus. ctu: aut enim flavet, aut albet. Flaventis radix oblongarum veluti glandium, seu naporum acervatis numerosis appendicibus compacta rufescit; nostratibus in hortis libenter hospitatur, felicique floris ac sobolis respondet eventu. Densiore silva folia funduntur herbea, prælonga, angu-

anguſta, lenta, concava, mucronata: medius teres ac firmus in unum alterumve cubitum ſcapus adoleſcit; modiciſque liliaceis floribus ſuaviter olentibus, florido colore flavis, circa ſummum cacumen per partes vernantibus Aprili menſe decoratur. Albi Aſphodeli nomine paucos ante annos à Byzantinis hortis ad Romanos tranſducta eſt radix phalangio non abſimilis; complura, oblonga, craſſa, exalbida fibrarum cruſcula, flavi aſphodeli radicibus graciliora ex uno capite divaricans: peregrino eadem in ſolo exilii pertæſa nec unquam floruit, nec diu vixit. Vetuſtiſſimum & ſaluberrimum inventum, montanæ opacitatis filia, hortorum urbano ſplendore donata, atque Hiſpano præconio montium roſa. Pæonia, minore florum in populo ſpecioſiſſima ſuperbit; quæ confertiſſima foliorum congerie peramplum explet ac perficit orbem abſolutiſſimæ formoſitatis: utque judicibus oculis triumphet, triumphali tum ſaturatæ, tum dilutæ purpuræ ſplendeſcit ornatu. Si ardentiùs purpuret, flore ſenſim exalbeſcente & caduco ferè intra dies octo defloreſcit: bipalmi nititur caule carnoſo & brachiato in folia ramoſa, rariùs fimbriata, vegeto colore ſplendida, inferiùs cæſia & lanuginoſa: radice gignitur præcraſſa, toroſa, foris ſubrufa, intus candida, oblongos & carnoſos in balanos diviſa. Sin leviùs & ſuaviùs rubeat flos; paulatim è roſeo pudore

Albus.

Pæonia pleno flore.

Plin. l. 25. c. 4.

Rubra.

Subrubens.

pūdore niveum in pallorem elangueſcit, nativoque ſcapo pertinaciter adhæreſcens immoritur, folioſo cadavere primùm nigreſcente, tum emarcido, ſiccitate denique notabilem in modum contracto: folia illi dilutiora, & anguſtioribus laciniis conciſa: radix præterea contorta, craſſa, dilutior, longioribus & gracilioribus nodis glanduloſa. Lilium convallium puſilla rotunditate plus odoris, quàm floris includens, per oras denticulatum & reflexum, toto etiam oſculo ſuavem in halitum oſcitans aut ſummè albet, aut modicè rubet: palmaris & rigidus cauliculus à medio ſurſum verſus pronis floſculis oneratur: duplex aut etiam triplex folium liliaceis non abſimile, brevius tamen ſplendidè viret: graminea radix geniculatis latiſſimè proſerpit internodiis: ab iiſdem & radicis cacuminibus novas radiculas diſpergit.

Liliumconvallium.

Floris candorem languidor, ruborem vegetior radicis & folii color; illum præterea laxior, hunc anguſtior utriuſque menſura ſignificat. A floris occaſu bacca turgeſcit primò viridis, deinde rubicunda, duriuſculo ſemine referta. Occidentalis Indiæ Juca radice nititur craſſa, intus candida, foris rufa, geniculata, & velut arundineis bulbis, quos oculos vocant, ſoboleſcente. Verno plerunq; tepore citata folia denſo nemore fundit foliorum Aloës prope gemella, binos palmos longa, robuſta, & rigida, in ſemicirculum canaliculata, in præ-

Album, & ſubrubens.

Iuca.

prædurum, præacutum & fuſcum aculeum convoluto utrinque cacumine minaciter muricata, tenuiora tamen; craſſitudine & colore palmea, nec obliquis per ſumma latera ſpinis exaſperata, ſed fulva margines percurrente linea diſtincta: cum cæteris anni temporibus, tum præcipuè vere toroſus thyrſus aſparagi, ſive haſtulæ regiæ modo emicat aſſurgitque in trium quandoque cubitorum lævem, & ſanguineo colore ſplendentem virgam; quæ diffuſis palmaribus ramulis turbinatim arboreſcens florea tintinnabula, fritillarias citra quadratas maculas imitantia, obſoleto candore pallida, levique nonnunquam rubore interfuſa, inodora, deorſum verſum ſpectantia, raris intervallis numeroſa ſuſpendit: eadem tandem ſine ſemine decidua ſibi poſteriſque moriuntur.

Byzantinæ Lychnidis, & Americani Trachelii notæ.

CAPVT IX.

LYchnis Byzantina miniato ſive coccineo flore multiplici in oblongam, luteo colore nonnihil aſperſam, denſis, promiſſis & capillaceis fibris comatam radicem gracileſcit: in trium quatuorve palmorum caulem extollitur recto ſtatu nitentem, ſtriatum, geniculatum, Lychnis Byzantina miniato flore multiplici.

tum, bina ab nodulorum toris folia longula, è latiore basi in mucronem fastigiata, supernè lævia, subter hirsuta pandentem, geniculatim in ramulos fruticantem. In flores ita lepidè luxuriat: ex oblongis, confertim in orbem circumactis, atq; striatis calyculis caulis vertici umbellam primùm obtendit: ex illis deinde prægnantibus involucris floream pilam densissima serie circinatam parit: florem bellio breviorem non admodum diversis, per ambitum bifidis confertisque barbulis contexit: cum Americano trachelio æstate vernat: in flore implendo exhausta semine deficitur. Trachelium Americanum flore rubro, cui Cardinalis plantæ vulgare nomen indidit color, tenuissima & candida capillamenta demittit, quæ flore dilapso, marcidoq; caule corrupta defluunt, exiguò postfruticantibus novis: folia emittit bellidum foliis subsimilia, pinguia scilicet, humi jacentia, leviss imè serrata; sed viridiora, longiuscula, & crispula: instar asparagi stylum excitat modò simplicem, modò ramulosum, adnatis per intervalla foliis etiam pinnatum: styli ramorumque cacumina conglobatis, velut in paniculam, creberrimis flosculis leviter onerat; subjectam inde teretem viriditatem rarioribus distinguit: flosculos tum extremo vere, tum æstivis mensibus tempestivos, simplicis floris delphinium ex parte referentes fusco rubore villosum sericum mentiente colorat: intra eosdem

Trachelium Americanum flore rubro.

jam

jam peraridos capitula occulit seminis plena nigelli, orbiculati, ac tam exigui, ut in cernendi sensum prope non cadat: ubi flos intabuit, propagandæ soboli vacat.

Caryophyllorum notæ.

CAPVT X.

VT coronariæ vettonicæ, sive vulgatiore nomine caryophylli discrimina internoscantur; ambiguæ fidei semina, radices, & folia inconsultè consuluntur. Floreus enim iste in omnem varietatem Proteus nullius hactenus Aristæi calliditate, ut vera præmonstret, deprehendi potuit. Sæpe fit, ut pulcherrima indicia florem spondeant pulchriorem; flos deinde promissus turpiter degeneret. Quare, dum florent, plantæ præsignandæ, & probabiles ab abortivis segregandæ sunt: eadem enim facies bonis malisque promiscua ex facili fallit. Publicum est omnium niti radicibus lignosis, subrufis aut albidis, multiplici fibra crinitis, in foliaceos sæpe surculos abeuntibus: inde cauliculos existere teretes, graciles, in ipsa gracilitate ligneam duritiem affectantes, pyxidatis geniculis articulatos, foliis obseptos geniculatim inter se adversis, brevibus, carinatis, in viridi colore plerunque glaucis: summos calyces multifidis calyculis suffultos, oblongos, glabros, extre-

extremas per oras orbiculatim denticulatos in flores hiascere modò simplices, modò folioſos, suppari amplitudine rosis proximos, brevibus frequentiùs, interdum etiam profundis laciniis inciſos, mira varietate coloratos, inter aromata nobilis caryophylli tum odore tum nomine insignitos: arefactis demum floribus, longos ac duriusculos calycibus incluſos folliculos plano & nigello semine turgescere. At verò caryophyllus pleno flore minutè altéq; insecto pinnatus seu fimbriatus & minor & major apertè proditur saturatæ fuscæque viriditatis folio: ille præterea minutulo secernitur à cæteris. Caryophyllo propemodum par & congener recenti nomine flos Armerius, ne magnitudine superetur, flosculorum congeſtu latam explicat umbellam. Ejus quoq; prævium discerniculũ in folio est brevi, lato, & ejus herbæ, quam saponariam vocant, simillimo.

Caryophyllus pleno flore pinnatus minor & major. Flos Armerius.

Granadillæ, sive Maracoti notæ.

CAPVT XI.

ILle diu à noſtratis mundi hortis omnibus hiulco florum ore suſpiratus, ille è Peruanis ac Mexicanis longè disterminatis finibus accersitus, poëtarum ille canoro, atque oratorum facundo plausu tandem exceptus, divini Amoris manu vitalibus inscriptus doloribus Granadillæ flos, quem Indi Maracotum vocant; ut à mortalibus

bus obitos pro Deo cruciatus in coronam transituros intelligamus; illud, inquam, floreum ac suave miraculum quotidiano spectaculo prope jam viluit universis. Vix est, qui præterea miretur, pœnas degenerasse in florē, fortiter tolerantibus adulantem; extima per ambitum folia in aculeos extenuari, spineæ coronæ memoria molliter compungentes; ream pro nobis innocentiam in foliis albescere; pertæsa sævi laniatus cruenta flagra in floridæ voluptatis purpuream telam redordiendam filatim retexi ac superinduci; saxo in germen emollito, columnam ex atrio crudelitatis ad piam in flore medio structuram excitandum transmigrare; columnæ imminere globosum rudimentum spongiæ quondam felle imbutæ, deliciarum aviditatem detergentis; modò ternos, modò quaternos extare conformatos capitatis è staminibus clavos, animis amabiliter configendis aptissimos; unam crucis effigiem desiderari, quòd extremam sævitiam floris indoles mitissima repræsentare non audet; folium in lanceam exacui, sed innocentem, quippe retusam in ipsius vulnerato pectore charitatis; suavem denique ac medicatum fructum ad cordis imaginem rotundari, cum è divini vulneris flore vitalis fructus extiterit, amantis Dei cor. Vix, inquam, est, quem cura & cultura tangat floris planè admirabilis, in quo ipsi vernant ac rident acerbissimi dolores. Si

quem

quem tamen non piget, imò delectat, ſalutis à Deo acceptæ infinitum beneficium in floreas notas ſuaviter contractum grata recordatione relegere, eodemque mortalium animos immortaliter eſſe inſcribendos vel à floribus placet admoneri : ſi juvat è funebri Amoris flore ſalubrem ſæpe fructum colligere in cordis amabilem figuram, ut cordatiſſimos amantes faciat, conformatum ; radicem & folia, ne fallant indicia, prænoſcito. Radix in luteum pallorem languida & geniculata inextirpabili fœcunditate proſerpit, ſoboleſcit,& fruticat: fictilibus verò clauſtris contineri neſcia per imum foramen in ſubjecti ſoli amplitudinem clandeſtino reptatu ſe penetrat ; multiplicique atque erratico gramineo lapſu latiſſimè ſpatiatur. Folia quaſi trigona ſambuci roſeæ, ſeu potiùs lupi ſalictarii profundo inciſu tripartita, majorem mediam laciniam porrigentia, quaternas aut ſenas uncias longa, minutim ſerrata, lævia, tenuia, imbecilla, aliquantulum venoſa, diluto colore virentia, inferiùs etiam dilutiora, graviter olentia, alternis diſpoſita, ternos inter ſe digitos diſſita lentum vitilemque caulem prævelant ; qui, cum vires ſine adminiculo ſtandi non habeat, quicquid claviculis, veluti manibus, nanciſcitur, avidè comprehendit, arduoque aſcenſu reptabundus, & cameras ac pergulas operiens æſtuantium Indorum hortenſes cœnas jucundiſſimè

mè inopacat. Nobis etiam cancellatim ſcanſilem arundineam, ſive virgeam ſtructuram ſequaci viriditate prætexens Indicæ regionis remotiſſimam umbram commodat. Atque hoc ſanè ſapienter de more congruenterque artifex natura caduco in flore luſit; ut, qui divini Liberatoris ſervile ſuſpendium eligentis acerbiſſimos cruciatus opere ſingulari velut miſeratus exprimeret, in crucis formam decuſſata ſtatumina penſilis adamaret.

Gelſiminorum notæ.

CAPVT XII.

CIterioris ejus Hiſpaniæ, quam veteri nomine Laletaniam, recenti Cataloniam vocant, flos fortaſſe ab animæ ſuaviſſimæ prodiga expiratione exanimato ſimilis, & exangui colore candidus, æſtate autumnoque tempeſtivus, blando vocabulo ab Italis deducto Gelſiminum, aſperiore Arabum appellatione Græcam odorariæ violæ ſignificationem ſubolente Jaſme vel Joſme, Jaſminum vel Jeſeminum tum ampliore mole, tum acutiore odore à ſilveſtri noſtrate ſejungitur, Virgæ præterea è pallido, ſcabro, duro, lignoſa, fibrataque radice ſtabilito caudice ſimiliter fruti-

Gelſiminū Hiſpanum candido flore ſimplex.

Matthiol. in Dioſcor. l. 1. c. 66.

Ioan. Ruell. de nat. Stirp. l. 1. c. 84.

cantes, proceræ, lentæ, &, quò libeat, flecti obſequentes, geniculatæ, binis ad ſingula geniculafoliis alatæ, ramuloſæ, medullitus candidæ fungoſæque, fotis tamen diluta viriditate lætiores modò arundineos cancellos topiario textu conveſtiunt, atque ſcenas hortenſes textili umbraculo prætendunt; modò circunfuſo convexoque in fictilibus nemore viride cælum cæruleo ſubtexunt: folia quoque Hiſpano, quàm ſilvatico noſtrati, ſimillimis in diviſuris latiora, obtuſiora, craſſiora, nigriora.

Hiſpanum multiplex. Tranquillus Romaulus.

Quod autem in ſuis Romanæ amœnitatis hortis Tranquillus Romaulus conferta foliorum ſerie omnino ſingulare prior aluit gelſiminum, dimidio, quàm proximè ſuperius, breviorem tubulum protendit: quina vel ſena folia in ſtellam dividit: terna ſive etiam quaterna ex umbilico ſurrigit, quæ nonnunquam in globulum colliguntur: quinto ferè die ſeneſcens non dilabitur, ſed in natali ramulo inareſcit: poſt multos dies dehiſcens tubulus florem alterum plerunque parit: acriùs olet: more ſuperioris ab æſtate in hiemem uſque vernat, & gemella viriditate frondeſcit. Gelſiminum Arabicum, ſive Alexandrinum, ſive etiam Arabica novo nomine Syringa (Sambacum Arabes vocant) frutex eſt Ægyptius in unum alterumve cubitum arboreſcens. Quamvis pollicari craſſamento, brevique longitudine nanus, arborea tamen duritie ſcindi contu-

Arabicum. *C. Cluſ. Cur. poſt. pag. 3.*

max,

max, ſquaroſus, palliduſque ſtipes in tenuia & longula ramorum brachiola ſpargitur: folia interſe adverſa mali aurei, quod aurantium dicunt, ſeu potiùs coronarii fruticis, quem albo flore Syringam vulgò appellant, foliis conſimilia, tenuiora tamen ac pallidiora, nulliſque crenata inciſuris ramulos inveſtiunt: è ſummis ramulis flores brevibus innixi petiolis ab Aprili menſe ad extremum uſque Octobrem erumpunt, modò duodenis, modò denis, novenis minimùm foliis duplicem in ſeriem digeſtis inſtructi, proximè deſcriptis anguſtiores, albitudine obſoleta palliduli, parum tubulati, umbilico circa tubum flavente diſcolores, Hiſpani gelſimini atque aurei mali floream ſuavitatem odoratiſſimo conjunctim halitu inhalantes, more cæterorum caduci. Ut illud hìc dolere & conqueri habeamus, Ægyptum eſſe jam floribus, quàm moribus odoratiorem. Luteum Italiæ gelſiminum, quippe minuſculum nulloque odore amabile, præcipui noſtrates horti non dignantur hoſpitio. Flavum Indiæ odoratiſſimum alio loco opportuniùs, nempe in hortis Barberinis inter Indicas plantas olfaciemus. Planta eſt inter Indicas, ut nativorum florum, ſic peregrinorum nominum fertiliſſima, quæ patria voce Quamoclitum dicitur. A noſtris enim cultioris ingenii ſermoniſque cultoribus modò gelſiminum Americanum, modo rubrum In-

l. 3. c. 20. Americanum.

C. Cluſ. Cur. Poſt. pag. 4.

Fab. Columna Minùs cognit. Stirp. & Rar. par. 2. c. ult.

dorum gelſiminum annuum, modò gelſiminum folio millefolii, modò Convolvulus tenui folio, modò deniq; Convolvulus pinnatus exoticus rarior nominatur. Hic ab imo ad ſummum geniculatim fruticat, in longos vitileſque ramulos itidem geniculatos & fruticoſos ambitiosè brachiatus, imò verò foliis tenuiſſima diviſura pinnatis volucer ad inſcendendos libertate penſili ſummos cancellatæ ſtructuræ gradus. Tanta eſt vel ipſis herbulis aviditas ſublimitatis. Quin etiam æſtivis caloribus viridiſſimæ umbræ topiarium Briareo par, hoc eſt numeroſis viticulis centimanus prætexit. Flores oblongi ac tubulati, ſumma parte repandi & quinquepartiti, exuberante Cancami, quod vulgò Laccam vocant, colore renidentes, lineolis rugiſve ſtriati, ſtaminibus quinis pallidis capillati, longo petiolo ſinguli binive inſidentes, alternato ſitu è ramuloſi caulis geniculis ab Auguſto menſe ad extremum uſque Septembrem exiſtunt. Squamoſi demum folliculi turgent quaternis, oblongis, nigris, duriſque ſeminibus fœti. Indicum, ſive Canadanum gelſiminum maximum caule tenui, geniculato, lento, atque erratico, quamvis ſuapte natura caducum, reptabunda tamen ambitione ad excelſa faſtigia evadit. Lignea in primis amat adminicula, quibus hederacea tenacitate adhæret, non quidem inſtar hederæ toto corpore, ſed


Indicum maximum flore phœnicco.

unis

unis geniculis radicosum. Ex iisdem folia fundit agrestis gelsimini foliis non absimilia, sed productiora & per ambitum serrata. Ramosi caulis deflexa cacumina rotundorum calycum sursum versùm spectantium densis & subrubentibus corymbis racemata turgent; è quibus in gemini transversi digiti longitudinem adultis, punicique Cytini denticulata figura dehiscentibus tubuli leviter crocei, summa parte conniventes, porrectum circiter digitum longi procurrunt; hiulco deinde osculo in quinque labella resupinato, imo ventre substricto, medio turgidulo, cervice angustiore æstivis mensibus efflorescunt; dilutisque crocis, necnon medio longiore albicante stamine capillantur. Dum vernant, saturatiore subinde phœniceo colore, villosum holosericum referente, ac flaventibus longas in strias lineis distincto expinguntur. Tabidi tandem florei tubuli defluunt, hærentibus cum extante medio stamine calycibus. Barberinos recens in hortos translatus hic flos cœpit in semen siliquari. Ex arido calyce siliqua porrigitur in viridi subrubens, in digitum longa, ima parte summaq; tenuis, media turgens, infra supraque intercurrente prominulo toro bipartita, seminibus gravis, ut in luteo leucoio, minutis, rufis, membranaceis. Quanquam hæc membranæ prætenuis involucro circunsepta, multiplicique serie prope innumerabilia circa nigrum &

molle dissepimentum, lingulæ imagine interjectum, confertim conserteque constipantur.


GELSIMINVM INDICVM FLORE
PHOENICEO



Rosarum notæ.

CAPVT XIII.

ROsa ex alabastri concha emergens hortorum pudica Venus est; nec alterius Veneris impuro sanguine impudenter erubuit, suo decentiùs pudibunda. Eadem non aspersa nectare inter fabulosas Deorum epulas tripudiantis ad Amoris impulsum effuso, sed succo suo nectarea purpuravit. Quin potiùs toto vultu Amoris æmula, semper juvenis, mollis, & recens, necnon aureis capillis nitida; folia pro alis, pro face fulgorem, spinas pro spiculis gestans, alter floridulus Amor est. Rosa punctiunculis vellicat, ut cupere se legi præmoneat: amicè vulnerat, ut vulnusculis geminet rosas: spinam emoriens hæredem relinquit horridulam, aculeatum nempe desiderium sui. Rosa volumen amœnitatum omnium, in qua legitur tota in florem contracta formositas, tam decoro suomet nomine inscribitur, ut inscriptis aliena Regum nomina floribus florum Regina non invideat; imò suum commodet nomen rebus blandissimè nominandis. Rosa, ingenuus anni tenerioris pudor, odoratum veris blandientis osculum, terræ comantis pulcherrimus cincinnus, fugacis pulchritudinis lætum fulgur, quamvis plurima spina fulmineum, Rosæ laus.

mineum, vultu multiplici variat, in quolibet formosa. Quicunque autem rosarum differentias à nocentibus indiciis innoxius prædivinare vult; spinas oculis, non manibus consulat. Odoratiores scabro cortice præsentiat, halitu crassiore atque terreno in extimam scabritiem concrescente, tenui verò igneoque odoratam animam inspirante.

Theophrast. de hist. plant. l. 6. c. 6.

Plin. l. 21. c. 4.

Rosa alba multiplex. Rosa alba multiplex, nempe erudito scriptorum dissidio sive Plinii Spineola, sive Campana, sive Alabandica, lacteo flore splendescens virgas exerit exuberante colore virides, proceras, spineis hamis aduncis, grandibus, frequentibus, subrubente livore vulnera & sanguinem sitientibus captiosas. Non absimilis obsoleto albore languidè rubens, dubioque rubore albicans, folioso flore rosa præacutis recurvatisque sentibus, quasi caninis dentibus, mordacissima est. Odoratæ pallidæque pleno flore Damascenæ rosæ, quam Plinii Coroneolam alii, alii spineolam interpretantur, è viridi purpurascentem caudicem, ramosaque inde silvula diffusas saturo colore virentes virgas obarmant spinæ admodum infrequentes, breves, duræ, rubidæ, lata è basi recurvos in aculeos uncinatæ. Vulgari sativæ densis foliis leviter ex albo rubescenti, quam aut Plinianam Alabandicam, aut Trachiniam esse scriptores sanè nobiles autumant, virgei rami breviores, graciliores, subvirides, minorum grandiorumque spinarum

R. Dodon. Stirp. Hist. Pempt. 2. l. 1. c. 28.

Ioan. Bapt. Porta Villæ l. 9. c. 5.

Albicans flore pleno.

Damascena multiplex.

Matthiol. in Dioscor. l. 1. c. 112.

Subrubens flore multiplici.

R. Dodon. ib. Ioan. Bapt. Portæ ibidē.

pro-

promiſcuè crebris, languido pallore lividis, intentiſque mucronibus minaces. Quæ variè diluto folioſi floris rubore maculoſa, Prænestina dicitur, aſperitate pariter aculeata inhorreſcit. Italica flore ſuaviter rubente perpetua, proximè ſuperioribus duabus perſimilis, denſioribus ſævit aculeis. Batava flore oris humani rubicundam temperiem imitante atque odorato Centifolia fruticem quà bene virentem, quà ex viridi rubeſcentem ſpinis aſperat quamvis aduncis, tamen mollioribus, non ita crebris, è cineracea baſi rufum in aculeum deſinentibus. Flore ardentiùs rubente, odore nullo probabilis, uno glorioſa nomine altera Centifolia, quam Plinius Campanam, Prænestinam Cluſius appellat, viridi, graciliore, improcero, nulliſque ferè ſpinis metuendo frutice funditur. Cinnamominæ flore multiplici ſubrubentis frequentes, breves, exiles, ſanguinea purpura nitidi caules ſpinis non admodum denſis, exiguis, hamatis, leviter fulvis leniter pungunt. Gemellas pleno flore roſas, nempe tum ardentiſſimè rubentem Mileſiam, tum ex rubro nigricantem, cui fecit holoſericæ nomen ſerico ſimillima, & veluti villoſa mollities, tenues, teretes, fuſca viriditate illitæ, atque ex parte ſubrubicundæ, minutis & ferè aſpectum fugientibus aculeis innocenter hiſpidæ virgæ proferunt. Miror hìc, poſtremam ex rubore in atrorem inclinatam Plinii Trachiniam vocari à Camerario; cum

Variegata flore pleno. *R. Dodon. ib.*

Italica flore pleno perpetua.

Batava centifolia.

Centifolia inodora.

Plin. l. 21. c. 4.

Ioan. Bapt. Porta ibid.

C. Cluſ. Rarior. plant. Hiſt. l. 1. c. 81.

Cinnamomina pleno flore.

Rubra flore pleno.

Ex rubro nigricans duplicato flore.

cum Trachiniam idem Plinius Mileſia minùs aſſerat rubere, nigricans verò longè ſuperet purpura coloratiore Mileſiam. Folioſo auro flava ſive lutea, jucundi aſpectus, ignavique odoris roſa rufi fruticis virgeos caules numeroſiore pertinacium ſpinarum agmine inſtruit, quarum pleræque luteolæ ſpiculis vellicant minutiſſimis, perraræ paulò grandiores, ſubnigro pallore cinereæ, recurvæ, identidem etiam binæ, junctimque prominulæ altiùs lacerant.

Lutea multiplex.

Florentium arbuſcularum notæ.

CAPVT XIV.

FLorentium arbuſcularum adhuc infrequentes noſtrates horti perpaucas nobilioreſque mihi ſuppeditant commonſtrandas. Arbor Perſica flore multiplici nobilis ligno extra cinereo, intus flavente, mediocriter lævi, foliis oblongis ſerratiſque non diſcrepat à vulgari. Flores tepore verno evocati, roſeo pudore ſubrubicundi, leviter odorati, folioſo textu Damaſcenæ roſæ pares ſpiſſo arctoque congeſtu ramulis adhæreſcunt; rari autem in fructum exeunt, magna virium parte vernam in oſtentationem effuſa. Eſt etiam Ceraſus, quam cæteris partibus, ideſt obſcurè puniceo, & circulatim albicante cortice, crenatis etiam mucronatiſque foliis indiſcre-

Arbor Perſica flore multiplici.

Ceraſus flore multiplici.

discretam pleniorum tantummodo florum gloria discriminat. Flores è plerisque ramorum oculis minimùm terni, folioſi, mediis sæpe foliolis convolutis ex parte conniventes, de more candidi, longulis petiolis appensi numeroso proventu pendent. Flore albo Genista, sive tertium Clusii Spartum Hispanum justa proceritate arboreſcit: lignosas & arboreas radices agit: cineraceo caudice assurgit: numerosos implexosque ramos viridi pallore tingit: ex iisdem virgulas more passi dissipatique capillamenti demittit densissimas, prætenues, ferè cubitales, ramulosas, lentas, instar viminis obsequibiles, ocellisque distinctas creberrimis; unde folia rutæ foliolis minutiora, floscule imo tantùm nodulo rubentes, cætera candidi existunt; pulchrè pendulis floridis virgulis, tanquam lineis margaritarum: vere toto vernat: exinde cartilagineas, prope rotundas, ex viridi flaveſcentes siliquas seminibus implet singulis, rarò binis, ferme orbiculatis, colore fusco virentibus, lævibus, duris, germinare morosis. Myrtus pleno flore latifolia in arbusculam commodæ staturæ adoleſcit: myrtum silveſtrem foliorum infrequentia, latitudine, dilutaque viriditate simulat: florum autem candore ambituque Bellidem adæquat: ab Aprili menſe ad hiemem usque, nonnunquam etiam tepidioribus hibernis mensibus floret, ac triſte senium anni genialiter coronat. Suam quoque myrto

Genista flore albo. *C. Clus. Rarior. plant. Hist. l. 1. c. 70.*

Myrtus latifolia flore pleno.

Laurus Indica.

myrto lectissimæ India Laurum adjungit, quæ jure Farnesia primùm extitit in domo, quippe inusitatas laureas promerita. Discrimen est in dilutæ hilarisque viriditatis cortice; in foliis inter vulgarem ac regiam laurum interjectis mediisque, ac ferè citrinis; in flosculis subalbidis, tereti congerie racematis; in baccis instar oleæ grandioribus minusque nigrantibus. Exotici oleastri, quem ab odoris suavitate Paradisi arborem aliqui malunt appellare, cortex saturato rubore nigricat: rami dilutiores atque spiniferi densa fruticatione silvescunt: folia vere primo renascentia, extremo autumno decidua, angusta, oblonga, glauca, lanuginosa, tactuque mollia silvestrem Salicem referunt: flores totis ramis Majo mense quà separatim, quà conjunctim internascentes, Hispani hyacinthi aspectu perbreves, ex obsoleto virore in luteum colorem inclinantes diductis labellis aromaticum halitum procul inhalant: baccæ subeunt oleæ sativæ baccis minores, tenuique cute rubentes. Ex arbusculis vulgatioribus rosea Sambucus globoso speciosoque flore persuadet, ut rariores inter arbusculas numeretur. Fruticosa nascitur: cinereo corticis colore sordet: candidæ multum medullæ includit: folia explicat angulosa, vitigineis consimilia, sed minora & molliora: quinis foliis flosculos complures, eleganter albidos, inodoros, steriles, in globosum florem floreumve globum

Oleaster exoticus.

Sambucus rosea.

bum culturæ (ut creditur) mangonio denſatos, extremo vere colligit. Multiplici punicantem Balauſtio ſilveſtrem arbuſculam libro materiaque flaventibus, foliis anguſtis nitidéque viridibus Punicæ mali gemellam infructuoſam ipſa ſterilitas voluptati oculorum a Majo menſe ad Auguſtum uſque fertilis hortorum amœna ſede donavit. Hoc primùm anno Romæ vernavit peregrina Græci nominis Rhus, ſive Arabicæ appellationis Sumachus Indorum, excelſa floridæ purpuræ oſtentatione arboreſcens. Ante quatuor annos ferè bipalmis ad Tranquillum Romaulum Pariſiis miſſa hæc planta in quindecim palmos adolevit. Radices illi copioſæ, ſpiſſæ, minutæ, ſubrufæ. Recenti germinatione impulſæ virgæ brevi pilo hirſutæ rufeſcunt, ſolæque frondent. Annuo ſpatio jam exacto ætas robuſtior ligneam duritiem, raripilum lævorem, foliaceum defluvium, pallorem cinereum inducit. Sorbum è foliorum oblonga figura, ſerratoque ambitu conjiceres; niſi horum longitudo major obſtaret. Eadem folia læto virore ſaturata prolixis, modicè piloſis, perque ramorum latera alternatis ramulis ſive pediculis gemello utrinque ortu pinnarum aſpectu cohærent. Floribus tempeſtivus eſt Majus extremus. Suum quiſque initio ſummus ramus rudem viridemque turget in racemum, qui cum incremento paulatim formam ruboremque trahit.

Malus Punica ſilveſtris pleno flore.

Rhus peregrina.

Tranquillus Romaulus.

trahit. Etenim flos in vulgaris amaranthi ſpicam exacuitur, atque in villoſam purpuram accenditur, mediis granis pulchrè flaventibus. Utidem videri poſſit, fertili vernans miraculo, ſpecilegium ſimul & racemationem facere; ſeu verna facie geminam æſtatis autumnique annonam præſeferre. Et lignum & folium ficulneo lacte, quo nutriantur, abundant: aſſiduoque dum lactatu vivunt, etiam, ubi conſenuerunt, in infantia ſunt. Quare cautio eſt, ne ſtato anni tempore uberrimè lacteſcentis in teneram germinationem arboris rami vel amputentur, vel avellantur: quia ex facili fieret, ut alter hic ſine fabula Polydorus, ſi non ſanguineam, certè lacteam ex vulnere animam funderet; profuſoque vitali ſucco præmoriens vitam ſibi nativo nomine fluxiorem eſſe conquereretur. Extremi autumni primus rigor decuſſis foliis ramulos relinquit inveſtes; quos etiam adultiora paulò poſt frigora dejiciunt, qua parte extuberantem ramorum oculum, tanquam altricem papillam excipiunt, modicè cavos. Ab exitu Novembris ad veris initium crebris oculis diſtincti piloſique rami ſilent. Verno tandem tepore à frigido ſterilique veterno excitata virgarum cacumina & capita ſummum folioſo rubentique germine turgidulum oculum aperiunt Inde ramuſculi ſenſim exiſtunt & adoleſcunt, æquali, quam ſupra deſcripſi, ſerie foliati. Illud etiam

inter-

interdum evenit, ut è duro nonnulla vegetior gemma trudatur, & materiæ anilitas raro germinatu lasciviat. Posteritati consulit hæc arbor more lauri, è radicibus latè dispersis hærede submisso. Eadem Indicæ Acaciæ Farnesianis in hortis primùm visæ magnitudo, quæ nuci Avellanæ: radix unica, prælonga, crassa, radiculis pluribus ramosa, in rectum altè descendens, per autumnum, dum flores lactat, succosior, ab incisione atque fractura contusam putremve brassicam validè longéque olens: caudex cortice pallido, materia albicante, dura, inodora, insulsa: rami proceri, frangi contumaces, flexiles, alterno adversoque situ articulati, binis ad ipsos articulos albidis, ferè uncialibus, perennibusque aculeis quodammodo cornigeri, diluto colore ferruginei, & punctim maculosi: folia bellè virentia & pinnata, id est composita è foliolis inter se adversis, per æquales numero pediculos medio ramulo adnatos distributis, mane sese pandentibus, sub vesperam contrahentibus: flores inter aculeos, interque foliorum alas tum verni, tum autumnales; illi parciùs, hi uberiùs provenientes; illi brevissimo, hi longulo pediculo porrecti; utrique verò mediocris ceraſi magnitudine globosi, primò virentes, deinde lutei, post biduum triduumve pallidi, tenuissimorum staminum in luteos apices deficientium eminentibus flocculis ex oblongis ca-

Acacia Indica.

lyculis compluribus in orbem digestis lanuginosi, & acuto luteum Leucoium odore vibrantes: è floribus mediis siliquæ modò singulæ, modò binæ, modò ternæ, atque adeo denæ pluresve, utpote à numerosis calyculis exortæ initio virides, postremò nigrantes, falcatæ, longitudine digitales, latitudine ferè pollicares, ab inclusis seminibus verrucosæ: ipsa vero semina cum siliquis primùm virentia, deinde ferruginea, inordinatata, compressa, oblonga, pisum æquantia, bifida, durissima, mandentibus allium olentia. Molle nominant Indi arborem è Peruanis convallibus ad nos invectam. Ea cortice est exalbido, scabro, candidam resinam oculorum caligini discutiendæ medicatam exudante: ramis prolixis, lævibus, lentis, atq; in terram proclivibus: foliis more lentisci velut in alas explicatis, nonnihil flaccidis, longo pediculo utrinque cohærentibus, minimè serratis, asperrimum piperis odorem saporemque præstantibus, ab avulsione lacteo succo, eoque lento, glutinoso, odoratoq; manantibus: floribus minutissimis, candidis, rubellos crocos includentibus, palmari racemo pendulis, ab Augusto mense ad Octobrem vernantibus, deinde in semen abeuntibus albi piperis aspectu rotundum, læve, subrubente pellicula involutum, racemosa congerie cohærens, sapore acerrimum. Satis jam multa de præcipuis arbusculis: exoticas alias nonnullas locus duplex opportunior exhibebit.

Molle. *C. Clus. Exot. l. 10. c. 24.*

l. 3. c. 20. & l. 4. c. 6.

FLO-

FLORUM SATUS ET EDUCATIO LIBER TERTIUS.

Lex floris ſerendi.

CAPUT I.



Egiferæ Floræ oraculo ſimilis, & perplexa lex eſt: Quicunque rite ſerere vis, priùs papyrum, quàm ſolum conſerito. Hunc ego nodum Gordiano ſanè impeditiorem Magno faciliùs Alexandro ſine ferro ſic expedio. Antequam hortum conſeras, ejuſdem lineárem picturam quàm breviſſima poteris in papyro graphicè deformato: areolam unamquanque varia numerorum nota diſtinguito: graphidem hanc in geminas pagellas plicatilem ſcriptoriæ thecæ, ut diutius maneat, agglutinato: memorialem præterea libellum ad graphidis commenſum compingito: in eandem thecam includito: in eo libello ad pagellarum margines areolis ipſis inſcriptas notas ordine deſcribito: poſt ſingulos nu-

Quo pacto præformandi horti papyracei, in iiſque ſemina diſponenda.

meros, pulvinorum indices, deſtinatarum adjicito nomina radicum, quæ tum in bulbos, tum in tubera conglobatæ potiſſimùm feruntur; quæque hortenſium deliciarum prȩcipua ſemina ſunt: ut varias cujuſque pulvini radices breviter & clarè annotes, lineatas areolas, quo quæque loco diverſis conſeri radicibus debent, litterulis, vel quo alio arbitrario ſigno inſignito: eadem ſigna areolarum, ad quas pertinent, numeris libello adſcriptis ſubjicito: è regione atque ad lineam florum nomina in album referto. Quòd ſi laxioris horti tota deſcriptio in geminas contrahi paginas non poſſit; in plures membratim partitéque ita colligatur, ut mediis duabus ipſi thecæ conglutinatis, quæ utrinque excedunt, plicatili compendio intra eandem thecam includantur. Verùm, ut prævia hæc papyracea conſitura quàm conſultiſſima ſit, florum patriam indolemque prænoſcito. Debet enim accuratus callere ſator, ex quo natali loco, è calido ne an frigido, ex humido an ſicco, è pingui an jejuno, ex aprico an opaco unumquodque florum genus in exteras oras propagatum ſit; ut ſuis quenque locis queat florem prudenter atque feliciter deſtinare. Ad hæc floriferarum radicum ſuas in claſſes tributarum numerum inito: ne is excidat, annotato: quot quiſque pulvinus radices quaternorum inter ſe digitorum intervallo, aut rariùs diſſerendas capiat, computato: pulvinis ita radi-

Florum patria prædiſcenda.

Numerus recenſendus.

radices destinato, ut, quæ præcocem, quæ tempestivum, quæque serotinum florem ferant, singuli contineant; totoque ferme anno vernantes simul pubescant, simulque consenescant. Ea præterea in florifero satu diligenter curato, ut radices permisceas, quarum una ab alia, cum eruetur, facilè discernatur, cujusmodi sunt hyacinthinæ ac narcissinæ: ut cujusque generis radices certis pro areolæ figura locis collocatæ artificioso florum colorumque in adversis transversisve pulvinis responsu oculos delectent: ut è pluribus unum florum genus unicuique pulvino copiosius assignes, quod, velut unicolor vestis, variorum floscul orum discoloribus gemmis distinguatur: ut ordinata denique colorum confusio aut versicoloris texturæ aulæum, aut acu pictum variatumque phrygium opus æmuletur. Scio complures esse, nec ipse paucos novi nobiles colonos, colendi floris callidos & solertes, quorum alii differunt in areas sui cujusque generis res; alii verò tam multa tam varia inter se confundunt, ut in singulis pulvinis ex unoquoque genere vix florum uni aut alteri locus sit. Equidem, ut omnes unicè amo, sic ab utrisque amicè dissentio: quòd illorum areæ unico rerum genere consitæ, floribus per temporum statas vices defloreſcentibus, sparsim nudæ turpiter calveſcant; horum verò valde miscellus & quasi confusaneus hortus colorum obruat grata discri-

Mista satio ut facienda.

mina discretamque radicum inventionem impediat. Quare consultior mihi Apollo, sive sanior sententia non aurem, sed animum vellit; atque non Phaëtonti solùm in cælo percurrendo, sed mihi quoque in hortulo conserendo fugienda esse rerum extrema sic admonet, Inter utrunque tene: medio tutissimus ibis. Mirandum igitur non est, & præferri à me, & præcipi mediocrem florum in satione misturam. Non diffiteor mitissimos etiam hortorum cives, ac meram suavitatem, flores civilibus inter se odiis adeo posse dissidere, ut, si promiscui serantur, inimica vicinitate cominus pugnantes vel sese mutuò interimant, vel in sterilitatem effascinent. Verùm adhuc tam graves inimicitiæ compertæ mihi non sunt, ut versicolor societas inamœno divortio mutanda videatur.

Tranquillus Romaulus. Ranunculus ab anemona distinendus.

Unus Tranquilli Romauli, erudito florum cultu florentissimi viri, consilio ab anemona ranunculus distineri debet: assitus enim eam perurit & emaciat. Ad hæc non forensis modò, sed hortensis quoque negotii peritissimus, cultissima indole civis meus, Polydorus Neruccius diuturno sibi experimento deprehensum affirmat, quæ florem fundunt radice majorem, distinctè, quàm permistè positas plantas feliciùs provenire. Hoc igitur authore ranunculos, junceo folio Hispanos narcissos, tulipas, aliosque hujus notæ flore separatim; cæteros eo, quem præscripsi, conjunctim

Polydorus Neruccius. Qui flores seorsum, qui permistè serendi.


ordine

ordine collocabis. Illa quoque ſpeciosè noſtros diſtinguet hortos ingenioſa permiſtio, quam in ſuis adhibet Ciſternanis Franciſcus Caëtanus Sermonetæ Dux, tam hominum, quàm florum temperator amœniſſimus. Is ergo areolas pleraſque floribus triplici duplicive tum genere, tum colore diſcretis ſeorſum, hoc eſt tripartitò bipartitòve ita conſerit, ut adverſæ tranſverſæque vel eadem, vel ſimili varietate reſpondeant; utque proximæ diverſorum ſatu colorum diſcriminentur. Si qua verò commodè vacent interjecta ſpatia, ea tuberoſo Indiæ candido hyacintho conſitis depreſſiſque fictilibus media implet, miſcellaneo pulchrè eminentis coloris flore per angulos diſtributo. Quin etiam peropportuno invento ad colores eleganter diſtribuendos in hortorum graphide unamquanque areolam tripartitam bipartitamve eo triplici ſeu duplici colore diſtinguit, cujus coloris floribus eadem in hortis ipſis obſerenda eſt: in areolis quoque flores genere diverſos depacti laterculi crebro interpoſitu ſejungit. Verùm ut florei ſatus optima ratio non aures modo tradita, ſed oculos etiam perſpecta erudiat; eorum hìc hortorum, quos idem Caëtanus Dux ad veteres Tres Tabernas, ſive ad Ciſternæ recens oppidum ampliſſimos excitavit, quarta pars in paginæ anguſtias contra-

Ducis Caëtani conſitio.

cta, & areolis prædicta partitione distinctis notabilis exhibetur. Nequid autem Cisternanæ amœnitatis in eadem pagina desideretur, extimæ etiam apponuntur bases, sustinendis vasis floralibus certa per intervalla collocatæ.

Ducis


HORTI CISTERNANI QVADRANS
10
20
30
40
50

Ducis ejuſdem geniali ſtratagemate bellica munimenta floribus occupantur, feliciterque ſeruit Bellona Floræ, hoc eſt, arces in hortos mutantur. Earum enim ichnographia primùm delineatur, deinde partes ſingulæ in unam pluresve areolas deformantur; in quibus diſtinctè vel permiſtè ſati flores velut eminus aut cominus de formæ principatu innoxia & voluptaria bella committant. Ubi papyrum, ut monui, florea partitione graphicè conſeveris, tum demum ad hortenſem conſitionem tempeſtivus accedito. Septembri menſe ab ipſo æquinoctio, aut ex aliorum ſententia cultorum Octobri ſerito. Etenim experientiſſimæ antiquitatis vox eſt: Ante calendas Octobris ſerere non expedit. Quòd ſi eandem antiquitatem audias, cum obitum Vergiliarum, tum in primis Coronæ ortum & occaſum obſervabis: quia, quæ intra hos dies poſita ſunt ſemina, feliciſſimè provenire dicuntur. Quin etiam ex accurata obſervatione ſubjicit Democritus, præcipuè circa ejuſdem Coronæ occaſum non modò largos imbres effundi, verùm etiam veluti genitalis anni hora ſtimulatam geſtire terram ad ſatus avidiſſimè accipiendos, partuſque ipſos inſigni fertilitate fundendos. Oritur hac ætate, in hoc Romano cælo Septentrionalis Corona quarto Calendas Novembris, cum Solis in ortum regreſſi digreſſique lumine ultra non hebetata, matutino in exortu antelu-

Serendi tempus.

Conſt. Pogonat. de agricul. l. 3. c. 13.

Virg. Geor. 1.

Plin. l. 18. c. 24.

Apud Conſt Pog. l. 2. c. 12.

telucana incipit affulgere. Eadem cum occidente ſole occidit ſeptimo Idus Decembris. Ad properandos alii ſatus veteri agricolarum proverbio illo incitantur: Properata ſatio ſolet ſæpe decipere, ſera ſemper. Alii verò properationem iſtam rati temerariam, ut incertas futuri temporis vices declinent, conſitionem totam in tria quatuorve tempora partiuntur: utque conſilium ipſi quoque ſuum antiquitatis authoritate ſuffulciant, decantato veteris agriculturæ oracului, Serere ne dubita, ſuaderi ſibi ſativam hanc partitionem interpretantur. Equidem cum graviſſimis quà Græcis, quà Latinis ruſticæ rei magiſtris cenſeo, pro vario regionum poſitu ſerendi tempora eſſe varianda: ubi quiſque natura locus frigidiſſimus aquoſiſſimuſque erit, ibi primùm, nempe ante autumnale æquinoctium, ſive etiam ab eodem æquinoctio ſerendum eſſe; tunc enim is calidior & ſiccior eſt: ubi quiſque calidiſſimus & maximè ſiticuloſus, ibi poſtremùm, ſive poſt ipſum ſolſtitium ſementem fieri oportere; quòd is, quò largiores pluvias hauſerit, eò vernabit uberior. Temperato denique ſolo conſerendo mediam autumni temperiem, uti præmonui, convenire. Illud quoque tradendum hìc habeo, tempeſtivè commodéque hortos obſeri, poſtquam æſtivo igneam æſtu terram largus ac ter ſaltem effuſus imber ad palmum infuſo humore refrigeraverit. Quippe levis pluvia,

Colum. l. 11. c. 2.
Plin. l. 18. c. 24.
Colum. l. 11. c. 1.
Theophraſt. De cauſ. plant. l. 3. c. 17.
Cato De re ruſtic. c. 34.

via, cum post longos æstus ac diuturnas siccitates superiorem terræ partem madefaciat, inferiorem verò non attingat, terram ipsam adhuc æstuantem vehementiùs adversùm positas radices succendit. Neque tamen, simul ac magnis imbribus terra permaduit, seres: sed tantisper expectabis, dum pluvius ille mador modicè siccetur: ne madente limosoque in solo statutæ radices exputrescant. Quid, si (quod evenire non rarò solet) serenus imbrem sitiat autumnus? Non erit, cur ipse hortuli tui privatus Juppiter fictili vel cupreo nimbo fontanam pluviam areis affundas: quia cælesti Libra examinatæ æquatæque diebus, aut mox productiores noctes humifica umbra diurnam satis emollient siccitatem. Huc adde, sicco solo commissas, tanquam domi reconditas, radices non corrumpi, sed sub natali terræ tecto commodè habitare ac protegi, donec emollito pluviis exitu altis nixæ fibris suo quæque tempore in floream silvam feliciter egerminent. Quid, si ipsa consituræ tempestivitas ab imbribus intempestiva & naufraga radicibus sit? Erit, cur sationem prudenter procrastines, donec humus nimis humida sereſcat. Illud quoque inviolatè custodies, ut austrinis tepidisque diebus hortos conseras; quia tepor laxato è terræ sinu fertiles ad semina vapores evocat, fibrasque citat: aquiloniis verò & perfrigidis sationi parcas; quia frigore astricta humus

Constant. Pogonat. l. 2. c. 12. Pallad. l. 1. tit. 6.

ægrè

ægrè ſatus accipit, intercluſoque materno halitu languidè fovet. Cæterùm ſatori potiſſimæ curæ ſit, ut lunares vices vireſque prædiſcat, ac felices operi dies eligat. Neque enim eum Heracliti diſcipulum placet eſſe adversùs Heſiodum ſentientis, unam eandemque dierum omnium eſſe naturam; ſed ipſius Heſiodi auditorem volo diſertè docentis, dierum aliam quidem eſſe matrem, aliam verò novercam. Luna enim, inter ſidera Vertumnus, inæquali vultu ſubditos hominum labores non æqua ſemper aſpicit & juvat. Idcirco ſunt è Græcis agreſtis rei ſcriptoribus, qui ſerendum putent creſcente Luna, à quarta ſcilicet uſque ad plenam dum eadem infra terram eſt. Sunt etiam, qui doceant per Lunæ ſenium, quàm per adoleſcentiam, præſtare hortos conſeri: quia, cum ſeneſcentis lunaris luminis languidior calor humorque, gemina nempe generandarum rerum initia, terræ ſeminumque tenuiſſimos meatus, quos poros vocant, lentiùs relaxent ad germina; cumque naturalem plantarum calorem humoremq; parciùs augeant, atque inanem foliorum luxuriem retardent; prior impetus genitalis in altiſſimas firmiſſimaſque fibras abit, quarum numeroſo largoque ſuctu ad floridam quæque radix alitur feracitatem. Verùm enimvero experientiſſimos colonos diuturna ſecus docuit experientia. Hi tandem felici periculo didicere cum augeſcente Luna, tum præcipuè præeunte

Lunaobſervanda. *Apud Plut. in Camillo.*

te & consequente plenilunium quatriduo utiliùs deponi radices, quæ deinde in flores densitate, amplitudine, numeroque præstabiles exeant; floridæque præstantiæ magno fœnore cultores abundè remunerentur. Per id enim tempus lunaris potestas caloris humorisque fœcundissima, luce auctior & potentior innatam radicibus calidam humidamque vim sic exauget & fœcundat; ut eædem & fibris diffundendis, & implendis, amplificandis, multiplicandisque floribus abundè generosæ & succosæ sint. Hæc ergo hujusce sententiæ summa est: Florum sationi Lunam adolescentem, & globosam eligito: senio corniculatam (cornu ferit illa) caveto. Aliorum & quidem nobilium cultorum nonnihil dissidens usus ita monet: Radices & bulbos crescente Luna, semina verò minuente deponito. Neque tamen una satis est curiosis cultoribus citimi sideris notatio. Etenim penetrales quoque cæli fulgores florum genituræ propitios conjunctim observant. Hinc Accius in Praxidico (ut ex Plinio accepimus) serendum ait, cum Luna est in Ariete, Geminis, Leone, Libra, Aquario. Cum eadem commoratur in Tauro, Scorpii partes duodenas Sole transgresso, tempestivè seri existimat Zoroastres. Unum ego aliquem nostra ætate novi domi forisque prudentissimum virum, qui consimili cæli observatione feliciſſimè serit. Non enim unicum lunare lumen, sed orbis quoque

Natur. hist. l. 18. c. 24.

quoque ſigniferi, quem Lunæ menſtrua volubilitas totum permeat, ſationi commoda aut certè non incommoda ſigna obſervat. Proſpera comperit Piſces, Arietem, Taurum, Virginem, & Libram, ea ferè nimirum, quæ cum verno atque autumnali Sole conjuncta ſementinam tempeſtivitatem afferunt. Unam Geminorum extremam partem inimicam expertus eſt; reliqua media atque indifferentia. Animadvertit præterea ex prædictis ſignis ea ſationi feliciora eſſe, cum quibus Luna creſcens aut plena congreditur; horum verò aliqua in Lunæ auctum ſemper incidere, cum partim verna, partim autumnalia, id eſt adverſa inter ſe ſint. Igitur cum augeſcens Luna felicium ſignorum cuicunque ſubjicitur, ille ſemine ſerit; cum Taurum eadem aut Virginem ſubit, radicum bulborumque tempeſtivam juſtamque ſementem facit. Quanquam autem iſtum creſcente Luna ſerendi morem potiſmum ducit; eadem tamen ſub auxiliaribus aut ſaltem indifferentibus ſignis decreſcente, rectam ſementem fieri poſſe affirmat. Quare ſi laxior hortus diuturniorem ſationem exiget, quàm quæ intra lunaris adoleſcentiæ curriculum perfici poſſit; nobiliora ſemina adoleſcente, vulgaria ſeneſcente ſidere deponentur. Quærenti demum utra ſit ſatio commodior, an quæ creſcente Luna ſub indifferentibus ſignis, an quæ decreſcente ſub propitiis ſit, ſecundam utiliorem eſſe reſpondet. Ut

autem

autem Lunæ cum ſideribus cæteris ſtatas congreſſiones exploret; mathematicæ perſpicacitatis cæleſtes ephemeridas conſulit, aut Chriſtophorum Clavium, ad inveniendos Chriſtianos faſtos cæli numeros, ordinatoſque lunares errores computantem legit. Lubet hìc (ne quid indictum præteream, quod expedire floriferæ ſationi videatur) alias in obſerendis hortis nonnihil diverſas cæli notationes attexere. Qui tantidem facit floſculi ſatum, quanti principis viri genitura fieri ſolet, ut feliciſſimum horoſcopum minutiùs & ſcrupuloſiùs inſpiciendum putet; is unumquenque morem periclitetur, optimum perſequatur. Sunt igitur, quibus authoribus ſerere atque plantare oportet à quarta ante plenilunium die ad vigeſimam uſque Lunam, præcipuè verò cum orbe prope jam pleno Luna ſupra terram eſt. Etenim per eos dies ſidus tum incitatum tum lumine auctum obruta ſemina feliciter evocat & fovet. Servandum præterea eſt, ut nocentiſſimus Martius fulgor infra terram ſit: ut ex errantibus beneficæ ſtellæ, Jovis præſertim & Veneris, ſupra terram extent, Lunamque ipſam felici poſitu aſpiciant. Proderit quoque ſtellæ Saturni amicus aſpectus: nam præeſt ea plantis, atque à corruptione & vermiculatione ſemina tutatur. Sit denique Lunæ ſtella in eorum aliquo ſignorum, quæ Terrea nuncupantur ab aſtrologis, in Tauro ſcilicet, in Virgine, in Capricorno. Quanquam

Comput. Eccleſiaſt. c. 12. & 13.

Taurus duobus reliquis minùs creditur ſalutaris: quòd fixa ſtabilique efficacitate poſita ſemina rarefacit. Quare ſub illo copioſa ſementis facienda eſt, ut modicè metas. Fortunata demum habentur & Piſcium totum ſignum, & poſtrema Sagittarii dimidia pars. Nonnulli laudant conſitos hortos Luna obeunte Arietem ab ejuſdem Arietis parte decima tertia uſque ad vigeſimam ſextam, Taurum ab octava ad vigeſimam primam, Cancrum à ſexta & vigeſima uſque ad Virginis decimam ſeptimam, Scorpium à nona ad quartam uſque Sagittarii. Infelices hortorum conſitiones fiunt ſilente Luna, vel eadem & Sole deficiente: item cum Luna erraticis à ſtellis aut retrogradis aut noxiis, privatimque à ſtella Martis aſpicitur; ſive cum ipſæ noxiæ ſtellæ ſupra terram agunt. Alii denique vetant deponi ſemina, cum Luna eſt in Cancro à parte prima uſque ad tertiam decimam, in Virgine à decima ſeptima ad ultimam, in Libra à tertiadecima ad ſextam & vigeſimam, in Capricorno à vigeſima ſexta uſque ad extremam, in Aquario à prima ad vigeſimam ſecundam. Uſque adeo Genethliaci cum ſtellis errantibus diſcordi ſententiarum vertigine aberrant. Ut, qui in floſculorum natalitia ſorte è cælo ducenda opinionum caligine cæcutiunt, quantùm in hominum libera conditione ſtellarum habenis frænanda hallucinentur, judicemus. In tam dubia

bia fallacique longissimè affulgentium siderum luce caligantibus incertisque cultorum sententiis, decrevit olim Flora prudenter maximam rerum terrenarum arbitram & præsidem, Lunam adire atque consulere; ut multa nocte nigrantem, nempe ambiguam, necdum satis perspectam exploratamque veritatem in lunari lumine intueretur, optimumque tempestivi satus consilium deligeret. Floræ Lunam consulentis fabula.

Uno igitur Achate Zephyro, ardui laborem itineris eventilante, florumque omnium tributarias delicias in cistellam bellè congestas præferente, imis raptim è terris gradum facit ad cælum. Quà propero gressu anhelat cor, afflatur ver : quà solum premit pes, assurgit flos : pedis vestigium rosa est. Jucundissimæ adventu hospitæ ipsum didicit, veluti lucis hortus, vernare cælum : lætiore siquidem lumine perfusa sidera floruerunt. Est in orbe Reginæ noctilucæ via patentissima planéque regia, signifero circulo subjecta, sed Solis itinere tum in Aquilonem magis elata, tum in Austrum magis dejecta, assiduique curulis cursus vestigio signata. Hoc ingressa curriculum Flora Lunam habuit obviam in argentea curru noctuabundam. Jam enim Lunæ amica Nox, non sine Somniis somnifica papavera spargentibus, citimo mundo incubabat. Lunare vehiculum anteibat volaticus puer Hesperus fronte splendida tenebrarum prænuntius : si-


quidem hæc cæleſtium flammarum extincta die interlucentium primam ſcintillam, Veſperum nempe ſidus præferebat. Currum trahebant ſubluſtri colore noctis albentes equi, volucri celeritate in Olympico ſtadio victores. Adductis habenis rapidiſſimam frænavit, Heſpero etiam adnitente, incitationem Luna, ſubſtititque in occurſum Floræ: ac perhumaniter arridens, Quæ potuit, inquit, adeo premens & cogens cauſa inveniri, tuos ut hortos, Flora, pulcherrimorum florum multicolore luce ſtellatos noſtro, quod minùs tibi renidet, cælo mutare volueris? Tum Flora, Meorum te florum altricem, meam te moderatricem colere potior & ſuavior eſt mihi cura, quàm floreum negotium inſiſtere. Utque tutelæ tuæ, quàm culturæ meæ, plus tribuere flores intelligas; en ipſi te mecum tributarii conveniunt & venerantur. Debeo inquit illa, plurimum humanitati tuæ, cujus beneficio flores in cælo colligo, unoque meum ſidereſubluſtrem orbem ſtellulis novis hortenſibus illuſtro. Gratam equidem hortenſi rei polliceor operam opemque meam. Iſtam nunc enimvero, ſubjecit Flora, è tua non modò luce, ſed voce quoque atque oraculo ut exorarem, arduum mihi huc iter fuit. Magna inter mites florum cultores, & quidem adhuc ſub judice, lis eſt, quo videlicet menſe, qua menſtrui curſus tui die, quo cæterarum

rum cum tua ſtellarum congreſſu florei ſatus faciendi ſint. Tuum jam eſt, quæ hortis è cælo præes, judicium ferre: meum erit, quæ hortenſem diſciplinam trado, cæleſte decretum evulgare. Hìc exporrectæ dexteræ indice digito duodena inter aſtra fulgentem Libram & Scorpium demonſtrans Luna, Ab adulto, inquit, Septembri diem ac noctem æquiſſimis lancibus librante ad extremum uſque Octobrem ſtellati Scorpii ſplendido aculeo morientem hortos feliciter conſeres. Mei ſideris adhuc adoleſcentis felices numeros obſervabis; ſi cum totum, quod ab octava die ad quintamdecimam intercedit intervallum, tum præcipuè duodecimam diem hortenſi deliges conſituræ. Cæterorum minuta nimis, necdum ſatis comperta mortalibus ſiderum obſervatio ſpinoſis in animo curis, quàm ſuavibus in hortulo floribus ſerendis utilior eſt. Aſtra reliqua remotiora, ut hortos vix aſpiciunt, ita non magnopere curant. Meam ergo ſtellam unam, terris citimam, & familiariſſimam, atque adeo rerum ſpiritum univerſa potiſſimùm germina animantem attendere ſatis habeto. Jamque vale: ſalutarem enim curſum diutius interſiſtere publica mundi cura non patitur. Floreo denique commeatu inque ſinum congeſto, perque currum diſperſo recreata, laxatis decoram in fugam habenis, velociore volucrum pennis curru volubiliter avolavit. Flora verò exoptati compos

Plin. l. 2. c. 9. & 99.

oraculi felici comite Zephyro dilectos ad hortos facilè redux sativam tempestivitatem cælesti responso monstratam, prosperoque deinde periculo comprobatam universis cultoribus promulgavit.





Antequam præmollito ſoli ſtrato ſemina commit- Radices ut purgandæ.
tas, veteres ipſis fibras (ſi quæ, cum effoderes, te fortè latuerint) eximito, aridas inutileſque membranas, ſeu potius exuvias bulbis detrahito: at verò Tulipis intimam tunicam, adversùs cælo terraque invecta incommoda tanquam præmunientem interulam, ne ſubducito. Jam verò floriferæ Vt inhumandæ.
radices, formoſæ prolis delicatæ matres, ne abortent, molliſſimè cubent. Igitur duum palmorum egeſto (ſi quod fortè in areis obduruit) denſo crudoque ſolo; eoque, quod ſubjacet, brevi bipalio, aut majore trulla cautè, ne tutelarium laterculorum compago luxetur, paſtinato; olitoriam terram cribro rariore ſuccretam ea, quam exigunt ponendæ radices, altitudine ſubſternes: tum levi manus trullæve ductu exæquabis. Ut autem in ſolo æqualiter ſubſtrato certas radicibus ſedes, ac debita interordinia deſcribas; ſulcos imprimes cancellatos vel arundine preſsè applicata, vel certè reſticula in amuſſis intentæ modum adducta remiſſaque: ſingulos deinde bulbos, & quidem generis omnes ejuſdem, ſi ſeparatim ſerere mavis, in quaque decuſſe collocabis. Sin autem cuipiam lubeat areas tranſalpino more quadrangulas de unoquoque florum genere diſtinctè conſerere; is ad radicum deponendarum æqualia intervalla citiùs ac certiùs præfinienda Gallicam cratem ſingulis areolis æqualem, & aptam, adeoque dupli-

Satoria crates duplex.

duplicem triplicemve adhibeat, quæ sic fieri consuevit. In triangulum dedolati è materia adversùs cariem curvationemque firmissima, præsertim ex abiete buxoque, asserculi ita consertè junguntur; ut singulorum bini anguli porrigantur in latera, unus verò angulus promineat, spatiis quadratis intervacantibus, quæ loci laxitatem cuique radici debitam relinquant. Decussata ista crates depressæ, quemadmodum docui, æquatæque terræ eo situ superponitur, ut plana pars supina sit, extante angulo deorsum verso: tum eatenus apprimitur, quoad sui vestigium sulcatim imprimat. Vbi sese cancellatim sulci decussant, radices locantur; humoque, sicut mox dicam, superinducta obruuntur. Alio clathratum hoc instrumentum artificio compingitur è quadrangulis asserculis, quorum singulæ decusses affixis ligneis bullis tumidæ modico pressu ordinata bulborum cubilia præformant. Hoc igitur ordine arborum symmetriam æmulati flores decoro utilique quincunce, in quancunque partem spectaveris, recti sunt, ac terræ succum æqualiter trahunt. Cæterùm si miscellaneus, qui variam inæqualemque ferè postulat altitudinem, perplacet satus; duplicem habeo monstrare viam, longiorem alteram, alteram breviorem, utranque verò cultorum vestigio & consuetudine satis tritam & celebrem. Ut priorem insistas; in solo itidem coæquato, & arundine seu resticula cancellatim

tim signato bulbosas priùs radices, quæ debent altiùs infodi, depones: tum juxta depositos bulbos defixis ad lineam tesseris, quæ superiores radices ab inferioribus justo distineant intervallo, æquè minuti soli tantum supersternes, quantum minùs altè ponendi bulbi postulabunt; idemque solum decussatis sulculis præsignabis, & similiter conseres. Pari ratione tertium solum, sive soli tabulatum minimo spatio à summis laterculis dissitum impones, ubi anemonas & bulbulos minore mensura demergendos interseres. Ut autem altera expeditiore via utaris; ad prædictam mensuram bipalmem exinanitas areolas recenti cribrataque humo usque eò replebis, dum eadem pariter æquata, cancellatimque distincta palmi dimidio à summo laterculorum ambitu subsidat. Postea radices, prout exigent, ita distribues, ut earum alias in præparata mediocris altitudinis planitie sistas; alias vel scrobiculis manu ante excavatis, vel digitis assiduo soli repulsu viam pandentibus deprimas; excitatis denique terræ cumulis alias exaltes. Ubi ad præscriptum, & rite severis; consimili humo positas radices sic operies, ut hæc areolarum oras non adæquet modò, sed paulò etiam cumulatior media extumescat: tum quia medius tumor undique devexus, derivato percolatoque ad extremas pulvinorum quasi colliquias pluviali humore, ficciorem tutioremque à putredine sedem radicibus

bus nondum ſolo hærentibus præbet: tum quia leviter ſuperingeſta humus ſuo ipſa paulatim pondere, caducoque imbre depreſſa ſummis areolarum marginibus coæquabitur. Quòd ſi magis in areis ab ipſo ſtatim ſatu inoffenſa æquabiliſque planities delectat; debet aggerata ſupra lateritias areolarum tutelas terra lignea regula radiove præradi, atque, ubi deſederit, ſemel aut iterũ lacuna ſuppleri. Debent etiam ſummæ laterculorum oræ, ſi quæ pulviſculo aſpergantur, peniculo detergi; ne per imbrem luteſcant. Illud hìc habeo prętereа pręmonendum, advenas Indiæ bulbos, quorum non pauci narciſſini generis ſunt, noſtris in hortis florem non edituros, niſi parum altè adobruantur. Etenim, antequam tranſuehantur ad nos, in Bataviæ Galliæq; aquilonares oras tranſlati altiùs infodiuntur, ut à penetrabili frigore vindicentur; illic verò, dum ſolis calorem quærunt, vim floris fertilem in productius collum exhauriunt. Propterea frequenti compertum experimento eſt, florẽ tunc extitiſſe, cum, obruto bulborum ventre, collum extaret; quo ſenſim exaraſcente magis compactum bulbaceum corpus ad floreum partum convaleſcit. Quare curandum eſt, ut parco in ſole ipſa cervix apricetur, dum exareſcit; ne totum bulbum diuturnior inſolatio perurat. Hæc eſt nata cum hortorum cultu, ac peritorum uſu colonorum ad nos uſque tranſmiſſa vetus ponendorum in areolis ſeminũ conſuetudo.

Alia

Alia est consitionis ratio recentior, quæ, citra laborem convehendarum in cellam radicum, per æstivos menses easdem simul effodit, detractisque adultis nepotulis simul infodit. Verùm id ego sationis genus (nisi hortorum postulet amplitudo) utpote periculosum atque incommodum non usurpaverim. Periculum imminet vel ab æstivis imbribus, quibus insuccata semina revalescente mox æstu frequenter ad tabitudinem inferveſcunt; vel à residuo post imbres tridui quatriduive nubilo, quod è plantis, quæ primæ florent, fibras elicit, redeunte deinde intempestivo calore non sine frequenti plantarum ipsarum exitio perurendas. Neque verò par subeunt non eruta ac recens adobruta semina discrimen. Ab illis enim requieti soli densa soliditas æstivi humoris caloriſque penetrabilem noxam nonnihil excludit: ad hæc autem emotæ terræ laxa mollities pestem utranque transmittit. Huc adde non levem illam incommoditatem, quòd, si qua inter effodiendum corrupta semina offenduntur, in illo tumultuario satu apta substitui ægrè possunt. Quare incogitatæ consituræ flos inordinata plerunque confusio est. Antequam testas conseras, tum ipsarum tum radicum deponendarum numerum subducito: singulas cuique testæ radices (nisi cujuspiam amplitudo exigat plures) cum peculiari tessera destinato: ista, ne animo excidant, in albo, qua præscripsi ratione, descri-

Fictilium conserendorum ratio.

ſcribito. Teſtas autem ad ſatus accipiendos ſic præparato. Imum foramen minutis potiùs glareis, quàm teſtaceis fragmentis (ut vulgò ſolent) obſtruito. Illi enim ob globoſam figuram minùs invicem cohærentes conceptam aquam ex facili tranſfundunt: hæc autem planioribus corpuſculis inter ſe apta modico terræ illapſu ita coëunt & coaleſcunt, ut ſuperfluum humorem ægrè parcéque tranſmittant. His aliqui excreta cribratæ terræ duorum triumve digitorum alta in eundem uſum ſuperaddunt. Quem ego morem non improbaverim, niſi periculum fuerit à formicis, quæ per imum foramen adrepentes inter excreti ſoli minutulos aridoſque calculos libentiſſimè nidulantur. Quamobrem expediet excretorum loco glaream aggerare. Ubi craſſiore materia ima fictilia conſtraveris, tum cribrarii pulviſculi tantum ingerito, quantum ſubſterni deponenda ſemina poſtulabunt. Ubi anemonas & ranunculos, molles nempe radiculas, aut lectiſſimos bulbulos collocare velis; ſubſtratum ſolum, mollique manu depreſſum ab ipſis teſtarum oris ternos quaternoſve digitos diſtet: ſin autem majuſculi bulbi ſerendi ſint, ad quinos ſenoſve digitos ſubſidat. Ita molliſſima conſtratas humo ſingulas teſtas unica media radice conſerito. Si quam pluribus deſtinaveris; ſenos illæ ab ambitu vaſis, quaternos minimùm inter ſe digitos diſtent. Sic enim maternum terræ gremium lactentibus

tibus fibris complexæ, quam à ſatu minimæ, largiore tamen ſuctu paucos intra menſes ad uberrimum florum puerperium adoleſcent. Sed, ne plures in unico vaſe radices permiſtæ confuſæque ſecernentis cognitionem fallant, generis omnes ejuſdem ſint. Poſt ſingulos ſatus ſuam cuique teſtæ vel plumbeam, vel arundineam, vel ſurculaceam teſſeram, ſupra ejuſdem teſtæ labrum nonnihil extantem à tergo defigito. Ita poſitas radiculas humo itidem tenuiſſima cumulatim contegito; ut media humus paulò extumida conſiſtere non patiatur aquam, ſed molli undique devexitate diffundat. Nonnulli ſatores primùm teſtas humo cumulant, ſummis deinde digitis comprehenſa ſemina uſque eò mergunt, dum ad primos articulos terra perveniat. Sed vulgaris iſta ſatio non admodum placet: tum quia cæca ipſa collocatio nec præſtituta ſeminibus loca, nec apta vel inter ſe vel à ſummis fictilibus intervalla exquiſitè cuſtodire poteſt: tum quia incauta ſæpe digitorum depreſſio ſoboleſcentes radices infringit; ac parentibus utiliter hærentes, necdum à materno lacte removendos fœtus cum utrorumque pernicie, vel certè non ſine magno vulnere avellit ac diſtrahit. Hæc autem fœta floribus vaſa, ſi nondum abunde autumnus calores temperarit, loco ſubdiali quidem, non tamen aprico, tantiſper hoſpita, dum folia exire cœperint, aſſervato; ne radices ab humido terræ com-

plexu,

plexu, antequam comprehenderint, turgeſcentes nimiis caloribus in tabem ſuffervefiant: ſin æſtus remiſerit, ſolibus expoſitas in ſedes, ubi tamen apricis areolis non officiant, ad ornatum apta ſerie digerito: eadem ſingulis biniſve ſtratis æqualiter laterculis, niſi lapideæ baſes itidē ſcabræ ſuppetant, ſuperponito; ne, imo foramine humo ſubjecta præcluſo, ubertim concepta, nec facilè transfuſa obrutas radices aqua corrumpat. Per eoſdem autumnales dies minutis hiemalium vernorumq; florum ſeminibus ſeminarium ſic obſerito. E tenerrima terræ farina palmi dimidium alta ſub ipſas pulvinorum oras molliſſimum cubile ſubſternito: eam terram levi manu coæquato: illic ſuis ſingula notis ſedibuſque diſcreta ſemina collocato modicè rara, ut inoffenſo incremento feliciùs convaleſcant: prætenui cribro terram dimidiatum digitum altam incernito: eandem radio, ſeu manu leviter complanato: areolas, quæ hiberno ſoli oſtentæ non ſint, æſtivorum atque autumnalium florum vernæ ſationi reſervato: minutiora ſemina æquè, ut jam monuimus, depreſſa ſpargito: grandiuſcula in ſcrobiculos unum alterumve digitum altos raris intervallis demittito, eodemque cribrati ſoli pollinc obruito: donec egerminent, ſuperpoſitis penſilibus cratibus, aut ramuſculorum umbraculis (ſi fuerit opus) æſtum defendito: ſi quando non pluet, ne terra ſitiat, præſcripti hortenſis Aqualis, vel fi-

Minutorum ſeminum ſatus.

l. 1. c. 5.

ĉti-

ctilis vel cuprei, anguſtiùs pertuſo tubo ſive ſcopula aſperginem irrorato potiùs, quàm affundito: pro incremento terram identidem aggerato. Henricus Corvinus, experientiſſimus herbarius, antequam contumacis lentæque duritiæ ſemina ſolo committat, aquam defundit in catinum: nitri modicum ſuperfundit, ac diſtabeſcere ſinit: in eam nitratam aquam ſemina immittit: duodenas horas pro varia duritie plus minuſve macerari & medicari patitur: exinde ſerit: eandem aquam inſpergit, ut nitrum ex igneo terræ halitu concretum ſeminalem contumaciam ad uberem germinationem proritet. Henricus Corvinus.

Breviore alii via, ſalubrique vulnere præduræ grandiorum ſeminum moroſitati medentur. Illis enim forcipe apprehenſis, à tergo adverſaque oculo parte corium præacuto cultro diſſecant, limave deterunt; aut eadem non ſatis matura, & proinde molliora, legunt, & rite conſerunt. Ita humore terræ penitùs pervadente intra paucos dies turgeſcunt, citumque germen emittunt. Si agri modus anguſtior laxam aream ſeminario negat; fictiles catillos eadem ferme ratione, qua teſtas ſupradictas parandas eſſe præcepimus, intra ipſos hortos præparato: ad eundem ſeminarii modum conſerito: humoque ſubinde naſcentia ſemina tegito: per æſtum, donec germen exiſtat, à ſole diſtineto: per ſiccitates aſpergine tenuiſſima irrigato. Semina, quæ probabilem florem ediderint, præ-

signata in hortos admittito: quæ degeneraverint, rejicito: quæ nondum efflоruerint, si perpetuis radicibus nituntur solo, ad floris experimentum intacta reservato: sin fibras quotannis deperdunt, ubi illæ exaruerint, curiosè refossa, cribroque, ne aliqua prætereantur, à solo discreta post æquinoctium autumnale rariùs differito, nequaquam, nisi probata per floreum tirocinium indole, ad patritiorum florum consortium admittenda. Placet altera septentrionalis industriæ consitura, frigidæ videlicet plagæ opportuna. Congestitii lætaminis quadrata moles excitatur: huic æqualis mensuræ figuræque ex asserculis compactilis, quinos senosve digitos altus margo imponitur: media capacitas de more minutim succreta humo repletur, quæ usitato satu gravidata inusitata felicitate parit. Nam subditi fimi suffitu adversùs abortiva frigora vaporatur, ipsique partus pinguissimi soli ubere nutricantur.

Lex floris ſervandi.

CAPVT II.

NUnc alia Floræ lex æquiſſima promulgetur. Sicut florum parens, & altrix terra eſt; ita colonus ſator ſimul, ac tutor eſto: hortenſis enim familiæ infirma teneritudo non ubere ſolùm indiget, verùm etiam tutela. Prima igitur coloni cura ſit, ut ſubinde naſcentes malas herbulas floribus defendat. Quoniam verò inutilibus ac voluntariis herbis aſſiduè ſubnaſcentibus areolæ, ac ſemitæ, atque adeò teſtæ ipſæ facilè ſilveſcunt; ideo totus omni tempore hortus exherbandus eſt, præterquam tellure vel gelicidiis obdurata, vel imbribus madente. Concreta enim tenaxque durities, quamvis avulſis foliis, hoc eſt filiis, extrahi non patitur parentem radicem, mox ab injuria incremento vaſtiore regerminaturam. Mador autem incommodè liberalis multum altricis terræ noxiis cum radicibus diſtrahendum agglutinat. Porrò facili felicique opera herbæ eximentur ex humo aut hibernis frigoribus, aut æſtivis ſolibus ſoluta, aut etiam humida, non tamen madida. Sed cuſtodiendum eſt, ut infra herbaceum capillamentum depreſſis digitis arreptum radicis caput, digitorum impulſu laxata in orbem humo, recto conatu educatur: ſic enim ſcitè trahentem radix integra ſequetur. Hic autem hortenſes runcatores admonitos vo-

Modus exherbandi.

lo, tunc esse runcationi tempestivas herbas, cum illæ mediocriter adultæ manu eligi facilè possunt: perniciosè verò runcationem procrastinari, donec eædem altè latéque diffusæ alendis floribus paratum terræ uber emungant, inextricabili fibrarum nexu florea semina cancellent, irretiant, atque adeo strangulent, multiplicique lapsu solum complexæ contra vellentem pertinaciter obnitantur, aut etiam (quod nocentissimum est) arefactis caduciſque seminibus sese latiùs reseminent. In eam denique providi cultores curam incumbant, ut, quoad fieri possit, areolas ante interpurgent, quàm floreant; ne florum teneritudo runcantium fortuita offensione lædatur. Verùm quid profit nocentes herbas extirpare, nisi nocentiores bestias exterminas? Hoc longioris orationis argumentum in proximam disputationem, bipartitò & secretiùs pertractandam, reservamus. Nunc alia florum incommoda propulsemus. Sæpe fit, ut posita semina vel sponte sua super terram emergant, vel fortuitò detegantur. Ea, si nondum radices egerint, altiùs defodito: si fibras miserint, aggesta humo accumulato. Eodem aggerati soli remedio iisdem seminibus consulito, ubi non satis altè depressa fuerint. Indicio autem, erunt imæ foliorum partes, sive extantes petioli lacteo candore notabiles, utpote maternis terræ uberibus proximi. Non placet contra gelicidia plantis circunspergi aut comminutas paleas, aut fimum, aut facilè vermiculantia cornuum ramenta,

Detectas radices operiendi.

Frigoris arcendi.

ta, ſordida nempe remedia. Nonnulli teſtas intra tectum, quod ſolem largiter admittat, tantiſper, dum terra regeletur, continent. Alij floribus apricatione gaudentibus noxiam tecti opacitatem rati vel ad parietem ab aquilonio averſum frigore, ac meridiano tepori adverſum eaſdem admovent; vel noſtratis plagæ mitius gelu nihil veriti nullo munimento defendunt. At verò ſeptentrionales coloni adversùs ſæviora frigora hortenſes pulvinos arboreo muſco ad palmarem altitudinem inſternunt: quòd is æquè contra brumam, atque contra calorem tuendis floribus opportunus & beneficus eſt. Nec minùs eorundem ſolertia Caloris defendendi. colonorum nobilioris notæ ſerotinis floribus æſtivos cavet ardores. Nam, ne brevis ævi floſculi ab æſtu præmoriantur, è tenuiſſimis abiegnis tabulis ad areolarum pretiosè conſitarum commenſum compactis & circunſectis, aut certè è lino textili umbracula ſic obtendit, ut inæqualium pedum fulcris innixa vel alligato devexo varioque ad ſolis curſum oppoſitu ſolem arceant. Si per æſti- Irrigandi. vam hibernamve citra gelu ſiccitatem vel in fictilibus vel humi ſitiant, quæ rigatione proficiunt, ſemina & radices; ſecunda poſt exortum hiemalem ſolem hora, eodem æſtivo jam occidente aut occaſo irrigentur: ne veſpertina per hiemem nocturno frigore conglaciet, matutina per æſtatem diurno æſtu inferveſcat aqua, utraque verò bibu-

la ſemina perurat. Debet præterea nec nimia lento infuſu propinari, ne plus æquo potæ atque inebriatæ plantæ marceſcant; nec largior uno impetu affundi, ne temere ingurgitatæ, non in omnes æquè partes transfuſo madore, inęqualiter alantur: ſed cupreo fictilive aquario vaſe, minutis foraminibus pluvio, irrorari, ut paulatim perfuſæ æqualiter bibant, & feliciter vivant. Quòd ſi conſitum fictile ab diuturna humoris inopia ficciſſima ſqualeat ſiti; tandiu in aqua demerſum habeatur, donec undique bibulum largiter immaduerit. Indicio erit penitùs extinctæ ſitis tum lætior plantarum viriditas, & florum velut ridibunda formoſitas, tum ex imo teſtarum foramine liquoris emiſſa ſatietas.

Terræ cutis non ſcalpturienda.

Summa terræ cutis, quæ cruſtulam duxerit, nunquam per hiemem ligneo ferreove ſcalpello (quod inconſultè nonnulli faciunt) incidenda, nec laceranda eſt: ut affuſus humor quò lentior & moderatior, eò innocentior & ſalubrior humum radicemq; perfundat ac permeet. Eam ob cauſam ante hiberna frigora internaſcens inutilis herbula maturè vellitur. Ita in gelicidiis minimè herbeſcentia, vaſa evulſione non indigebunt, quæ ſolum dimoveat, aditumque ad radices noxio frigori patefaciat.

Aquæ irriguæ delectus.

Irriguus autem humor è puteo, qui profundi hauſtus ſit, quoad ejus fieri poterit, hauriendus nequaquam eſt: quia nunquam incoquente ſole rarefactus ac tenuatus, ideoque pertinaciter gelidus inſuccatas radices

non

non refovet ad alimentum, ſed frigefacit ad exitium. Quare, niſi ſalubrioris aquæ ſuppetat facultas, antequam putealis affundatur, ſub dio exponenda, aut etiam inſolanda eſt, ut intepeſcat. Maximè probabilis atq; utiliſſima riguis hortis haberi ſolet, tum quæ profluit; quia curſu percuſſuque ipſo extenuatur & incaleſcit: tum quæ cælo delapſa ciſternis concipitur; quòd ignis potiſſimùm atque aëris vitali halitu fœta hortenſem mirificè auget fœcunditatem. Propter hanc elementorum beneficam temperiem cenſentur imbres agris maximè ſalutares. Aqua ſtagnans & pigra damnatur, ut quæ putri craſſitudine ægerrimè penetrans, tetroque ſpiritu promptiſſimè nocens vermibus procreandis, quàm floribus alendis, præſentior eſt. Rigationis modum rigandarum ſtirpium ætas & ſanitas temperabit. Novellæ tenera atque humida ætatula, minimo etiam corpuſculo, ut minùs ſitiunt, ſic parciùs bibunt. Confirmatis jam viribus adultæ, utpote calidiores ficcioreſq;, innocentiùs, quàm viri, bibaculæ ſunt: fontes enim, non dolia, exhauriunt. Quæ præterea conſuevere, liberaliter potari deſiderant. At verò quas caries, aut ſenectus, rerum omnium morbus, infeſtat, ne præmaturè corrumpas, cautè parcéque adaquabis. Ex veteri denique admonitu floream hortis feracitatem tuſa lotos & in aquam conjecta, aut fœnum græcum in aqua tritum medicata irrigatione conciliabit. Si pluvius ventus magnis im-

Conſtant. Pogo. de Agric. l. 12. c. 6.

Vasorum inclinatio ad evitandos imbres.

bribus terram alluat; testarum in latus acclinatarum ora, ab ipso vento aversa in oppositam plagam expedit obvertere: ne tum defossæ maternæ radices, tum prominuli florei partus in solo nimis madente naufragium faciant. Si floris cujuspiam, qui præsertim inani scapo sit, statura procerior violento turbine everberetur; surculi adminiculo statuminanda est, aut fictili tubo circunvallanda. Si radix intra testam condita decoloratis, aut marcentibus foliis ægrotare deprehendatur; testa in latus inclinata, Aqualis tubulo aqua superfundatur, donec, innocenter excavata proxima humo, radicis oculus atque adeo totum latus citra fibrarum injuriam diluatur ac renudetur: corrupta pars ferro ad vivum recidatur: integra, dum affusus humor pauliſper exiccetur, per semihoram detecta sit: tum, cera terebinthinæ resinæ admista obducto vulnere, arida & macra humo fossula repleatur. Si defossus bulbus de indicio eodem vitiosus esse intelligatur; terra, quæ circunfusa est, cautè subducta, ligneo cultello vitium vivo tenus abradatur: vitiatæ tunicæ detrahantur: macro itidem siccoque solo scrobiculus expleatur. Sin autem sive bulbi, sive radicis ima morbus infestet; penitus erui debent, & curari, & etiam terra modò præscripta obrui. Si circa folia floresque summum solum albido, araneoso, aut roscido, nec non fungum olente mucore obducatur,

Caduci floris fultura.

Vitiosæ radicis curatio.

tur, quo tanquam ferro succisa germina cum radicibus contabescunt; existimandum est, illic aut corii resegmen, aut clavum, aut aliquid tale infuso vitio nondum in terram computruisse. Quare, vitiata statim humo, quæ circùm supraque est, citra radicum contactum & noxam egesta, recens innocens & macra sufficiatur. Sunt, & quidem insignes, hortorum cultores, qui flores florumque caules innocenter attrectari putent: eos verò, qui tactionem damnant, superstitiosè meticulosos vocitent. Si tamen res ad philosophicam trutinam expendatur, damnificam esse floribus contrectationem diffitendum non est. Flos enim, floreusque cauliculus dum contrectatur, mollissimi corporis quà distenti, quà contracti, quà distorti naturalis constitutio violata luxatur; adeoque flos ipse lædítur, ut sæpe gracilescens extabescat. Vsque adeo vita floris est esse intactum. Quanquam florei partus jam hominum voluptati, ornamentoque, nec non suæ ipsorum gloriæ adulti distrahi debent à materno radicum ubere, vel vngue vel potiùs ferro succisi; ut etiam à vulnere formosissimi brevem quidem, at glorioſam vitam vivant inter gestantium complexus, inter odorantium oscula, inter plausus admirantium: vt in ipsa morte risu discolore renidentes mortalitatem exhilarent: ut ijsdem expirantes legentibus odoratam animam mortalibus vitam inhalent: vt denique

Florum contrectatio cavenda.

Recisio usurpanda.

nique jam enixæ radices diuturniore nutricum officio liberatæ ad pulcherrimæ fœcunditatem sobolis perennent. Flores autem sparsim decerpere oportet, ut in singulis areolis æquè rarescant; floridos quoque pleroſque caules citra subnascentium florum vulnus paululum supra terram subsecare, ut ipsius proceritas caulis flori formam exaugeat, & radici uberioris alimenti absumendi materiam subtrahat. Est, qui jam desitis bulborum floribus folia solo tenus intondeat; ut, quando florei cirri defluxerunt, abraso foliaceo capillitio glabellus hortus minùs horridè calvescat, hoc est impubis atque imberbis exhausta in senectute juvenescat. Istam equidem violentam calvitiem nobilium hortorum nulli suadeam: quòd attonsarum è vulnere plantarum vitalis ac genitalis vigor tenuissimus evanescit; radicesque vel enectas, vel ad alios fœtus relinquit effœtas. At verò cum supervacaneus tantùm & crassior succus in foliorum luxuriem abeat, hortum præstat capillatum habere, quàm calvum. Huc adde, quòd per germinis plagam frigoris caloriſque penetrabilis inclementia proximam radicem non rarò vel enecat, vel emaciat. At enim rei rusticæ nobiles magistri affirmatissimè docent floriferis bulbis affines cæpas, foliis detractis, magis fieri capitatas, & convalescere. quid ergo detractio eadem tanquam pernicioſa damnetur in bulbis? Quia nimirum,

Folia post flores non detrahenda.

Plin. l. 19. c. 6. Constant. Pogonat. Agric. l. 12. c. 31. Pallad. tit. 24. Februar.

rum, qui porrigi ſolet in folia, concoctus leviter ſuccus craſſior & lentior ex anguſtis attonſi bulbi meatibus effluere non poteſt. Quare ad inferiora contractus bulbum ipſum & largè nutrit, & mirificè amplificat. Verùm, qui pulchrè pullulat in flores, humor, quia tenuior & purior eſt, utpote magis concoctus, è ſpiramentis vulneris facilè interſpirat & vaneſcit. Argumento ſit delicatæ atque evanidæ tenuitatis florum vita breviſſima. Huc accedit, quòd eodem humore ſuperfluente, quo bulbus violentam in pinguedinem, ſeu potiùs in hydropa diſtenditur, genitalis calor, ac vivida vis in florem eruptura ſic opprimitur ac reſtinguitur; ut una exiſtat ex ignava obeſitate ingrata ſterilitas. Parem ſcilicet natura legem plantis dixit atque animalibus, ut præpingua minùs fœcunda ſint. Fatendum igitur eſt craſſitudinem bulbis faciente tonſura non magis foliorum comam, quàm fertilitatem recidi. Quòd ſi narciſſinorum præcipuè foliorum incommodè diffuſa magnitudo diſplicet, laxiorem in nodum molliter ſubſtringatur. Sic enim, ſucco ad ima leniter coacto, plenioris craſſitudinis bulbacea capita fiunt. Cæterorum autem folia bulborum tum brevia, tum lata, tum fragilia, nodo videlicet inepta, quæ tamen non geniculatim ſeu gradatim adnata caules altè conveſtiant, ſed à radicibus humiliter aſſurgant, ſi Plinii conſilio deflexa obruantur; ipſa

Quæ cura iiſdem foliis adhibenda.

l. 19. c. 5.

ſa ſucco in ſeſe contracto capita excreſcent. Eadem poteris areolarum folia æſtivo ſole ſiccata vel eximere, ut etiam ſine floribus niteat ſimplex munditijs hortus; vel vtiliùs relinquere, vt obrutas illa radices à calore ſolis excuſent. Cæterùm teſtæ, amiſſis floribus, ne vehementi ſole igneſcentes incluſa ſemina perurant, appetente jam æſtate in ſubdialem locum, qui tamen non inſoletur, transferantur, vbi emeritas radices mitior æſtus paulatim atque innocenter arefaciat. Si ver extremum, aut æſtas nova largis atque hiemalibus imbribus diffluat; ne radices jam enixas corrumpentem humorem nimium fictilia vaſa concipiant; aut humi (quemadmodum modò præſcripſi) reclinentur, aut intra porticum aliudve ſub tectum aëri patentiſſimum comportentur: in clauſo enim adhuc humida ſemina muceſcerent. Si bulbos ſoboleſcere velis; vel altero, vel tertio quoque anno extrahes: ſin ad unicam florum ubertatem reſervare mavis ſingulis annis effodies. Hoc tamen conſilium ad complures inferiùs percenſendos duntaxat referes, non promiſcuè ad univerſos. Sunt enim nonnulli rariùs eruendi, quorum unumquenque ſuis nominatim locis excipiemus. Poſſumus quoque cum experientiſſimis cultoribus & ſentire prudenter, & feliciter periclitari; qui cum ad copiam, tum ad pulchritudinem florum pleroſque rariſſimè bulbos effodiunt. Sed illud quo-

Vaſorum poſt flores cuſtodia.

Exemptio bulborum noſtratium.

quotannis cuſtodiunt, ut adnatas ſoboles à matribus avellant; ne maternum illæ ſuccum, in flores cæteroqui abiturum, in ſui nutrimentum incrementumque prælibent. Igitur poſt octavum calendas Julias ſubducto ſolo adhæreſcens bulbaceæ matri bulborum pullities cautè detegitur, clementerque revellitur: ſubtractæ jam effœtæ recens ac fertilis terra ſufficitur: eruta ſoboles opportuno in loco mox repangitur. Pari ferme ratione, ſi quando immotæ bulbiferæ matrici diſſerendam, aliove mittendam ſobolem ſubtrahere voles, ſic facies. Soboleſcentis bulbi ſitum, niſi memoria tenes, aut niſi præfixa teſſera jam animo infixiſti, memoriali codice, tanquam ſibyllino volumine, conſulto inveſtigabis; illic terram uſque adeo ſubduces, quoad imam parentem cum adjuncta poſteritate retegas: tum altera manu matrem ipſam retinebis, altera, quos cupies, poſteros leniter innocenterque revelles; terram denique in effoſſum ſcrobiculum revocabis. Quoniam verò æſtivis quà caloribus, quà imbribus obrutæ radices ſæpe marceſcunt; idcirco expedit palmum altam pulvinis humum ſuperingerere, quæ medio tumore in omnem partem æqualiter devexo utranque ſeminibus defendat injuriam, donec autumni benefico tepori humorique excipiendo aggerata humo exoneratæ areolæ detumeſcant. Peregre allatos & adhuc hoſpites loci cujuſpiam bulbos, ſi hoſpitale ami- Externorum.

amicumque ſolum nacti fertili ſemel ſucceſſu floruerint, loco movere non expedit : quia noſtro tum cælo, tum ſolo nondum aſſueti tranſlatione ſterileſcunt & pereunt. Commodum ſatiſque diuturnum effodiendis bulbis bimeſtre ſpatium eſt, humo ſicca per æſtatem ab extremo Junio in extremum uſque Auguſtum, cum folia & fibras æſtiva jam inſolatio ſiccavit. Præcoces tamen bulbos, præſertim verò narciſſos præmaturè præſtat eruere ;quòd Auguſto menſe nonnunquam pluvio novellas illi citare radiculas incipiunt. Solo à recenti pluvia madido ceſſandum ; ne præconceptos humor effoſſas bulboſas radices corrumpat. Sic autem effodito. Ab extrema qualibet areolæ parte trulla ſeu manu leviter demiſſa ſolum in ſemitas progerere incipito : proximos bulbos diligenter perveſtigato : ſubducta circunfuſa humo extrahito; vel certè lanceæ cuſpidi non abſimili, quod ſupra deſcripſimus, ferramento infra radices adacto humum paulatim ſuffodito, interque manus identidem caducos educito : caveto autem, ne incauta ferri manuſve impreſſione vel parentes vel pullos ſaucies, aut ſejungas : ſic ad reliquos ordinata foſſione progreditor, donec omnes effoderis. Antequam ad areolam aliam perſcrutandam rimandamque, tranſeas, priorem recognoſcito ac retractato :ſolent enim minutiores præſertim bulbi cum ipſa terra ſubtracti conniventem latere

l. 1. c. 5.

ſcru-

ſcrutatorem, qui cum eadem regeſti præpoſterè confuſéque regerminant. Ad hæc egeſtum ſolum regerito; ne naturæ artique inimica inanitas in lacunoſis areis lateritium ſepimentum incommodè ſubſidere & collabi faciat. Seorſum conſeren- Adnatorū.
dos, qui leviter matribus hæreant, adultos bulbulos innocenter ſeparato: ſiquis bulbus cariem vi- Erutorum cura.
tiumve aliud ſentiat, exacuto in cultellum ſurculo bene purgato: ſabulo vulnus inſpergito: ſingulos vix erutos bulbos indecoro noxioque pulvere ſordidos (tulipas tamen excipio) præſcripto peniculo detergito; ſiccis radiculis liberato; exterioribus tunicis quamvis aridis ne ſpoliato, nam illæ opportunam vitio protegent nuditatem; ſuas in claſſes diſtribuito; ſub dio ne relinquito, nam illos cum imber & ros, tum maximè ſol corrumpit; ſed aut loco nonnihil calido, qui tamen ſoli obnoxius non ſit, priùs per biduum aſſervato, ut bene ſicceſcant; tum in ſiccæ frigidæque cellæ pavimento deponito; aut certè ſtatim comportato intra tectum in conclave iis aſſervandis accommodatum, quod Reponendorum cella.
nempe à ſole averſum, Auſtro impervium, Aquiloni feneſtratum ſalubriter inſpiretur, in ſumma quod frigidum ſiccumque, muribus denique inacceſſum ſit. Super cellæ hujuſce pavimentum ſuos in ordines digeſta, inſcriptiſque ſchedulis notata ſemina expandito, illic per dies quindenos aut vicenos aura frigida perflari & ſiccari ſinito; deinde

in

in arcas ad ſeminum diſcrimen loculatas, ſive in alias thecas papyraceis involucris præſcriptiſque nominibus diſcreta recondito. Ego ſingula bulborum genera ſingulis penſilibus caniſtris, quæ raro textu ſalubrem ſemper auram admittant, utiliùs incluſa diſtinxerim. Ad hunc eundem modum anemonas tum in areis, tum in fictilibus poſitas erues & repones. Hoc tamen à bulbis anemonæ diſcrepant, quòd illi rariùs erui poſſunt; hæ (quicquid alii ſentiant) quotannis debent: cum diutius obrutæ vitio atque exitio, ut ſæpe comperimus, opportuniſſimæ ſint. Niſi ranunculum, ob compluſculos pediculos Polypum inter flores, protinus à foliorum caſu extrahas; ultro ipſe more ranarum ſupra ſolum reſiliet, à ſole plerunque periturus. Ut autem ſoboles parenti arctiſſimè implicatas explices extriceſque, in umbra priùs aſſiceſcere ſinito: ubi enim conſerta cruſcula detumuerint, faciliùs atque innocentiùs extricabuntur. Nihil nimirum temerariæ feſtinationi tam impeditum eſt, quod cauta cunctatio non expediat. Hæc ſervandorum florum ratio eſt, quorum fibræ cum foliis æſtate areſcunt, & pereunt. Aliæ verò plantæ, quæ radices æternas habent, ſub ipſum ſerendi tempus erutæ, aut protinus aut mox obrui debent; dum tamen interim in ſupradicta cella incolumes conſerventur. Sed juxta ſalutaris, ac formoſa Pæonia vel ſubterraneo loco, vel intra

Quando, & quemadmodum anemonæ eximendæ.

Ranunculi.

Plantæ immortalium radicum.

te-

teſtam ſuperingeſti ſoli cumulo cuſtodiatur à ſole. Eodem terræ frigido humidoque operimento quæ tenerrimè carnoſa ſunt, velut fritillariæ ſive meleagrides, defendantur; ne inſepulta rugas trahant ac penitùs exareſcant. Denique ſilveſtria vel montana lilia, ſimul ac defloruerunt, effodiantur, viridiſque caulis cautè eximatur. Hæc enim radiculis carent, dum vernant, quas, deperditis floribus, agere incipiunt. Uſque adeo quod in terris pulcherrimè floret, radicatum ac ſtabile ſæpe non eſt.

Bulbi teneri carnoſique.

Lilia ſilveſtria.

Contra majuſculos hoſtes hortenſe bellum.

CAPVT III.

NOn in theatrali tantùm, ſed in hortenſi quoque arena hominibus cum belluis bellum eſt. Adeo ab ipſo theatro voluptatis optatiſſima pax exulat. Utque minimè nos eſſe tutos, cum maximè ſecuri ſumus, admoneamur: ipſa ſæpe hortos cuſtodia infeſtat. Quis autem hoc injuriæ credat? hortenſem elegantiam & munditiam ipſi corrumpunt in primis atque contaminant domeſtici fideliſſimique cuſtodes, canis & felis. Uterque videlicet ab acri bile inquies, atque agile, ideoque venaticum & ludibundum animal, in tenera reſolutaque humo vel ſubterraneam præ-

Canis & felis agilitas unde.

dam, lacertulos & muſculos facili foſſione veſtigans, vel belluinam pyrrhicam exultim ludens, concinnam ſoli æquabilitatem iniquat, utileſque nonnunquam radices effodit. Quin etiam felis præpoſteram & poſticam ſementem faciens delicatos hortos odiosè ſtercorat; ſuique fœdum ac fœtidum indicium ipſo, quo contegit, circunſcalptæ cumulo terræ detegit. Quamobrem cautè colonus obſervet, ne qua id genus beſtia per hortos recèns conſitos evagetur, priuſquàm cæleſtibus aquis denſatum fuerit ac ſolidatum ſolum. Per eos dies hortenſem canem domi ſolutum, ne tabeſcat in vinculis; per eas noctes intra ipſos hortos catenatum contineat, latratu ſatis inſidiatores proditurum. Domeſticam felem à noxio excurſu arctior cuſtodia cohibeat. Externos quà canes quà feles tum probè obſeratum oſtium, tum edi-
L. 1. c. 3. ta munimenta vel cæmentitia, vel ſaltem (ut antè dixi) ſpinea diſtineant. Multi, quibus hortuli modus non ita magnus, faciliſque tuitio eſt, molliſſima humo fartos pulvinulos ſuperinjectis aſperant ſpinis, donec illi contra injuriam obdurerint. Ego verò ſatius eſſe duxerim ſepibus dumeta relinquere, plantarumque rariſſimas duntaxat ac præſtantiſſimas præacutis arundineis paxillis præfixis obſepire, ne cui noxæ obnoxiæ ſint. Cæterarum ſiqua radicum eruta fuerit, ſuam in ſedem, quam ſuffoſſa monſtrabit foſſula, reponatur;

tur; ſiqua vallecula defoſſa, ſiquis monticulus excitatus ſit, leni truliſſatione complanetur; ſiqua felis adobruit excrementa, ea procul trulla projiciantur, ne rurſus excreturam eodem odor invitet. Quanquam iſtis incommodis opportuni non erunt horti, quos præſcripta modò munimenta tueantur. Sed gravior imminet radicibus à talpis muribuſque, hoc eſt à clandeſtinis hoſtibus pernicies. Adeo vel humatas ſepultaſque florum parentes & perſpicacitas, & cæcitas pervident, ut lædant. Ac talpæ quidem ad nocendum ſatis oculatæ, quòd inquietis ingratiſque unguibus hoſpitalem terram vellicant & lacerant; quòd hærentes nutrici optimæ innocentes radices longè lateque actis cuniculis oppugnant ac ſubruunt; quòd nocentiſſimis furibus, muribus volui dicere, occultas ad corrodenda ſemina vias aperiunt; juſto cæcitatis ſupplicio, ut locuples author Teſimbrotus ait, ab ipſa terra damnatæ ſunt. Sed cum ſevera non revocet animadverſio à cæca magis, quàm ſint oculi, nocendi libidine; tum veteres, tum recentes coloni communem in hoſtem ultione multiplici conſpirarunt. Sotionis antiquiſſimi ſcriptoris præſentiſſimum contra talpas remedium eſt, ut veratrum album & cynocrambes cortex contundantur, cribrentur, cum polenta & ovis ex vino & lacte ſubigantur, & plures in offulas coacta ipſarum foraminibus talparum inſerantur. Facilio-

Talpæ cur hortis noxiæ.

Apud Suidam in voce τυφλόπες.

Vt inſectandæ.

Apud Conſtant. Pozon. de Agric. l. 13. c. 7.

Apud eund ib. Pallad. l. 1. tit. 35.

ri quoque tormento cunicularium & cavaticum hoſtem Græci debellabant, ſuffitu fumoque victores. Nucem, ſive aliud quodcunque pari duritia pomum utrinque perforatum enucleabant: nuclei loco paleas, cedriam, ſeu ceram, & ſulphur includebant. In eundem uſum vas anguſtum uſurpabant; ſpiramentis exiguis, ne quà interſpirarent, præcluſis, nucem intus accenſam, ſeu quod aliud ſuffitionis inſtrumentum in aditu laxiore ſic aptabant, ut acceptum forinſecus afflatum intima penitùs in latibula diffunderet; utque, oppletis tetro fumo cuniculis, talpæ protinus fugerent, vel necarentur. Contra beſtiolas eaſdem proderant frequentes felium excubiæ, dum tamen ſatis duratum ſolum ſuffodientium ſeu ludicra, ſeu fœda veſtigia non ita facilè admitteret. Ea gratia muſtelas habebat nonnemo manſuetas, quæ ſuis in latebris incautos graſſatores jugularent. Erant, qui foramina ipſa ſucco ſilveſtris cucumeris, & rubrica opplerent. Plerique in aditu pendentium ſetarum laqueos diſponebant. Nonnulli circa talparum cubilia plures cavos aperiebant; ut quamvis orbi tenebriones immiſſam inimicam lucem ſentirent, longéque diffugerent. Iſtæ in talpas veterum inermes pugnæ; hæc recentium ferrea expeditio ruſticorum. Eorum aliqui bipalio, aut ligone, raſtrove armati loca talpis infeſta vigilanter obſervant. Ea plerunque ſunt areæ,

prata,

prata, hortique, ut quæ lumbricis pingui ſolo gaudentibus, jucundiſſimo nempe talparum pabulo, abundant. Ubi ergo terram in tumulos exaltari ſuſpendique lento ſpeculatu cognoverint, eò ſtatim levibus tacitiſque veſtigiis, ne ſtrepitu territus terga vertat hoſtis, accurrunt; & bipalio, aut ligonis raſtrive acuta parte cum ipſa terra ſubterraneum vaſtatorem effodiunt; aut certè retuſa aſſurgentem humum validè contundunt, unáque ſuffodientem beſtiolam vel exanimant, vel obſtupefaciunt. Alii verò exarmatis manibus ſic expugnant. Ubi excitatus cæſpes emotæque terræ cumulus intumeſcit, effoſſum à talpa ſcrobem, remota utrinque, terra detegunt; inde cuniculum plerunque ramoſum ad cubile uſque latebramque beſtiolæ, humo penitùs egeſta, veſtigant atque aperiunt. Verumenimvero, quia, quàm habeti eſt viſu, tam acuto eſt auditu talpa, foſſionis etiam remotæ ſonitum tenuiſſimum ſub denſo ſurdoque elemento liquidè exaudit; atque, antequam in anguſtias adigatur, novas ad fugam vias ungue roſtroque ſcalpens humum regerit in ſummum aggeratque. At, cum prope à præda venatorem eſſe ex emoto ſolo percipit, protinus diuque conſiſtit; ne ſcalptura capturam pariat. Ea re callidi venatores unam ſæpe alteramve horam immoti ceſſant, ut diuturna quiete abſentiam ſimulent. Decepta demum longa ceſſatione

beſtiola ſuum properè opus adurget, roſtroque ſuffoſſam irrequietis pediculis terram ejectat in cumulum. Tunc enimvero inſidiatores ſubita manuum impreſſione emoto mollique cum ſolo talpam extrahunt; arreptaque ipſius cervice, aure, caudave, prædam, ne ſe mordicus ulciſcatur, pedica impediunt; captivamque in herile Capitolium referunt mercenarii triumphatores. Ipſe præterea villoſo holoſerico mollior animalis hujuſce villus, inter pellitarum veſtium delicias vendibili mollitie ac nigritia expetitus, opima victoribus frequenti quæſticulo ſpolia repræſentat. Ita belluino bello lentè profligato ruſtici Fabii, fabis utique victitantes, agreſtem nobis cunctando reſtituunt rem. Hìc & placet, & decet laborioſo parabile, permoleſto jucundum attexere inventum. Ollam fictilem, palmos binos, aut unum & ſemis altam loco talpis obnoxio ſumma tenus humo, aut paulò inferiùs totam infode; vivam talpam in eandem ollam demitte. Illa, ubi diuturnæ lucis intolerans neque latibulum fodere præ vaſis duritie, neque præ altitudine ac lævore ulla ex parte poteſt evadere, tinnulo grunnitu calamitatem dequeſta finitimas talpas ad commiſerationem opemque penetralibus è cavis contrahit. Videas non ſine riſu totum ſubinde agrum ſcatere nigellis tenebrarum ſororibus, quæ, quò nota vocat querela, cæcitate duce perreptantes in lubricum

cum decipulum alia ſuper aliam incidunt, atque identidem creſcente cadentium ſtridore, cæcarum captivarum atratus chorus tragicam intra ollæ caveam diſſona grunnit ſymphonia. Nec ante iſti cæculi Homeri ſuorum Iliada malorum flebiliter canere deſinunt, quàm penitùs oculos in vindicis mortis æterna nocte præcludant. Diceres canoros in funere cycnos, niſi ſtridor & color obſtaret. Vernis hæc menſibus tempeſtiva præſertim captura eſt; cum genitalis annus ad ſocietatem animantes extimulat; cum cæcus amor cæcos aſſeclas facilè in præceps trahit. Quanquam ex facili talpæ totius quoque anni ventoſo ſtatu capiuntur, quo frequentiùs & cuniculos agunt, & humo egeſta cumulataque ſe produnt. Quòd ſi cæca feritas adeo nocet; quid faciet oculata? Quamobrem adversùs nocentiſſimè fœcunditatis mures implacabile bellum ſuſcipiendum eſt; ne, ſicut agreſtes prædantur fruges, ita urbanos populentur flores; neve ſicut olim Gyari Troadiſque incolas fugarunt, ita nunc hortorum colonos exterminent, ut impigro ipſi dente hortos colant. Si tanta ipſis furandi dulcedo eſt, ut apud Chalybas duriſſimum ferrum furtim arrodere ſuave ſit; quidni teneræ radices, fœtæ floribus matres, furaciſſimam ingluviem timeatis? Atque utinam, ſicut in aurariis fodinis iſtos auri voraciſſimos Craſſi nepotulos juſtiſſimi exactores tanquam repetunda-

Plin. l. 10. c. 65.

Id. l. 8. c. 29.

Id. l. 8. c. 57.

Id. ibid.

rum reos exenterant, ut illustre furtum repetant; sic nobis liceret alvo dissecta corrosæ floriferæ radicis integrum furtum educere. Sed hæc vindicis auri prærogativa est, ut nimis avida viscera dilaceret. Age igitur veteres novasque machinas contra mures, hortorum lemures, adhibeamus. Quoniam verò murium alii urbani, quos oculorum, auriumque, atque adeo totius corporis mensura liberalior, caudæ quoque longum syrma nobilitat; agrestes alii, quorum cum reliquum corpusculum, tum præsertim oculos, auresque, necnon caudæ appendiculam insigni brevitate distinxit curta rusticitas: ab utrisque floriferæ radices defendendæ sunt; ab illis, quas domus; ab his, quas humus occultat. Domesticos mures, id est familiares fures, apud eundem Constantinum Cæsarem gravis author, & ultor Paxamus hisce suppliciis mactat, pœnis multat, terriculis fugat. Polentam semine silvestris cucumeris, helleboro nigro, & colocynthide, aut certè helleboro solo medicatam offert. Murium cavernulas querneo cinere saturat, ut nocenter aspersos scabies occupet ac perimat. Ferream scobem fermento admiscet, qua devorata dispereant. Adeo ferrum vel sine vulnere interficit. Eosdem perdit rubi radice cum butyro, pane, caseoque commista. Idem ex veteri usu album helleborum, & cynocrambes corticem tusum cribratumque cum polenta,

Mures ut profligandi. *De Agric. l. 13. c. 4. Pallad. l. 1. tit. 35.*

lenta, & ovis, & lacte confundit ac subigit, eamque intritam in ipsorum foramina immittit. Ubi moderatiùs punire libet, tythymalum contusum cum polenta ex mulso propinat. Ita vel in tenebris ad furtum perspicaces excæcat, hoc est lepido miraculo è muribus talpas facit. At verò suis è latibulis relegat ac fugat, quos simul chalcantho, origano, apii semine, ac melanthio, vel seorsum hæmatite lapide, aut viridi myrica suffumigat. Sed efficaciùs territat abigitque universos, cum captum quempiam detracta capiti pelle dimittit, timent enim reliqui, ne sibi quoque cum charissima cuticula muris facies exuenda, & ridiculè recutita Marsyæ larva induenda sit. Horum contra mures medicamentorum pleraque docet Anatolii quoque, ac Tarentini de horreo liber. Illud præterea affirmatissimè scribit Anatolius, cui Didymus subscribit, si spissam amurcam in æream pelvim infundas, atque mediis in ædibus noctu constituas, omnes tum incolas tum accolas mures & conventuros, & adhæsuros. Agrestium murium contactum radicibus defendes, si easdem, antequam obruas, Apuleii consilio felle bubulo contingas. Multò tamen præstat per caniculares dies cicutæ semen cum helleboro polentaque miscere, aut anguini cucumeris, vel hyoscyami, vel amygdalæ amaræ, atque hellebori nigri æquas partes contusas ex oleo subige-

Apud. Const. Pogon. de Agric. l. 13. c. 5. Pallad. l. 1. tit. 35.

re,

re, atque ita intritas in cavos murium indere: hæc enim esca ocyssimum est vescentibus venenum. Qui verò vetustissimum in Bithynia rei periculum fecerunt, pro certo affirmant rosei nominis rhododaphne murium aditus tam nocenter occludi; ut ipsi mures, dum in exitu nituntur, admorsis iis, quæ obstant, miserè moriantur in ro-
ibidem. sis. Exitialibus hisce medicaminibus addit Palladius agrestis cucumeris & colocynthidis æquè noxiam suffusionem. Cæterùm gnarus cum primis ac prudens naturæ Plinius vel herbaceis vel aliis parabilibus armis murinum bellum ita profligat.
l. 21. *c.* 21. Denticulatos hosce furunculos helenio herba, & nomine pulcherrima, & re alioqui saluberrima,
l. 22. *c.* 18. contrita enecat. Chamæleone, sive ixia, addita aqua & oleo, eosdem contrahit ac simul exa-
l. 22. *c.* 22. nimat, nisi protinus aquam sorbeant. Simo itidem herba vel fugat, vel caverna præclusa extin-
l. 20. *c.* 2. guit & sepelit. Decocto anguino sive erratico cucumere sparsa semina ab ipso liberat noxio contac-
l. 18. *c.* 17. tu. Cinere mustelæ aut felis diluto, vel decoctarum aqua semine conspersо musculos procul abigit. Adeo furti reos vindicis vel extincti solus odor
l. 30. *c.* 16. externat atque exterminat. Unum denique soricem castrat & emittit: ut unus emasculatus complures in fugam vertat masculos musculos. Adeo brutæ quoque, omnisque grammaticæ indociles animantes odere neutrum genus. Sic antiquitas

pro-

proluſit in mures; ſic poſteritas debellat. Muſcipulas inſtruit multiformes. Inter has ea præſtantiſſima habetur, quæ gemino artificio utrinque captioſa eſt. Liceat hic citra curioſitatis affectatæ notam rem hac ætate notiſſimam particulatim deſcribere, cujus artificium reliquis adversùs mures excogitatis machinis decet anteferri. Tabellis plerunque fagineis curiosè lævigatis in capſulæ ſeu domunculæ oblongæ modum compingitur facie quadrangula. Tabellarum altera pavimenti loco ſuppoſita ternas ſuffulcit erectas in parietes, & nonnihil prominet in gradum; altera lacunaris inſtar ſuperpoſita modicè porrigitur in ſubgrundas. Oſtiolum claudit cataracta ſive foris pendula, quæ geminos utrinque ferreos annulos tenuiſſimis è ferro clathris inſertans brevi lino de longiuſculo vecte, ceu tollenone ſuſpenditur. Vectis hic ab ea parte, qua cataractæ adnectitur, craſſior paulatim ita gracileſcit, ut in mucronem deſinat. In media ſuperiore tabella defixus eminet cuneus bifurcus, qui vectem ferreo filo trajectum ideo intercipit; ut ille ſuſque deque verſatilis cataractam attollat ac dejiciat. In eadem extrema tabella ſub extremo vectis mucrone foramen ferream lineam tranſmittit tranſverſæ foraminis ferreæ lineolæ ad retinaculum circunvolutam, nec non ſumma parte reduncam, ima hamatam; ut ſuperior uncus extremo vecti cataractam attollenti leviter hæreat, Muſcipula.

infe-

inferior hamus eſcam tenaciter teneat, quam ubi ſubrepens muſculus avidè ac mordicus arripit, repentè reducto ſuperiore retinaculo cataractam in ſuam dejicit ruinam; incautæque gulæ reus popinam ſibi vertit in carcerem, mox, geniali ac ludibundo carnifice fele, ridiculum ſaltuatim ſupplicium luiturus. Poſticum decipulum quò ſimplicius, eò funeſtiùs eſt. Unica laxior à tergo affixa tabella capaci murini capitis humili foramine in orbem feneſtratur. Satis intus inſidiis patet non ita magnum angulare ſpatium, quod in obliquum ſtatuta muſcipulæ anterioris tabula relinquit. Ima foraminis ora ternis eminulis ferreis aculeis armatur. Extimus itidem ex ferro radius partim à ſumma tabella ad imam latè recurvatus affigitur, partim iiſdem aculeis tranſverſus libero ductu protenditur, cujus apex paulùm ultra foramen porrectus ferrea linea ſupraque infraque foramen reflexis apicibus tabellæ infixa cancellatim includitur. Funiculus ligneum cuneolum radio adnectit; quo violenter ad ſummam uſque ferreæ lineæ curvaturam in nervi morem adducto, altera cunei extremitas tenui lino alligata ſummæ tabellæ imponitur, unco ſupponitur altera ejus ſimillimo, quem in priore muſcipula deſcripſimus. Hic etiam inferiùs hamatus ſubdolam eſcam offert, qua vixdum avido dente contacta emotaque, cuneus repente lapſus ex unco radium laxat: ille magno impetu

petu ruens interceptum lurconis caput & subjectis aculeis affigit, &, supra quàm aviditas cuperet, infelici epulo sistit. Sed, quoniam prodigiosæ fœcunditatis bestiolas muscipulis fallere anceps ac lentus ludus est, ipsa sub esculentis illecebris latentia præsentissima venena in perniciem irritantur; in quibus auripigmentum sive arsenicum, utpote parabile, usitatum admodum est. Equidem venenata ista remedia iis relinquo usurpanda, qui non metuunt, ne guloſi prægustatores mures tum esculenta tum poculenta contagioso contactu halituque suos ulturi venenarios inficiant. Tutius ego medicamentum suaserim, vitrum modicè tusum, aut gypsum recens in farinam solutum, utrunque verò cum caseo, sive cum alio quopiam muribus expetito cibo subactum, ac per infesta loca in pastillos digestum. Illud enim angulosis asperisque pulviscúlis mollissima viscera erodit, insanabilique dolore lancinat; hoc celerrima concretione lapidescens præcluso spiritu strangulat; neutrum autem contacta cibaria venenat. Sed cur domesticas venatrices, feles indictas præterimus? Præ cæteris probantur colore leucophææ, pallida fuscaque varietate virgatæ, prædatricibus nimirum tigribus, ut forma, sic indole simillimæ, quæ à Syria originem & nomen trahunt. Istas enim, utpote calida è regione propagatas, temperatior sanguis ad mãsuescendum dociles, ad venandum sedulas facit. Legendæ

Optima felis forma.

Carda. De rer. variet. l. 7. c. 33.

gendæ ſunt ore torvæ, pectore toroſæ, pedibus amplæ, toto corpore grandiuſculæ, hoc eſt leoninæ magnitudinis generoſa breviaria, ut ſeſquipedales hoſtes aggredi, ac fruſtillatim comminuere ne pertimeſcant; natura mares, ut viriliter vim audeant in mures; arte ſemimares, ne foris amicas ſequioris ſexus feles, quàm domi infenſos muſculos, avidiùs conſectentur; docilitate cicures dominiſque tractabiles, non efferæ atque uncinatis unguibus ſanguinariæ mimæ; aſſuetudine in ipſis procul excretis ſordibus mundæ, non in mediis ædium munditiis ſpurcificæ; educatione vigilaces, non ſolidum diem noctemque ſtertentes; fidelibus excubiis totam domum perluſtrantes, non latentis ſub cinere igniculi ſeſſiles cuſtodes, Veſtalis nempe ſuperſtitionis hæredes; parco denique vilique cibatu ita famem tolerantes, ut hoſtilibus rapinis emeritæ veſcantur, non herilibus damnis inexplebiles ventres immeritæ diſtendant. Sin autem juvat lepido facilique miraculo furacem murem transformare in vindicem felem, ſic facito. Denos duodenoſve majuſculos mures vivos capito; captos in amplum, atque ab eſculentis prorſus vacuum vas, ſeu fictile ſeu ligneum, includito; idem vas, ne quod pateat effugium, probè operculato; unum tamen exiguum relinquito ſpiramentum, unde, quid intus rerum agatur, arbitreris. Et rabidi quidem fame ſtimulante captivi mutuo ſe morſu

su absument. Tu verò subinde quot supersint explorato; ubi unum reliquum esse compereris victorem, & consanguineæ carnis Thyesten, continuò per ædes liberum emittito. Is enim murina efferatus carnificina nihil tale suspicantes cognatos mures ad unum omnes fele felicior, quia fallacior, brevi jugulabit ac perdet. Adeo fames degenerat in furorem. Ita ultimo supplicio multatis domesticis latrunculis, ipsum iterum capito atque occidito carnificem; ne, qui generi suo non pepercit, in rem tuam escariam insaturabili voracitate, grassetur. Post tragicam Thyestæ carnivori fabulam ab uno musculo cum plausu datam, nascentis è dentium satu armatæ multitudinis, mutuis sese vulneribus concidentis, cruenta spectula ferro concolor murina natio instaurabit; si scobem æris Cyprii cum fallaci pulticula devorarit. Mox enim in rabiem acta è satis dentibus extitisse videbitur, velut olim armis pugnans fabulosa terræ filia juventus; quia sese morsibus invicem lacerabit. Denique, ut universi domestici mures domi naufragium faciant, oris anguſti turgidique ventris vas oblongum & peramplum aqua ita oppleto, ut à summo labro palmum circiter distet; aquæ summam partem fluitante acere, sive supernatante gluma integito; triticeam farinam, caseique frustula vel scobem inspergito. Tum verò mures odore pellecti, ac solidam aquæ superficiem


ciem rati prono impetu saltuque in escam ferentur: sed incautis exitiali syncopa caseus vertetur in casum, liquido elemento gravia non suspendente vestigia. Ades jam animo genialis hortorum colone, & aure facili risuque liberali lepidissimam rusticorum murium capturam accipe. Circunvoluta membrana, quam Pergamenam appellant, plurimos turbinetur in cucullos; circumplicatæ partis oræ conglutinentur, vel consuantur; pars verò ad hiatum eminentior pro murini capitis magnitudine in orbem æqualiter attondeatur. Hi cuculli, demissis ad imum casei nucisve juglandis frustulis, summisque lateribus intrinsecus visco circunlitis, in scrobiculos paulò laxiores, propter murium foramina sparsim effossos, sereno cæli, arido terræ statu ore tenus defodiantur. Fiet enim, ut escaria illecebra decepti vaguli mures tota capita induant in cucullos; ac tenacissimè adhærente visco, dum cæco ingressu perreptant, virgarum ictibus debilitati à vestigatoribus, nullo negotio capiantur chartacei monocerotes, sine vulnere capite diminuti. Jam verò tempus est, quamvis pusillos; agrestes hostes arcu petere ac ballista. Et hic sanè arcus arcuatæ pedicæ, qua ficedulæ falluntur, non absimilis tum maximè vulgatus est, tum minimè operosus. Ut autem majoris operæ ballistas conficias, virgas duriusculas in complures arcus recurvato; lineum nervum singulis prætendito; graciles arundines duode-


Ballista in mures.

duodenos quindenoſve digitos longas in geminam cuſpidem ordine oppoſito bifurcam exacuito: ſupra cuſpidem alteram ad quinque digitorum intervallum arundinis vtrinque perforata craſſitudine ita funiculum traijcito, vt alterum laxius foramen funiculi nodum extremum intra inanitatem ipſius arundinis admittat, ex anguſtiori altero funiculus totus propendeat. Ad hæc laxioris arundinis, quæ gracilem priorem cum funiculo capiat, palmare internodium ſub ipſis nodis prȩcidito, vt ſumma pateat pars, imam genicularis cartilago tenui ligno inareſcens penitùs occludat: ab ipſo ſtatim geniculo binas è regione feneſtellas muſculis pervias aperito: ſupra iſtorum foraminum alterum à ſummo arundinis ore quaternorum intervallo digitorum tranſverſam crenam altè imprimito, inſerendum intenti arcus nervum excepturam: in laxiorem arundinem eundem gracilem calamum ſic demittito, ut trajecta funiculo pars imo ſit propior internodio, ipſe verò funiculus ex ore ſummo laxæ arundinis cum gracili calamo ſimul emineat: arcum gracili præfigito: nervum crenæ inſerito: funiculum elato intentoque arcu eò uſque adducito, donec ima calami cuſpis ad feneſtrati foraminis, quod ille obſtruebat, ſummam partem revocetur: funiculo ipſi, ubi foraminis initium attingit, herbaceam tæniam adalligato: eandem ante medium foramen recto objectaculo ductam ſub imum latæ

arundinis nodum reflectito : muſcipulam hanc ſic aptato , ut modicè prono depactoque in terram cum herbeo vinculo arundineo nodo, quà liberum eſt ab herbulæ mora foramen , agreſtis muſculi cavernulæ continuetur: ne quis autem hinc atq; hinc exitus pateat,utrunque latus aggerata humo ſaxuliſq; congeſtitiis obſtruatur. Ita muſculus in egreſſum obnitens , extrinſecùs objectæ herbulæ retinaculo præroſo, in ſuum caput jam arundinis cavo inſertum cuſpidem biſulcam arcu premente ruituram laxat; ſibique, dum maximè conſulit, minimè cautus vitæ filum cum herbula recidit.

Ne


IN AGRESTES
BALLISTA
MVRES
S. 2.



Ne principis horti funeſtiſſimo exemplo hortis omnibus execrabilis anguis in herba ſubdolè lateat, ſicut olim in pomo, ita nunc in flore crudeliter niteat; cum floriferis radicibus ſeſe importunus defodiat, calida in latebra hibernaturus; cum germinibus horrendus erumpat, tepido ſub cælo vernaturus: uramus galbanum, cervi capræve cornua, caprinas quoque ungulas & pilos, juniperum, radices lilii, ſtyracem, naſturtium, & rutam ex veteri; at ex recenti conſuetudine corium vetereſque calceos, ranas quoque luridas rubetaſque fugaturos, & quicquid odoris gravitate diſpellit, accendamus: tribulum herbam ex aqua tritam immittamus in latibulum: inimiciſſimam ſerpenti fraxinum, ſi locus ferat, aſſeramus: amiciſſimam hederam, & ſalviam diſtineamus. Ne rei hortenſi etiam improbulæ aviculæ, dum ſeſe ſicco pulvereoque à longa ſerenitate ſolo perfundentes plumam pennaſque emundant, atque (ut Epheſius Heraclitus ait) dum pulvere lavantur, ſuffoſſis ubique foſſulis hortorum plana ſubvertant, neve teneros florum thallos defringant: allium ſponte naſcens in arvis, quod Alum vocant, ne regerminet, incoctum, ſicut priſci ſolebant, in hortis exponamus; ut quæcunque devoraverint aves, continuò ſtupentes & conſopitæ manu capi facilè poſſint. At earundem ſtuporem capturamque lappæ ſemina ingeramus: herbæ quinquefolio ſimillimæ, quam à foliorum

Remedia in ſerpentes, & rubetas.

Conſtant. Pog. De Agric. l. 13. c. 8. Pallad. l. 1. tit. 35. Plin. l. 8. c. 32. l. 28. c. 10. l. 24. c. 8. l. 12. c. 17. l. 20. c. 13. l. 16. c. 13. & 34.

In aviculas.

Apud Columel. l. 8. c. 4.

Plin. l. 19. c. 9.

Ioan. Bapt. Porta Mag. natural. l. 15. c. 8. Apul.

numero heptaphyllon, novoque vocabulo tormentillam nominant, valido vino incoctæ frustula cum esculentis seminibus per hiemis præsertim frigora nivesque objiciamus: cum hordei granis pultem ex hordeacea farina, hyoscyami seminibus, & felle bubulo temperatam apponamus: hordeum itidem cum hyoscyami seminibus & muscariis fungis in pulticulam permistum offeramus: triticum, aliudve avibus expetitum semen cum aqua seu vino stillatitio, cum quorum alterutro priùs aut simul nigrum helleborum inferbuerit, infervefactum assiccatumque spargamus: avesque obstupefactas aceto rostris affuso, si libuerit, excitemus: easdem (quod rustici nostrates solent) ingrato sulphuris suffimento abigamus; vel prisco novoque more mortuarum avium mobile terriculum suspendamus, ut vivæ metuant, ne sibi quoque ipsis pendulo supplicio vacillandum, hoc est sine vita volitandum sit.

Contra minutos hostes machinæ.

CAPVT IV.

HUc recidit humani fastigium dominatus, ut præstantissimum hominum genus cum belluinis Pygmæis, & quidem ancipiti infelicique nonnunquam exitu, belligerare necesse habeat. Hinc, tanquam cum Gigantibus de-

præ-

præliaturi, pro pulcherrima chariſſimaque florum natione contra vermiculos operoſas naturæ artiſq; machinas expedimus. Adeo quodcunque monſtrum, quamvis exiguum, ad injuriam magnum eſt. Te verò manet in primis eruca, te limax, inexplebiles florum paraſiti, par ſceleri ſupplicium; ut unde innoxiæ apes delibant vitale mel, vos feri fures lethale fel deguſtetis. Et erucam quidem avido morſu folia floreſque abſumentem, ſubterraneo ingreſſu hærens radicibus ſolum ſubvertentem, venenato contactu plantas adurentem ſic arcebat antiquitas. Spargenda ſemina herbæ, quæ ſedum appellatur, ſucco, vel ipſarum erucarum ſanguine madefaciebat: frequentiùs tamen, utpote paratius remedium, adhibebat pulverem, qui ſupra cameras invenitur, vel etiam fuliginem, quæ ſupra focos tectis inhæret. Pridie igitur, quàm ſatio fieret, alterutrum cum ſeminibus commiſcebat, & aqua conſpergebat, ut ſuccum tota nocte combiberent; ſic macerata poſtero die ſerebat, ac plantarum incolumitatem percommodè tuebatur. Sin erucæ natæ jam eſſent, decocti abſynthii, ſedi, aut marrubii ſuccum inſpergebat: palo imponebat in hortis equæ jam fœtæ, aut etiam aſinæ calvariam: fluviatiles cancros pluribus in locis intra hortos vel ſuſpendebat, vel clavis configebat: ſcillę bulbis aut ſuſpenſis, aut conſitis minutas haſce peſtes avertebat: ſanguineis virgis ea tangebat, quæ nollet ob-

In erucas.

Colum. l. 10. & 11. c. 3. Pallad. l. 1. tit. 35.

Plin. l. 19. c. 10. Colum. ibid. Pallad. ibid.

noxia erucis esse. Cæterùm locuples inter Græcos author Anatolius bestiolas eosdem fugat vitigineo cinere aqua triduana insuccato, plantisque hortensibus aspersо; vel bitumine, ac sulphure, aut etiam fungis sub nucis arbore nascentibus suffumigat; vel ficulnei cineris lixivio semina præmacerat; vel alterius horti captis erucis, & aqua cum anetho decoctis refrigeratisque hortos inspergit: sed attentè cavet, ne aqua illa malefica faciem manusve contingat; vel certè urinam bubulam, & amurcam pari mensura mistas fervefacit, atque, ubi mox refrixerint, medicato imbre germina omnia irrorat; vel tandem vespertilionis fimum, atque allii fusticulos per universa horti spatia comburens erucas latè diffuso nidore præfocat. Virides erucæ sunt, quas cum Hesychio doctissimo grammatico, atque cum Ulysse Aldrouando græcas Theophrasti prasocurides esse conjicimus, hoc est porricidas, nec non floreæ pulchritudinis parricidas. Dira hæc animalia ita veteres coloni Diophanis consilio insectabantur. Vervecis recens occisi ventriculum suis adhuc sordibus plenum eo in loco, qui bestiolis istis maximè scateret, humo leviter obruebant. Post biduum ubi animalia hæc aliaque gregatim coacta reperiebantur, quæ vel aliò deportabant, vel eo ipso in loco, ne rursus erumperent, altissimè defodiebant. Hoc bis vel tertiò cum feciissent, nocentium bestiolarum genus

l. 2. de Insect. c. 4.

Pallad. ibid.

nus omne pessundabant. Verùm de veterum tam multis unum posteritas in primis probat, usurpatque remedium; manu videlicet erucas colligit, vel matutinis horis hortenses frutices succutit: ut, dum adhuc nocturno frigore torpent, facilè decussæ protritæque frigida penitùs morte torpescant. Poteris quoque galbanum, aut caprarum ungulas, aut cornu cervinum à secundo flatu aversus incendere, ut abigas; vel florum cæspites ac thyrsos intortis paleis coronare, quibus, velut objectis laqueis, subrepentes erucas implices, atque à cæpta via revoces. Debes præterea, quæ poteris investigare, folia in sese convoluta, atque intus araneoso lanugine obducta comburere, quippe quæ erucarum ova concludunt, verno Martii mensis tepore noxios fœtus excluſura. Si consitum fictile ex humo perforata, ex ambesi folii florisve accisis reliquiis verminare, atque erucis infestari animadvertimus, pigeatque intestinum hostem non sine radicis incommodo curiosè pervenari; in amplum vas, quod frigida oppletum sit, ipsum fictile quaternos infra aquam digitos demergimus, atque ad quartam horæ partem insuccari sinimus. Mox infusi humoris intolerantes vermiculi plerunque emergunt; quibus occisis vas educimus, conceptam aquam paulatim transmissurum. Illud autem periculo ipso exploratissimum est, circunluente humore non modò radices non lædi, verùm etiam *Colum. l. 11. c. 3.*

co-

eodem dilapso emotam suspensamque ab intimo erucarum reptatu atque cuniculis humum salubriter densari, & foramina connivere. Adversùs limaces & cochleas olim vel amurca recens, vel ex cameris petita fuligo spargebatur; nunc ipsas, ubi vel humida nox, vel antelucanus ros, vel austrinus dies, vel amicum substillum ad pabulum evocat, lentus nostrorum colonorum speculatus vestigat, ac deprehensas opprimit, sive (quemadmodum *l. 1. cap. 4.* præmonui) delitescentes quà limaces, quà erucas relicta per vestigia indagat, humumque cautè scalpit ac rimatur, ut citra plantarum injuriam nocentissimas bestiolas intercipiat. Neque enim tanti putatur esse (quanquam est, qui dissentiat) obductam terræ cuticulam interscindere, fibramque aliquam intercidere; ut vulnusculis istis nocentiorum bestiolarum interitus redimendus non sit. Huc adde, sub tellure summa plerunque defossas levi atque innoxia fossione refodi: nec posse radicibus consitas areolas, quemadmodum fictilibus medemur, circunfusi humoris alluvie ab infestissimis vermiculis liberari. Ne lumbrici, sordida terræ intestina, excitato egestoque solo nitidissimis in hortis turpiter existant, neve æquissimas areas terebrent ac subruant, aut infelici complexu radices enecent & putrefaciant; humum fuge (ut priùs *l. 1. c. 6.* docui) humidam, stercorosam, ac pinguem, vermium feraciorem, quàm florum: mediocrem ve-

In limaces, & cochleas. *Pallad. ibid.*

In lumbricos.

rò

rò elige, cujus è cribraria farina perraros vermiculos (ſiqui tamen fuerint) & anguſtum incerniculum, antequm tranſmittantur, & fortè tranſmiſſos cauta incernentis manus excernet. Siquos autem largior pluvia procreaverit; pluvio cæli ſtatu nonnihil extantes, humentique auræ obvios penitùs extrahes atque mactabis. Nonnulli ante ſationem exitiali lumbricis vulgari lixivia ſolum inſuccant. Sed iſtam arborum conſitoribus medicinam relinquimus, florum cultoribus minimè neceſſariam, ut qui cribro manuque hortenſi vermiculationi feliciter medentur. Ne quod tamen è validiſſimis tormentis intactum indictumque prætereatur; ſalſa omnia atque odorata ſic odit fugitque inſulſum hoc ſœdumque animal, ut ad ipſorum contactum contrahatur ac pereat. Aqua etiam cannabinis folijs ac ſeminibus incoctis medicata ſi terræ affundatur, lumbricos ad ſuperficiem evocat, ſive odoris illecebra obvios, ſive odio fugitivos. Sed nihil æquè fugat, ac vivæ calcis infuſu efferveſcens aqua. Hac ergo ex hortenſibus ſemitis (neque enim expedit areolas floribus obſitas præfervido liquore contingere) reptantia monſtra non ſine riſu ita exterminabis. In lumbrici foramen recèns immiſſa macerataque calce efferveſcentem, & venenatam aquam per infundibulum transfundes. Statim ille liquidã peſtem odoratus per aliud, & quidem diſſitum, foramen evadet. Ita reliquos

Vyſſ. Aldour. De inſect. l. 6. c. 6.

mea-

meatus si potentissimo liquore perfuderis, totum latè hortensium viarum solum citra sumptuosam artificum operam opere vermiculato ridiculè distinguetur. Ut è consita fictilis humo abditum & penetralem lumbricum elicias; in dehiscens foramen surculum immittito, levique percussu idem vasis latus aliquandiu tundito: mox alia ex parte lumbricum erepere videbis. Terrestres ascarides, ideſt subteraneæ pestes, ac brevius alterum quà candidi, quà lutei, quà nigri coloris lumbricorum genus, quòd subsectis fibris plantas enecant, prioribus lumbricis nocentiores sunt. Omnium verò vermium, ut maximus, ita nocentissimus est cucurbitarius vermis, qui cucurbitarum semen arrodit, nomenque surripit; ut nostrate vocabulo latinis auribus peregrino Zuccarola nominetur. Utrique occulto malo sic medere. Ubi plantam demisso capite languidam, amisso virore pallidam ægrotare animadverteris; humo ad radices usque cautè curioséque effossa, edacem morbi causam, ne illic ultrà sæviat, aliove serpat, extingue. Ut vermiculos, quos à cauda bifurca Forficulas appellamus, simul plurimos excipias, humi surculum offigito; hircinum cornu, vel suillam ungulam, vel arundinis laxum internodium suo supernè tantùm nodo distinctum præclusumque, nonnihil à solo sublime imponito: vermes enim latebricolæ in eam se confertim latebram conglobabunt.

Id. ibid.

In vermiculos bifurcæ caudæ.

Jam

Jamverò cuniculatim ducta circunfossura suspensis, frequentique morsu exesis seminibus perniciosissimas formicas (ut Theocritus ait) numeroque modoque carentes quis qua potentia in singulis agminibus exterminet universas? Ipse bellicosus Imperator Constantinus Pogonatus, terra marique victor, post Arabes Sarracenos debellatos formicinum bellum suscipere, tanquam principes Myrmidonas expugnaturus, sibi censuit glorioſum. Igitur ex Bithyni Diophanis rusticæ rei consultissimi consilio hisce præceptis posteros colonos veluti conductos milites armat in istas exiguas quidem, pugnacissimas tamen levis armaturæ bestiolas. Si captas inquit, formicas aliquot usseris, reliquas fugabis. Quanquam ego ignem, belli terrorem maximum, atque adeo unum renascentis hydræ domitorem, ad fœcundiores hydra formicas penitùs fugandas profligandasque invalidum esse frequenti periculo comperi; quippe qui torre ac face non semel armatus quò plures perurerem, eò pluribus solum scatere cernerem. Quamobrem ideo contempto igne cæterarum generosissimas Romanas esse formicas existimavi, quòd popularem suum Scævolam æmulentur. Præcipere pergit Imperator: Formicas è cavernulis exturbabis, si cochlearum vacuas testas cum styrace ustas comminutasque ipsarum agmini aspergas. Peræquè abiges, si contusi origani sulphurisque pulviculo foramina oppleas. Si formicam

In formicas.

In Syracusan.

De agric. l. 13. c. 10.

Palladius ibid.

micam è gregalibus unam ſuſtuleris, reliquæ ultro latebram relinquent; Græculæ fortaſſe: noſtrates enim adeo meticuloſæ non ſunt, ut unius exitio vertantur in fugam; nec adeo modeſtæ, ut loco decedere, & concedere dominis velint. Si cedria exteriores cavos circunleveris, hortenſes areolas formicæ non ingredientur. Si Cyrenaicum ſuccum, ſive laſer oleo dilutum ipſis affuderis, omnes ad unam interimes. Si radicem ſilveſtris cucumeris, aut ſilurum, præcipuè Alexandrinum, lento vapore ſuccenderis, inimica ſuffitione mactabis. A floriferis verò fruticibus arbuſculiſque audaculas prohibebis, ſi trunculos alba terra rubricave circunſcripſeris; ſi lupinis amaris in aqua tritis aut incoctis, vel felle taurino & pice cum amurca temperatis, vel certè confuſa pice cum rubrica, vel permiſto laſere cum aceto illeveris; aut ſi poſtremum hoc medicamentum in foramina ipſa condideris; ſi præterea caudicibus ſilveſtre origanum circunpoſueris; ſi albam lanam circundederis; ſi coracinum piſcem de arbore ſuſpenderis, quo juxta in unum locum congregantur. Atqui ſi denſa hedera caudices obligaveris, poſt paulò formicas, imò & ſcarabæos hederacea ſub umbra torpidos ſupplicioque opportunos invenies. Ita magnus contra formicas militat Imperator, cui priſci ſapientes haſce ſuppetias ferunt. Limo marino, aut cinere formicarum foramina obturant; efficaciſ-

Plin. l. 17. c. 28.

Plin. l. 19. c. 10.

ſima

sima heliotropii herba, aut rubrica & cinere in aceto intritis formicas ipsas enecant; aquam diluto latere crudo iisdem ingratam affundunt. Si foramen habent in horto, cor noctuæ admovent; si foris irrepunt, totum hortense spatium cineris aut cretæ candore denotant. Ne floriferas in arbusculas conscendant, rubrica & pice liquida imos caudices perungunt, quibus alii butyrum admiscent, vel unica perfundunt amurca; lupino trito cum oleo fracibusve radices oblinunt; vel bitumen cum oleo incoquunt, eoque truncos tangunt: succum portulacæ cum aceti dimidia parte permistum, aut vini fæcem, peculiare cerasο remedium ad floriferos caudices medicandos traduci posse ostendunt. Ætas nostra semesο osse, sive quo alio esculento illicio sæpius in unum coactas toties fallit, donec omnes aqua vel igne perdat. Cum præterea sollicito excursu recursuque it nigrum campis agmen, & multijuga scaturigine ebullit, è ramalibus stipulisve parabili face occupat, iteratoq; aliquoties supplicio tandem conficit universas: penetrales ipsarum cavos origano minutatim detrito implet: sulphure suffumigat: tithymali cujuscunque decocto utiliter inspergit: papaveris lacryma aceto diluta perfundit, aut florum stylos inungit: sulphuris selibram terreno in vase ad ignem liquefacit; adjicit salis factitii ex fæce vini concreta, quam Tartarum vocant, aut salis cinerum quadran-

Pallad. l. 1. tit. 35.

Plin. l. 17. c. 28.

Pallad. mart. tit. 10. Colum. l. de arbor. c. 14.

Pallad. octob. tit. 12.

Petr. Bellon. l. de neglect. stirp. cul. c. 10.

Alexius Pedemont.

drantem vel trientem, hoc est ternas uncias aut quaternas; diu peragitans bene commiscet, donec eamistura subrubeat; tum ab igne subtractam supra tabulam aqua madentem defundit; ubi jam induruerit, minutim conterit; ipsiq; in vitreum vas conjectæ, quantum aquæ fontanæ sat est, affundit, eamque patitur aquam colorari; hoc denique veneno floriferarum stipites arbuscularum circunlinit, aut ipsa formicarum agmina conspergit; importunasq; bestiolas vel interitu vel fuga exterminat. Curiosa quoque minutaque demolitione latibula & nidificia subruit, atque ova cum matribus vel protinus exurit, vel procul exportat. Nova denique forma fictile vas excogitavit, medio foramine supraque infraque pervium, in extremo autem ambitu canaliculatum. Intra hoc mediam serit arbusculam; oppletoque aqua orbiculato canali, tanquam militari fossa, formicinas distinet aggressiones. Sed argillaceum hoc propugnaculum (pace recentis industriæ dixerim) mihi non probatur. Quænam enim ista calliditas est, ut hostem arceas, liberam plantarum adolescentiam coctili carcere, & figulari compede impedire? hortensis æquoris inoffensam speciem testaceis offendiculis asperare? cuniculis oppugnantes bestiolas extimo munimento distinere? Quare positos in areolis flores præscripta satis remedia defendent: quos autem in testulis collocaveris, ipsarum in pedibus, aut sup-

Benedict. Curt. de Hort. l. 14. c. 5.

ſuppoſitis baſibus excavati canaliculi abunde præmunient, in quos, velut in elices ſive ſulcos aquarios, aqua vel pluvia vel irrigua confluet, minutulis animalculis oceanus inſuperabilis. Si volatilis hortorum peſtis, locuſtæ in flores involent, hortatore Democrito, amaro lupino, aut ſilveſtri cucumere in muria fervefacto conſpergantur: è veſtigio enim morientur. Complures captæ urantur: ſtatim enim reliquæ à nidore vertiginoſæ & caducæ partim occident, partim demiſſis alis venatorem expectabunt; vel, hic ſi deerit, à ſole corrumpentur. Confecto ex iiſdem liquamine, & quodam velut igaro effoſſi ſcrobes madefiant: brevi enim in ſcrobibus ſomno ſepultæ, funeri videlicet proludentes reperientur. Suſpendioſi veſpertiliones de celſiſſimis loci arboribus pendeant: & illo terriculo fugatæ minutæ harpyjæ procul avolabunt. Abſynthio, aut porro, aut centaurea in aqua tritis plantæ contingantur: & contactu edaciſſimæ beſtiolæ abſtinebunt. Denique matutinus indagator colonus nocturno adhuc frigore pigras ac torpidas invadat: & citra veterum arma & machinas in exarmatis manibus volucri de hoſte victoriam poſitam eſſe fatebitur. Cantharides non hominum modò igneum, ſed florum etiam edax venenum (ſi Pamphilum audiamus) vel galbano cum veteri bubulo fimo, vel ſilveſtris cucumeris radice ſuffitas fugabimus. Quanquam recentium

In locuſtas.

Conſtant. Pog. l. 13. c. 1.

Pallad. l. 1. tit. 35.

In cantharides.

Apud Cōſt. Pogon. l. 13. c. 16.

rusticorum experimento docemur, ne fugatæ redire ad injuriam possint, callidè comprehensas utiliùs interimi. Sub hortensibus testis defluente earundem humore concreti, juxta floribus indecori, atque cultoribus periculosi scorpiones sæpe stabulantur. Humidis opacisque locis gaudentes igne persequere: unius exusti nidore cæteros exturba: latibula sulphure, galbano, asinique ungula, vel unico serpyllo, serpentibus etiam atque scolopendris infesto, suffumiga: ipsos præterea scorpios alligata imis fictilibus nuce avellana è Plutarchi monitu distine; ex recenti verò usu ad patinam frigida oppletam allice, ut perdas: aut identidem testas loco dimove, ut latitantes proteras. Virides pulices, qui roseti teneros asparagos, & virentes rosarum alabastros confertim obsident, nocentique attactu arefaciunt, atque adeo perurunt, acre acetum hyoscyami succo admistum, pulicosis olim oleribus præscriptum remedium, enecabit. Eandem operam præstabunt sinapis, & rhododaphnes semina, si conferveścant, &, cum refrixerint, affundantur. Sunt, qui doceant, floris odoratissimi parricidas olei graveolentis illitu, quòd à saxo nomen habens Petrelæum sive Petroleum vocant, velut justo supplicio esse multandos. Aliqui sabulonis, aut cineris injectu dejiciunt ac dissipant. Alii tandem summa mollitie animalcula levi digitorum pressu fr̃ictuque graviter oppri-

In scorpiones.

Id. l. 13. *c.* 19.

Plin. l. 20. *c.* 22.

In virides pulices.

Pallad. l. 1. *tit.* 35.

primunt & elidunt. Fœdi vermiculi seu blattæ bulbosa radice formosis liliis quà sativis, quà silvestribus, quà nostratibus, quà externis degeneri partu innascuntur. Hæ rubent ab ortu: sed postquam folia floresque cum scapis erosere, nigrescunt; ac semesum liliaceæ plantæ cadaver tetra ventris proluvie inficiunt, depastosque caules turpi facie relinquunt. Id ne fiat, suppositio plantis linteolo recentes bestiolas decute; atque, ne adolescendo convalescant, extingue nascentes. Hisce potissimis armis (nec enim omnia possumus, nec probamus omnes) majorum minorumque, gentium incommodas hortis belluinas nationes singillatim vel ulciscimur, vel depellimus: generatim verò atque universè omnia reptantia monstra sic insectamur, & proturbamus. Opium Cyrenaicum, sive laser, melanthion, galbanum, hyssopum, pyrethrum, peucedanum, sulphur, cervi cornu, & capræ ungulam unà contundimus: asperrimo aceto perfundimus: in pilulas conglobata succendimus, cruciabilemque fumum excitamus. Omnes itidem repentes humi bestias galbano, sandaracha, & butyro, sive adipe caprino suffitas procul à floribus amovemus. Inter odorata unum styracem adhuc invenimus, cujus deusti odore acerrimo universa ferme animalia, quæ vocamus ab incisuris Insecta, vaporemus ad fugam. Ne suam ipsi calamitatem, infestas nempe bestio-

In blattas bulbaccorũ liliorum.

In omne genus bestiolas.

Constant. Pog. de Agric. l. 13. c. 8.

Id. ibid. c. 9.

Card. de rerũ variet. l. 7. c. 30.

Pallad. l. 1. tit. 35.

las horti progenerent, deponenda semina in testudinis corio siccamus; aut mentam olitorio more interserimus. Ne floriferis satis arbusculisque hortensis ulla bestia noxæ possit esse, ex Democriti præscripto cancros fluviatiles complures, vel marinos, quos paguros nominant, decem non minùs intra fictile vasculum in aquam conjectos tegimus, atque sub dio statuimus; ut decem diebus sole vaporentur: ea deinde aqua, quæcunque illæsa volumus, aspergimus; atque octavo quoque die asperſionem iteramus, dum, quæ sevimus, adoleverint. At verò si Africani consilio paulò antè sationem sedi succo, quemadmodum tradidi, semina madefiant; non modò adversùs infestas bestiolas medicamentum, verùm etiam ad præstantissimos flores producendos valetudinem combibent. Perinde salutaris deponendis seminibus erit aut pridie immista, quæ focis hæret, fuligo, aut portulacæ aqua sic affusa, tota ut nocte sorbeatur. Nonnulli contusa cupressi folia, siccum alii & concisum, sive etiam elimatum cervi cornu, aut elephantis dentem cum seminiis commiscent: alii medicata prædictorum infusu ossium aqua semina irrorant, ut noxiis animantibus nullis obnoxiam sementem faciant. Proderit etiam aqua & amurca eadem semina macerare. Genialis medicus Apulejus, ut minùs ægrotent, vino serenda præmunit. Usque adeo, quæ aqua lactantur, medicinæ

Id. ibid. Constant. Pog. Agric. l. 5. c. 48. & l. 10. c. 89.

Idem de Agric. l. 2. c. 16.

Id. ibid.

cinæ nomine vinum sitiunt. Invenio etiam à quibusdam urina veteri, & canino fimo unà confusis affusisque contra noxam quancunque semina défendi. Eadem hyenæ pelle si contegantur, post aliquot dies metuendæ feræ odore penitùs imbuta noxias hortis animantes deterrebunt. Solent præterea, quæ dimidiata luna seruntur, illæsa servari. Ut omnem præterea floribus nocentium bestiarum defendamus ac propulsemus injuriam; aceti, fellis taurini, decoctûræ anguinei cucumis, hellebori albi, colocynthidis, & lupinorum amarissimo sapore; aut sulphuris, chalcanthi, florum & foliorum utriusque sambuci, coriandri, rutæ, cornuum, & ungularum gravissimo odore; aut demum ignis intolerando contactu absterremus. Duplici antiquitas præsidio (utrunque posteritas oblita est) pice videlicet ab aëris, amurca ab animantium noxa omnia tutabatur. Adeo, nisi nos antiquæ simplicitatis puderet, parabilis atque obvia rerum tutela esset.

Colum. l. 2. c. 9.

Cardan. ibid.

Id. ibid.

Lex floris propagandi.

CAPUT V.

FAvete linguis, imò & manibus favete impigri coloni, provida fautrice vestra, hortorumque magna moderatrice Flora,

tertiam legem, emolumento principem, sic ferente. Qui floreas opes nativo fœnore fructuosas non amplificas, ab hortensi cultura tanquam profanus, nempe ignavus exesto. Quoniam verò domi foriſque opportunitas est horti locupletandi: propterea duplex in propagatore industria requiritur, ut flores domesticos augeat, externoſque conquirat. Quamobrem non omnes indiscriminatim ac temere flores tuis in hortis demetes; sed ex lectissimo quoque genere nonnullos, qui magnitudine ac foliorum densitate speciosissimi primò existant, ad semen reservabis. Prior enim ille partus adhuc integris nondum effœtæ plantæ viribus effusus cum vegetior sit, generosius luxuriabit in semen. Quin etiam proderit seminalibus folliculis onustos bulborum scapos decacuminare, simul ne bulbi complurium educatione seminum fatiscant, simul ut pauciora liberaliùs educata semina colonorum votis fœcunditate respondeant. Et seminum quidem plurima bulbis rotunda, & nigra; pauca plana, & rubida, ut liliis non paucis, & meleagridi sive fritillariæ; utraque autem folliculis involuta; aliqua oblonga, & fusca, nec non siliquis incluſa, ut acaciæ, Indicæ arbuſculæ; multa longiuſcula, rubella, atque in lanuginem conglobata, ut cuilibet anemonæ. Ea omnia jam aridis cum folliculis, aut siliquis, aut certè cum lanuginoſis pappis vixdum hiaſcere,

Flores industria duplici propagandi.

Qui reservandi ad semen.

re incipientibus colligantur', priusquàm spontè caduca, aut vento decussa temere dissipentur. Conducit autem ea legere interdiu, cum pluvius aut irroratus mador efficaci sole siccatus est. Permagni quoque interest hortensis rei optimorum seminum habere delectum. Præstant, quæ propter magnitudinem ac pondus in imo subsederint: quia vis major, & succus densior inest ad uberem germinationem. Ad hæc indubitato fœcunditatis argumento plena & solida seligantur: at verò tanquam infœcunda & inutilia rejiciantur, quæ senio sint exucta & leviora, contusa & rugosa, emaciata & languida, permista & propter similitudinem adulterina. Altera est, & ea quidem compendiaria propagatio; cum bulbus aut radix in cohærentes bulbulos aut radiculas extuberat, quæ celeriùs, quàm lecta de bulbis aut radicibus minuta semina, in idoneam ferendis floribus maturitatem adolescunt. Quanquam illud à seminum satu jucundissimum emolumentum provenit, ut floris moram coloris formæque non rarò degenerantis mirabili novitate compensent. Luxuriant autem numerosam in sobolem bulbi & radices, quæ post alterum tertiúve (uti jam docui) à satu annum refodiuntur. Sed intelligant nimis avidi sobolis coloni adnascentium fœtuum copiam florum officere formositati: primo enim in partu exhausta mater facilè abortat in altero. Quare quem plusculum

Quo semine serendi.

Colum. l. 2. c. 9.

Constant. Pog. Agric. l. 2. c. 14.

Varro rei rust. l. 1. c. 40.

E bulbis ut multiplicandi.

laboris non deterret, ſingulis hic annis, quæ id exigunt, effodiat infodiatque ſemina; ut parciùs enixa vividæ pulchritudinis pleniſſimo flore colorentur. Quòd ſi bulbus frequenti etiam inter homines infelicitate quàm nobilis, tam ſterilis eſt; eum probè maceratæ reſolutæque pinguedinis ſolo, ad nucleos ſive ſpicas eliciendas efficaciſsimo, committito; aut imam ſeſsilis partis coronam, unde fruticant fibræ, ungue leviter incidito, minimaſque decidito particulas: ne vulnus noxæ ſit, macro aridoque pulviſculo inſperſo medicinam facito. Quot enim vulnera feceris, in totidem fœtus vigor genitalis erumpet. A mollioris tamen ingenii bulbis violentam hanc fœcunditatem exigere abſtineto; ne, antequam pariant, vitæ faciant abortum. Cæterùm cui cordi eſt hortenſem quotannis fundum præſtantiſſimorum florum acceſſione ditare, is debet florida tempeſtate nominatiſſimos alienos hortos frequens adire: quos in ſuis deſiderari animadvertit inſignes flores, aut gratuitò accipiendos, aut pretio aliorumve ſeminum merce permutandos cum domino paſciſci: ferreo tubo, vel imbricata pala ſive extractorio imbrice, quem ſupra deſcripſi, dum adhuc illi vigent ac vernant, tranſducere, aut ſaltem denotare; ut, ubi penitùs aruerint, certa manu eruat. Multiformes excogitari notæ poſſunt: nos uſitatas & parabiles, ideſt arundineas, ſurculaceas, & plumbeas

In alienis hortis ut eligendi, & præſignandi.

l. 1. *c.* 5.

beas tum in colono instituendo, tum in hortensi suppellectile numeranda præmonstravimus. Sin autem suspicio est, incertæ fidei promissorem impositam placito flori notam ad simillimi vultus vulgarem plantam translaturum, tibique vafrè impositurum; poteris è Belgio in Galliam transfusa callida cautione sic obsignare. E crassiore alearum, aliave illiusmodi papyro latum circiter digitum amplas tesserulas facies. Easdem medias per geminum foramen acu factum inducto lineo filo sic trajicies, ut in eandem partem utrunque fili caput promineat. A tergo, ubi filum papyro adhæret, liquefactam miniatulam Hispanam ceram adjunges, & confestim sigillo consignabis: tum utrunque lini caput utraque manu comprehendes; ac, tessellæ signatura extante, imum floris caulem citra noxiam incisionem innodabis: quod superierit filum, sub ipsum nodum succides, ne, vinculo enodato, suppositititiæ plantæ per dolum adalligari tesserula possit. Cavebis autem, ne demutilato caule summum florem, aut media folia demas; ut obice illo supernè clausum nulla fraus alligatum extrahat signum. Quod si demesso flore thyrsi cacumen præcideris; eundem cum foliis aliquot substringes, quæ connexæ tesserulæ lapsum exitumque remorentur. Denique, ne electè notata in hortis improvidè obliteres in animo, in hortensis rei rationarium codicem, hoc est in album memoriæ l. 1. c. 4. & 5.

moriæ delectorum florum genera, numerum, ſitus, notaſque impoſitas referes. Ita, cum tempeſtivitas advenerit, pactas radices ſinceras atque integras fide certa effodies. Unas tulipas, ſi libeat, licet (quod tranſalpini aliqui coloni ſolent) adhuc florentes eruere: dummodo ſtatim ſicco ſabulo in frigida cella ſubſtrato bulbos obruas, ipſo etiam in ſabulum prono germine. Fiet enim, ut, quà floribus, quà foliis ſenſim afficcatis, ſolidas, ſuccique plenas, atque incolumes bulboſas radices invenias. Quoniam verò terræ omnes ferre omnia non poſſunt, debemus hoc etiam hortis, ut ſuaviſſimo florum commercio, tanquam floreo nexu, diſſitæ non minùs moribus, quàm regionibus gentes arctiſſimè conjungantur. Igitur ubi peregrini floris fama florere externum quempiam colonum cognoveris, inita per ingenui officii promiſſique plenas litteras amicitia, pretioſas horti longinqui merces pari permutatione, pretiove mercaberis. Quòd ſi diſplicet remota iſta, ſemper cæca & ſæpe fallax mercatura; exiguum patere, dum aliorum curioſa feſtinatione colonorum tranſlatum in proximos hortos advenam florem in tuos oculata fide, minimoque labore ac ſumptu admittas. Curabis præterea, cum, ſoluto remotoque triſti nivium ſipario, infinita, eaque verſicolore florum multitudine frequentari cernuntur ſolitariæ camporum ac montium ſcenæ, ut, qui generis aut formæ novitate

E longinquis ut accerſendi.

vitate ſpectabiles emineant flores, tuos in hortos ferreo tubo tranſducti ex agreſti vita in floreæ urbanitatis convictum evocentur. Fit enim ſæpe, ut, ſicut hominum, ſic florum pulchrè degenerante genitura, ex agro civitate donanda egregia indoles exiſtat. Sed & illud cuſtodiendum eſt, ut ſalubrius, aut æquè bonum, aut certè non admodum deterius in ſolum hortenſia ſemina transferantur; ne nocentium reorum inſtar in oram peſtilentem damnata & relegata vel præmoriantur, vel emacientur: ea enim præpoſtera mutatio imbecillo cuique facilem morbum creat, vel interitum: atqui ſemen eſt aliquid imbecillum. Verùm enimverò bulbos ſiquis peregre mittat, in capſulas aut pyxides debet condere, ut in frigido ſiccoque ſtrato meliùs iidem perennent: arboreum muſcum alterna ſerie ſubſternere, ne commiſtio vel ſimilitudo allucinantem colonum decipiat: unumquodque genus præſcripto nomine numeroque diſtinguere, loco diſcludere, aut etiam papyraceo involucro penitùs ſeparare, ne concluſi bulbi vectione agitati atq; inter ſe colliſi & confundantur, & corrumpantur: in arculas aut pyxides ſatis refertas ſuperpoſitum muſcum infarcire: tum eaſdem probè operculatas craſſiore lino diligenter circunligare, nodoque nectere: nodum ipſum, ne is dolo malo diſſolvi poſſit, miniatula cera Hiſpana perlitum obſignare: fronteſque capſularum vel pyxidum

Theophraſt. De cauſ. plant. l. 3. c. 6. Conſtant. Pog. Agric. l. 2. c. 46.

Vt procul mittendi.

xidum illi, cui res destinatur, inscribere: aquis tandem tum pluviis, tum obviis impenetrabili cerato linteo insuere; extimamque inscriptionem intimæ geminam adjicere. Sunt qui prudenter astuti, ut quorundam alienas exteras merces explorantium, optimasque captantium hamatos ungues viscatasque manus impunè ludant evadantque immunes, incluſos bulbos non per adjuncta nomina, sed per certas numerorum notas, aliasve per arbitrarias formas distinguunt, quas cum ipsis nominibus conjungit explanatque data seorsum interpres epistola. Si bulbi longiùs missi aut accersiti vel itineris diuturnitate, vel quo alio incommodo situm contraxerint, exuctoque succo peraruerint; vitiosis omnibus tunicis denudentur: fiet enim non rarò, ut intimus saltem nucleus incorruptus ab interitu vindicetur. Supradictam pyxidum tutelam cautionemque desiderant longinquas in oras mittendæ floriferæ radices, quas tamen pro musco emporeticis sive inutilibus chartis obvoluere abunde est. Verùm anemonas, in graciles lingulas ocelloſque tenuiter porrectas stupa, vel gossipio molliter prætegi, deinde etiam chartulis involvi convenit. Vivi radices sive plantas radice aliqua fibratas diu peregrinaturas illitus melle muscus ad medium usque conveſtiat: mellis enim illitu perennat humor, peregrinantibus plantis dulce viaticum. Quòd si viæ mora octo

die-

dierum ſpatio brevior futura ſit; muſcus frigida madefactus ſatis illas præſtabit incolumes. Nonnihil diſſimilis ratio eſt in præmuniendis taleis ſive ſurculis tranſmigraturis. Nam vel illos in melle ſubmergimus: quia mellis humor neque pinguis, neque corruptioni obnoxius; ſed tenuis, dulcis, ac temperatus teneris germinibus à materno lacte avulſis vicaria ſuavitate alendis tuendiſque accommodatus eſt: vel figularem cretam ex melle ſubactam in Calabri limonii mali formam & magnitudinem conglobamus. In hujuſmodi argillaceo globulo quatuor aut quinque ſurculorum imas craſſioreſque partes defigimus: extantia cacumina, ipſamque argillam muſco involvimus: in capſulas aut pyxides, muſco alio (ſi opus ſit) undique denſato, includimus. Pari præſidio delicatiſſimæ indolis plantas contra itinerum incommoda tutamur. Nonnunquam etiam ſurculorum extrema ſuccoſis malis utrinque infigimus: in pyxide componimus: inſuccatam denique aqua ſpongiam imponimus: atque ita floriferæ ſoboli exiguo ligneo vehiculo peregre transferendæ vitalis commeatus, nempe humor in ſicco non deerit. Illud autem cavemus, ne minuta ſemina, quæ quàm ſicciſſima mitti debent, cum ſurculis, aut radicibus humida integumenta poſcentibus componamus. Quare bulbis, aliiſve ſiccam vecturam amantibus radiculis bene chartulis concluſa, ſuiſque nominibus

Cardan. de ſubtil. l. 8.

bus discreta adjungimus: aut certè cautiùs in pyxidiculas seorsum recondimus. Ut enim hominum, sic seminum tenera indoles à pernicioso consortio periclitatur.

Narcissorum cultura.

CAPVT VI.

ENucleata florei cultus disciplina postulat, ut propria communibus præcepta subjiciantur. Neque verò plantarum omnium satus singulos persequi est animus, sed earum duntaxat, quæ nostratibus, & præcipuè Romanis, hoc est nobilissimis in hortis curiosiùs coluntur. Satis enim habui ex infinita florum silva lectissimos cultissimosque seligere pertractandos. Interim ad aliorum culturam præcepta generatim tradita conducent. Narcissus, nimiùm sibi placentibus fabula salutaris, sive ingenio, sive artis mangonio in plura speciosè genera degeneravit, quæ tum frequenti scriptorum descriptione, tum quotidiana cultorum observatione jam vulgatissima percensuimus. Duos ex immani numero narcissos, eosque plebejæ in hortis notæ ad medicos usus recepit antiquitas, calice alterum purpureo, alterum luteo, candidis foliis utrunque. Et priorem quidem ab inspersa per oras calicis pur-

Dioscor. l. 4. c. 155. Plin. l. 21. c. 5. & 19.

purpura purpureum, posteriorem fabulosa mutatione inclytum à medio croceo flore albis foliis coronato croceum, sive luteum appellarunt. Narcissorum plerique macro, soluto, ruderato, arenoso, atque aprico lætantur loco. Id satis ipsi colonos admonent, dum voluntarii sabuletis, & montibus innascuntur. Bonum tamen requirit solum, qui folioſior effloreſcit. Pingui penitùs abstinendum: quia sessilem bulbi verticem ex facili corrumpit. Hæc autem folioso conveniunt cum simplici narciſſo, ut sole gaudeat uterque velut ad ostentandam etiamnum in flore manentem pristinam venustatem: ut ad quinos senosve digitos defodiatur: ut palmaribus intervallis, præcipuè luteus, collocetur. Est præterea, qui affirmet, narcissinum bulbum in flores non exiturum, nisi rarò, nempe tertio quoque anno refodiatur, aut disraretur, cum videlicet adnatæ numero sobolis exugitur. Simplici flore narcissi, qui semen soli reddunt, leviſſimæ varietatis inutili lucro frustra seruntur. Narcissum, cui nitidus candor aut languidè luteus pallor toto non solùm flore, verùm etiam calice diffusus argenteæ, sive sulphureæ pateræ Italicum nomen inscripsit, summæ apricitatis, mediæque macritudinis solo infodies, quale est, quo nullus æquè atque hic bulbus gaudet, olitorium. Depressionis, atque à cæteris bulbis intervalli modus erit, quem in aliis usurpandum

Narciſſi plerique.

Dioscor. & Plin. ibid. Ioan. Bapt. Porta. Villæ l. 9. c. 13.

Narciſſus totus candidus, totusq; sulphureus flore simplici.

pandum esse narcissis paulò antè monuimus.

Narcissus folioſior.

Nonnulli sunt densissima serie folioſi narcissi, velut Byzantino vulgatiore major, qui albida inter folia luteo calice sinuosa à monstratoris cognomento Boncori cordatum nomen nostratibus in hortis refert; velut etiam planè candidus, qui nitidam argenteo nomine pateram, non vino, sed flore plenam oculis propinat. Hi quàm pulchrè floreſcunt, tam ægrè dehiſcunt: in florem enim turgentis membranæ involucro hibernis quà nebulis, quà frigoribus flacceſcente, atque in rugas contracto, flos, antequam oriatur, aboritur. Quamobrem obstetrice hac arte floreo fœtui opem feres. Extremo Januario bulbos serus adobrues: cum illi turgidos flore scapos impellent, vesperi bene operculatos à nocturnis pruinis nebuliſque vindicabis: mane (si dies tepeat, & insoletur) operculo remoto apricari patieris. Proderit etiam interdum thecam ipsam duriuſculam, & dehiſcere contumacem leviter citra concluſi floris injuriam incidere, viamque partui vulnere aperire; ne is tanquam in uteri membranacei anguſtiis præfocetur. Ipsos verò bulbos quotannis tempeſtivè erutos in ſicciſſima cella cuſtodies: quia in humidiore thallos citarent, vimque genitalem omnem, flori etiam reſervandam, infolia profunderent. Et hi reliquam culturam ſuperioribus debitam deſiderant.

Narcissus juncifolius major.

Ampli floris & calicis junceis narciſſis congruit mediocris olerum terra,

& lo-

& loci positio modicè aprica. Amant iidem quaternis subesse digitis, ac totidem inter se aut paulò pluribus abesse. Superioribus minor juncidus tum odoratus luteus, tum albus, tum foliis reflexis pallidus narcissus in fictilibus, quàm in areolis, lætior provenit: locum exigit soli obnoxium, solum, quod infra supraque est, olitorium & bonum: idem tamen digitalis crassitudinis macriore humo proximè circuntegi vult, ut minimè in sobolem exhaustus profusè luxuriet in florem, utque à pingui humore sæpe manans vitium devitet: frequentem verò, ac tempestivam, quoad folia exaruerint, amat irrigationem. Hac ergo cultura compertum habemus, tum simplici, tum pleno flore, junceoque folio Hispani narcissi bulbos mirè crassiores fieri, ac fœcundiores. Si rotundus est bulbus, terni digiti depressioni dantur, intervallo totidem aut saltem bini. At oblongus digitali, aut paulò majore altitudine defoditur, ne solis appetens incommodam in longitudinem excrescat. Est etiam qui supposita, cum is conseritur, testula longulum facilè rotundet. Rarenter, ac circumacto minimùm triennio eruitur adnatam ad fœturam segregandam, sive etiam ad vetus effœtumque solum recenti fertilique commutandum. Supra quatuor sexve dies inobrutus esse non debet: quia pusilli corporis & roboris bulbus à vitali matris amplexu diutius dissitus æstivis præsertim calori-

Narcissus juncifolius minor luteus, albus, & pallidus foliis reflexis.

bus emaciatur. Semine ſatus narciſſus hic in bulbulos floribus fœcundiſſimos proficit. Duplex denique in juncei folii narciſſo, eoque potiſſimùm qui folioſior floret, cura atque opera impendenda eſt: altera, ut florem citò legas, cum exiguo corpori par, nempe imbecilla bulbuli vis citra interitus diſcrimen flori diu alendo non ſit: altera, ut, poſtquam idem narciſſus defloruit, obſitum illo vas ſub tectum referas, pluviæque ſubducas; ne per bibulum ſcapum infuſus humor totum bulbulum permeet, ac putrefaciat. Ejuſdem à junceo folio nominis Narciſſus albus autumnalis amat locum à ſole ſummotum, terram levem & raram; trium altitudine digitorum demergitur, duorum intercapedine diſſociatur: perrarò effoditur: aggeſto per æſtatem ſolo ab æſtu defenditur: ubi remiſit calor, eodem exoneratur. Languidi odoris flore viridi ſtellatoque, per autumnum ante folia itidem juncea emergente ſubſimilis priori, craſſiore tamen ac proceriore caule ternos quaternoſve flores efferens diſpar narciſſus humo gaudet mediocri, & parum aprica: in tres digitos demittitur, parique ſpatio disjungitur: vix unquam exeritur. Similis cultura, quæ ſuperiori luteo Hiſpano narciſſo adhibetur, bulbulo ſimilem educat junceo folio pſeudonarciſſum. Silveſtris narciſſus Dodonæi, ſive pſeudonarciſſus Hiſpanus major & minor Cluſii, qui ſimplici ſenum foliorum textura ſtellatus

Narciſſus juncifolius autumnalis albus.

Viridis.

Pſeudonarciſſus juncifolius.

Pſeudonarciſſus Hiſpanus.

velut

velut in tubam tubulato fimbriatoque calice grandioris tubæ ſibi appellationem vendicat, ſeu flaveſcat, ſeu palleat, ſive albeſcat, mediocre ſolum, ac ſatis inſolatum ſitum, nec non quaternos in depreſſionem digitos, in intervallum verò palmi dimidium requirit. Qui folioſa denſitate ſtipatus minùs expreſſa tubam promit imagine, quique conſimili facie narciſſus Roſeus major appellatur, imò (ut quidam exiſtimant) à proximè ſuperiore pſeudonarciſſo non diſtinguitur, eodem cultu lætantur: jamque in florem turgente membranæ vagina ab aqua pluviatili, quàm maximè poterit, abſtinendi ſunt; ne largiùs inſuccati, ac plus æquo tumefacti dirumpantur, enormiterque fatiſcant. Idcirco mobili præſtat eoſdem fictili, quàm ſtabili areolæ, committere. Parem ferme culturam quærit minutulus pleno flore pſeudonarciſſus. Peculiare tamen hoc poſcit, ut minùs altè, tres nempe digitos loco magis humecto deponatur, & rarò aut nunquam eruatur; quia noſtro cælo non admodum gaudet, crebraque tranſlatione vexatus maligno reſpondet eventu. Non diſpar debetur cultus geminis pari brevitate narciſſis, nempe ſilveſtri Stellato, & Roſeo minori. Narciſſus quoque, cui ſingularis, & conſpicua magnitudo nomen dedit Incomparabilis, in terræ delectu cæteris comparatur: olitoria enim contentus eſt. Modicè apricari ſatis habet; quia diu-

Narciſſus incomparabilis.

turno ſole flacceſcit. Vult à ſummo ſolo quaternis digitis, ab affitis bulbis palmi dimidio propter ſobolis numeroſitatem diſtare. Is autem narciſſus, qui virentis cerviculæ deflexa & rigida longitudine prolixum cameli collum in ſimilem floſculum, atque in floſculi nomen contraxit; quique ab aurea calicis corona coronario nomine decentiùs inſignitur, quærit humum pinguiſſimam, quæ tamen bulbi verticem, unde fibrarum capillitium fruticat, non attingat; ne vitiet, neve corrumpat: id quod in cæteris quoque bulbaceis radicibus conſimile ſolum poſtulantibus cuſtodiendum eſt. Amat idem narciſſus averſum à ſole locum; quòd incaleſcente jam anno ſerotinus floret, ac, veluti candidum hortorum ſidus, clarior in opaco nitet. Poteſt ad palmi dimidium demergi. Quanquam ſæpius utiliuſque breviore quatuor digitorum menſura deponitur; quia folioſiores & plures ab uno caule ſic flores trudit. Eodem digitorum totidem, aut paulò laxiore intervallo ab aliis plantis commodè diſtinetur. Par adhibetur cultura Narbonenſi, & Anglico narciſſo, cæteriſque, qui ſerò vernant.

Narciſſus longa cervice.

Narciſſi Indici.

Solent Indici narciſſi, antequam noſtro tum cælo tum ſolo aſſueſcant, ad intimum uſque nucleum lenta macie tenuari ac tabeſcere. Horum plerique, quòd hoſpitari neſciunt, paventque novitatem, penitùs intereunt. Nonnulli ſenſim repa-

reparatis tunicis viribusque non sine spe florei partus in molem pristinam turgescunt, & revivi-scunt. Verùm, ut in exteris hortis longinqui hospites incolumes perennent, atque ad florem & sobolem usque proficiant, ferè sabulosa humo excipiendi sunt. Virginiensis narcissus vult intra terrenum vas in olerum solo duum digitorum altitudine deponi, mediocriter apricari, nunquam refodi, nisi ad sobolem sejungendam. Apud nos non sementat. Affinis lilio narcissus Indorum è rubro croceus, duodecim ante annos Jacobei narcissi nomine ad Romanos Farnesiorum hortos missus, diu sterilis & inglorius in folia tantùm egerminavit. Sed nova jam industria, seu potiùs injuria colitur & juvatur. Etenim bulbosa mater macerrimo in solo ad binos ternosve digitos mergitur: ut eadem alimentum incrementumque capiat, felicique sobole se propaget, ad mensem usque Novembrem eatenus irrigatione atque insolatione fovetur, quoad primis folia frigoribus exaruerint. Tunc enim obsita hoc bulbo testa in locum subducitur imbribus quidem & gelicidiis inaccessum, sed tamen aëri pervium, placidoque spiritu perflabilem. Hìc ad medium usque Majum paulatim inarescere ac sitire sinitur. Eo demum tempore superposita bulbo humus diligenter scalpitur atque egeritur, donec mater cum sobole denudetur: tum eidem matri

Narcissus Virginiensis flore purpuracente.

Narcissus Indicus è rubro croceus, flore liliaceo.

adnati bulbuli seorsum serendi subtrahuntur, radicibus, quæ semper terræ inhærent, immotis intactisque; ipsa verò superinjecto solo, quod modò subductum fuerat, operitur. Principiò potest siticulosum fictile fontanam in aquam demitti, donec bene penitus humescat: in solem deinde pluviamque producitur, atque, cum res poposcerit, irrigatur. Quanquam aliis colonis annua monstravit experientia, nullis ab intacto incultoque bulbo blanditiis provocatum florem faciliùs existere. Indicus uterque liliaceus narcissus, tum saturo, tum diluto colore purpurascens, in olerum raro arenosoque nonnihil solo ad binos ternosve digitos depressus, & apricus prosperè solet efflorescere. Quòd radicibus nititur immortalibus, nisi sobolis avellendæ causa, nunquam eruitur. Nostris in hortis nondum exit in semen. Sphæræ hortensis artifex numeroso flore, narcissus Indicus communem Indiæ narcissis culturam quærit. Nimius illi humor omni cura defendendus est; ne calor, quo maximè gaudet, aut extinguatur, aut refrigescat. Indicum, seu Suertium narcissum gemino latiore folio, & flore puniceo sic tutò feliciterque seres. Bulbum amplo fictili cautiùs concredes: macra & sabulosa humo adobrues, ne pinguioris habitudinis præcrassa & squamea bulbacea cutis cum terrestris pinguedinis præservido humore tabem combibat: in tres digi-

Narcissus Indicus liliaceus tum saturo, tum diluto colore purpurascens.

Narcissus Indicus flore liliaceo Sphæricus.

Narcissus Indicus gemino latiore folio, flore puniceo.

tos

tos pones: in aprico ſtatues. Quoniam verò ſquamoſus hic bulbus nimio inter ſquamas humori vitioque concipiendo eſt opportunus; à foliis Majo menſe, aut paulò priùs amiſſis, quod circunſtat, ſolum inareſcere ſines: tum eundem bulbum, ſi terreno vaſe incluſeris, in locum ab imbribus quidem tutum, at ſolibus expoſitum recipies. Sin hortenſi areolæ commiſeris, arida recenti terra aggeſta pluvialibus ab aquis, atque ab æſtivis fervoribus unà corrumpentibus vindicabis. Ineunte Septembri, cum germinationis tempeſtivitas appetit, ab areola ſublato, quod in cumulum tumebat, ſolo, fictili autem in apricum producto, profuſiſſima ſemel irrigatione ſiticuloſum bulbum recreabis, ut ad germen incitetur. Hæc Tranquilli Romauli, experientiſſimi cultoris, induſtria florem quotannis elicuit. Inexploratum adhuc eſt, utrum ſemine ſatus colorem variet. Illud autem compertum habemus, avulſis depactiſque in terram ſquamis ſimilem in ſobolem eum facilè propagari. Cavebis denique, ne unquam eundem effodias: quia narciſſis Indicis univerſis antiquiſſimum hoc eſt, ut inſigniter lædantur effoſſi.

Tranquillus Romaulus.

Croci, Colchici, Coronæ imperialis, ac Tuliparum cultura.

CAPVT VII.

Crocum silvestre.

SIlvestri croco tum verno, tum autumnali solum convenit citra vermes pingue, ac modicè insolata positio. Sationi dantur in altitudinem digiti tres, totidemque in intervallum.

Colchicũ.

Eodem quoquoversus interposito spatio, & paulò altiore quatuor ferè digitorum mensura Colchicum seres bono in solo, & satis aprico. Vastæ rotunditatis bulbus, cujus aurei flores in orbem nutantes Imperialis coronæ splendidum nomen retulere, mediocriter macro apricoque olitorio solo ad quinque digitorum altitudinem, & palmari intervallo infodiendus est. Quoniam verò idem, tenerrima nudaque carne cum sit, incommodè abest à terræ gremio; transmoveri non debet, præterquam si satis adulta subtrahi postulet fœtura. Septembri mense eruitur, & reseritur. Nulla à satu seminis vicissitudo provenit coloris. Observatum est, ab eodem hoc bulbo præsagiri & præmonstrari temporum vices. Ubi enim is caulem trudit, desiisse frigora significat: erutus quoque siccoque in loco sepositus, ubi fibras mittit, imminentes pluvias, frigidioremque tempestatem prænuntiat. Illud etiam habeo longo compertum pe-

Corona imperialis.

riculo

riculo affirmare, flores hoſce maternam plantam pronis velut gratum in obſequium verticibus coronantes tranſalpina inter frigora, quàm in Romana temperie, florentis auri numeroſiore ambitu ſplendeſcere. Tulipæ familiari eximiæ pulchritudinis arrogantia cæterorum florum odere conſortium. Ternos digitos in depreſſionem exigunt, in diſtantiam quinos. Mediocritate lætantur ſolis, & ſoli: hujus, ut bulbi tutiores; illius, ut flores diuturniores ſint: ne ſcilicet hujus pinguedo teneros vitiet; illius fervor ſerotinos adurat: ne denique neceſſe ſit obtentis velut caſtrenſibus velis cum cælo & ſole pugnare. Tutiſſima ſatio eſt, quæ cum totum bulbaceum corpus, tum in primis averſam, quæ fibris fruticat, ſedem jejuno infodit ſolo; leve deinde, ac validum ternos circiter digitos altum ſuperinjicit. Experimento didicimus in ea fimoſa terra, quæ ſuperiore anno in anemonarum alitura fervidioris pinguedinis uber nonnihil emunxerit, tulipas & mirificè adoleſcere, & magnificè efflореſcere. Quin etiam amœniſſimi flores hi maximè lætantur alunturque ad amœnitatem inſolitam eo terræ flore ac polline, quem è declivi loco delabens aqua delibat, ac devolutum in imo ſiſtit. Lectiſſimarum præcipuè, pulcherrimiſque coloribus diſtinctarum bulbi grandiores à foliorum jactura quotannis erui ſtatim debent; ne diutius obruti decreſcant, aut mirabili latebrarum Tulipæ.

amore

amore deſcendentes peſſum eant, aut etiam tunicis, velut in calcis concretionem, obdureſcentibus lapideſcant, aut demum æſtivis quà pluviis, quà caloribus ſuffervefacti exputreſcant. Quæ ſimplici probabilique colore vernant minùs nobilium tuliparum bulboſæ radices, continenti biennio humatæ utiliter interquieſcunt; dum tamen, ubi folia evanuerint, aggerata quaternos in digitos humus æſtivas propulſet injurias. Priore autem anno illæ pariunt; altero partum amplificant; tertio, niſi educantur, fœtus adhuc invalidi nova minutula prole ſuperfœtant, exhauſtique attenuantur: quinetiam compluſculis ſimul involuti membranis ab incluſo ſuperfluo humore ſæpe tabeſcunt; id quod exinde malignus florum proventus oſtendit. Quam nonnemo laudat atque uſurpat lateritii pavimenti moram, ne depoſitæ tulipæ ſeſe altiùs demittant, à ſumma humo interſtitio palmari ſubſtratam, & ſupervacaneam puto, quia vix in palmi dimidium ſolent hi bulbi deſcendere, neque nobiliores tulipæ quotannis refodiendæ in altiores latebras abeunt: & præterea noxiam, quia intervallis, quæ lateres anguſtè diſtinent, paulatim denſata humo expletis obturatiſque pluviatilem humorem tranſmittens via ſic præcluditur, ut eo largiter concepto molliſſima hæc bulborum natio plerunque marceſcat. Si tuliparum bulbis extra terræ gremium quàm maximè conſultum

velis

velis;eoſdem cohærente cum ſobole, cum univerſis membraneis involucris, atq; adeo cum ipſis aridis fibris, concretoque cum ſolo erues: tum aperto, non tamen aprico loco per quatriduum, ut ſiccescant, expones: in ſicca deniq; frigidaque cella papyro involutos habebis: cum tempus referendi fuerit, adhærescente humo, extimis exuviis, fibriſque detractis, iidem bulbi cum adnatis nucleis incolumes integrique reperientur; quos, ſi vixdum erutos improvidus cultor tutelaribus iis ſordibus liberaſſet, facilè durior inſtar calcis concretio corrupiſſet. Cavendum verò eſt, ne nobiliſsimi generis matri adhęrens puſillus hęres exteriore arida membrana denudetur; quia nudulus noxam ex facili contraheret. Quoniam præterea frequenter eſt, ut appendix illa nervoſa & candida, quæ bulbulos gignit, emergens in apricum, ſummoq; ſolo natans rubeſcat ac vitietur; diligẽter aggeſto ſolo adobrui debet, ut feliciùs fœtificet. Et quanquam ſolent inanes tunicarũ exuviæ inveniri, exhauſtis matribus, quæ tam profuſo ſeſe partu eviſcerarunt; nonnullo tamen interdum reſiduo ſucco concreti, & poſthumi bulbuli inter membranaceas veluti ſecundas deliteſcunt, cautè ſecernendi. Jam verò ſeminis optimi feraces tulipæ ſeligẽdę ſunt. Id è ſerotinis, quàm è præcocibus, utilius, quippe magis varias, colligitur. Solent in hunc uſum pręferri tum candidæ, nigris; aut violaceis, aut cæruleis unguibus infuſcatæ: tum coccineæ, unguibus

bus ex cæruleo in violaceum inclinatis, alboque circulo coronatis rariores. Utraque enim floreum genus discoloribus maculis decenter aspersum seminabit. Verùm siquis versicoloris picturæ rariore gloria flos inter cæteros excellat, in semen abire permittendus non est, sed maturè legendus; ne bulbacea mater exhausta vel decrescat, vel præmoriatur. Adde, quòd ab istiusmodi flore, in quo ungues internigrare minimè solent, inutile semen existit, in unius nempe coloris flores sæpius degenerans. Folliculo sponte sua jam dehiscente semen legitur: ubi primoribus imbribus September immaduit, intra fictile in olerum bono minutoque solo dimidiatum altè digitum de more deponitur. Nisi circumacto bienni spatio prognati bulbuli non effodiuntur: grandiusculi à minusculis segregati in seminarii pulvinis, aut certè in fictilibus reseruntur. Ita consiti quarto demum quintove anno flores non paucos decoris maculis conspicuos dabunt. Compertum verò est, in pingui solo seminibus satas tulipas eodem in bulbos adultas velle nutriri. Persicæ tulipæ pusillus bulbus brevi duum digitorum mensura mergitur, trium intervallo sejungitur. Omnibus annis refoditur; alioqui sese altè illatebrat. Nequicquam semine seritur, quia colorem non variat. Reliquam culturam exigit cæteris parem.

Fri-

Fritillariæ, Iridum, Liliorum, Orchis, atque Ornithogali cultura.

CAPVT VIII.

FRitillariæ, non palato, sed oculis gratæ Meleagrides, soli pinguitudine, situs opacitate ac frigore, nec non tempestiva per æstivos fervores irrigatione delectantur. Fictilibus malunt, quàm areolis, infodi; ut ab intempestate cæli tuta in loca subducantur. Digitorum trium demissionem, ac totidem intercapedinem amant. In floribus legendis quàm minimum cauliculorum decerpatur: quia nocentissimum id bulbis est. Hosce sæpius refodi non patitur parvitas & nuditas. Septembri mense (ubi res poscet) eruentur, si tamen annus refrixerit; continuoque satu recondentur. Nisi statim referi possint, diu saltem inobruti ne sint: quia parentis altricisque telluris exules mœrore senioq; rugati perniciosè exarescunt. Semine sati florum colore à parentibus non degenerant. Irides, quarum bulbusa radix, mediocri solo ternos in digitos; quarum durata in tuber, sive (ut vulgò dicitur) tuberosa, macro siccoque mergunter in binos. Illæ quaternis digitis; hæ palmari spatio disterminantur. Illæ solem ferme fugiunt; hæ quærunt. Bulbosæ demum, itidemque tuberosæ tertio quoque anno sub extremum Julium men-

Iris bulbosa, ac tuberosa.

Iris prima Clusii, & Persica.

menſem eruuntur, Septembri reſerendæ. Iridem Cluſii priorem, alteramque Perſicam in olerum temperato ſolo, & aprico loco tres altè digitos depones: craſſas bulbi radices bene divaricabis: ne quam incautè revellas perfringaſve, cuſtodies; quia graviſſimæ id noxæ eſt: palmaribus interſtitiis ſeparabis: è terræ ſinu non educes, niſi ut prolem ſubducas: utranque operam Septembri menſe præſtabis: è ſemine nequaquam degenerante diſcolores vices non expectabis. Silveſtribus, ſive montanis, atque adeo peregrinis liliis, quibus martagonum nomen ætas recentior impoſuit, amica eſt olerum ſubpinguis leviſque terra; ſolibus parum oſtenta, & frigida, non tamen humori nimis opportuna poſitio, palmaris deniq; tum deſcenſio, tum diſtantia. Bulbi, niſi ad ſejungendos fœtus, emovendi refodiendique non ſunt. Tempeſtivè tranſponuntur, cum prope jam defloruere: tunc enim veteres fibras amiſerunt. Ipſæ quoque humi poſitæ bulbaceæ ſquamulæ tandem adoleſcunt, & rotundantur in bulbulos. Semen jacitur citra ſpem varietatis. Æſtivus fervor frigore gaudentibus exitialis eſt. Hic ergo ipſis aggeſta humo, aut quo alio diligenter obice defendetur. Veruntamen hæ frigidioris Germaniæ peculiares & vernaculæ plantæ noſtrorum ægrè ferunt hortorum teporem; intimamque ægritudinem parco flore ſignificant.

Lilia Silveſtria.

Orchis.

Orchis, & Satyrium in humidis atque opacis

ad

ad quinos digitos deponuntur. Vulgare ornithogalum narcissi culturam desiderat : Peregrinum, quod & Indicum vocant, Romæ in pretio habetur, ac studiosè colitur. Solem amat è patria solis oriundum nostratis plagæ frigora pertimescit. Ea re in fictili intra bonum & validum solum Hispani odorati junceo folio narcissi ritu custoditur, ad binos digitos Septembri mense defossum. Ab asperrimæ hiemis intemperie sub tectum ac tutum locum revocatur. Frequenter effodi non vult. Si quando tamen effosso fuerit opus, id fiet dilapso jam flore, maturoque jam semine : statim enim recentes agere fibras incipit. Ornithogalum.

Hyacinthorum cultura.

CAPVT IX.

HYacinthus utpote genere multiplex, colore varius, florum ubertate diversus, præcox, tempestivus, serotinus, debet hortis infodi numerosus ; ut in species renideat universas. Huc adde, cohærentibus eundem spicis, quæ nisi bimæ trimæve copiosè non efflorescunt, adeo soboleſcere; ut ad florum segetem plerunque sterilescat. Quare seri plurimus debet, ut nonnullus uberrimè floreat. Apricissimum Hyacinthus quilibet.

mum locum plerique hyacinthi quærunt. Hyacinthinos bulbos à bulbosis aliis radicibus utiliùs segregatos inter palmaria spatia disponemus, itidemque palmari altitudine deponemus. Hæc tamen iis convenit bulbis altitudo, qui justa magnitudine sunt, quique scapos multo flore convestiunt. Cæteri pro corporis mole ad senos, quaternos, binos etiam digitos descendent. Universi verò, nisi fatiscant in sobolem, intra quadriennium non effodientur; quòd extra terræ gremium sterilitatis, & corruptionis discrimen subeunt. Sic autem rectè seritur in primis & simplici & multiplici flore cæruleo polyanthes. Solum gracile, non ita leve, nec ubertate nimia defatigatum effætumve, sed satis robustum, imò etiam antea rude immotumque, quamvis exile, mirabili proventu bulbo substernitur, & circunfunditur. Utiliter deinde bonum & pinguius superingeritur; ut illud nimiam fœturam tabemve prohibeat, hoc temperatæ pinguedinis instillatione abundè nutriat ad floream fertilitatem. Quoniam verò senio, partuque fatigatur humus; junior identidem, & vegetior substituetur: adhærescens matri soboles non annicula, sed bima subtrahetur; quia materno feliciùs ubere adolescet, ac tertio demum anno fertilem in ventrem rotundata numeroso flore luxuriabit. Hyacinthus præterea candido flore præcox, quia priore post sationem anno minutis-

Cærulæus polyanthes.

Albus brumalis.

simos

simos bulbulos sessili per ambitum vertici hærentes denticulata serie prodigiosè ferax profundit, circumacto biennio cum adultiore sobole eruendus est. Cæterùm bulbosas hyacinthorum radices, qui singulis in scapis plurimi serò candicant, qui diluto colore subrubent, quique secundùm violaceos flores longas foliorum tæniolas porrigunt, macriore humo circunteges; quaternos in digitos tantummodo demittes: ubi folia exaruerint, quotannis refodies, ne dulci teneraque carne delicati ab imo vertice fibris comante vitium capiant, vermiculentur & computrescant. Herbeo virore florentem hyacinthum ab assiduo sole salubriter distinebis, ne diuturno calore perustus viror in tristiorem palloris colorem cinerescat. Racemosus hyacinthus macra humo, aprico positu, quinos senosve digitos alta depressione lætatur. Debetur hyacintho botryodi inodoro, Belgico, Hispano serotino, atque obsoleto bonum solum & parum apricum, trium digitorum altitudo, par aut digito majus intervallũ. Stellatis Peruanis hyacinthis olerum subpinguis & robusta humus, necnon à sole nonnihil aversa positio commoda est, ut caulis desiderio sideris procerior ac decentior excitetur. Quoniam autem bulbi oppidò capitati sunt, nucleosq; grandiusculos procreant; palmo laxiora per intervalla disponuntur: quaternis digitis subsidere satis habent: Julii mensis exitu effodiuntur. Spurius ille hyacinthus, quem Byzantii cultores suavi vocabu-

Albus serotinus, subrubens, & violaceus caule foliato.

Subviridis.

Racemosus.

Botryodes inodorus, Belgicus, Hispanus serotinus, & obsoletus.

Peruanus.

Botryodes odoratus.

lo Muſcari appellant, loco eximiè pingui modicéque aprico, inter palmaria interordinia, in palmi dimidium depreſſus ponitur. Perrarò idem eximitur, cum videlicet ſuæ ipſe numero ſobolis opprimitur; quòd æternis humum radicibus complexus à matre ſimul vitalique profectu incommodè avellitur. Neque verò ſtatim, atque ipſum effoderis, radices adhuc ſuccoſas carnoſaſque extorquebis, ne vivida vis è vulneribus expiret; ſed aridas tandem atque emortuas ſubtrahes innocenter. Quanquam refodere Septembri menſe præſtiterit, eodemque mox detractis fibris attonſum inhumare: quia, ſi diutius abſit à terra, noxam ex facili capit. Proderit etiam quotannis, cum prima exire folia incipiunt, intactis tenus radicibus veteri effœtaq; terra ſubducta, recentem fertilemque ſuffi-

Cupreſſinus. cere. Hyacinthum in lugubris cupreſſi conum turbinati feſtiva imitatione cupreſſinum, mediocris apricitatis peramantem, & propter ramoſum ſilvoſumq; florem ab aliorum conſortio florum palmari divortio ſegregem, quatuor altè digitos demerſum olitoria ſubpinguis humus utiliter excipiet; nec, niſi revoluto triennio, amovendæ ſobolis ergo

Tuberoſus candidus. remittet in lucem. Hyacinthus, ſeu potiùs aſphodelus tuberoſa radice Indicus polyanthes, odore jucundiſſimo, bonum, leve, robuſtumq; ſolum, apriciſſimum locum, liberalem tota æſtate irrigationem poſtulat. In fictili, quàm in areola, eventu lætiore reſpondet; quòd in hujus laxitate nimium fœtifi-

tificat: in illius anguſtiis parciùs propagata tuberculorum poſteritate, vegetos conatus effundit in florem, ac tempeſtatum injurias geſtatorio declinat hortulo. Solitarius, aut ſociatus palmaris latitudinis cubile deſiderat: in tres quatuorve digitos deponitur: ingruente jam frigore in contectum quidem, at perflatilem locum recipitur: quotannis decreſcente Martii menſis luna eruitur: peregre mittendus etiam dimiſſis foliis, tutò effoditur: adultior, & facilis revelli ſoboles abjungitur: prolixum fibrarum capillamentum ad arbitrium ſtrictim ſummatimve attondetur: idem tuber præſcripta ratione reſeritur: fibrarum coma excitato terræ cumulo circunfunditur. Semen, quod floris colorem non variat, noſtratis more ſeminis hyacinthini differitur. Ut autem noſtrorum mirè degeneret hyacinthorum color & numerus, hac arte ſemen leges, hac infodies. Ex eo bulbo cujus vires nulla ſoboles adnata delibet, plurimis conveſtitum floribus primigenium caulem reſervabis: altero tertioque loco genitos ſuccides: ubi flores prope jā evanuerint, caule decacuminato, ſummos ac pleroſque amovebis: tres quatuorve imos relinques, in quos vigor omnis uberrimè cónfluat: à maturitate jam fatiſcentes folliculos, & nigella ſeminum grana præmonſtrantes colliges: in Septembrem, vel Octobrem uſque proximum opportuna in cella repones: alterutro è prædictis menſe in altis & peramplis fictilibus, bona olitoria humo repletis, ſemen rariſſimè differis; quippe toto bien-

Hyacinthini ſeminis delectus, & ſatio.

nio, donec in grandiusculos bulbos adoleverit, transmoveri non postulat: cum opus fuerit, irrigabis: à frigore in aprico, ab æstu in opaco tutaberis: ab amissis foliis, curabis, ut semper humus nonnihil humeat, ne perparum succosi recentes bulbuli arido in solo penitùs exucti exarescant: pinguem anno exacto humum superingeres, ut, quæ subjacet, ob diuturnam alituram exhausta pinguioris accessione revalescat: elapso biennio erutos bulbos, cum ad juglandis magnitudinem excreviſſe solent, in seminarii pulvinis inter laxiora intervalla paulò altiùs mox inhumabis, ne tenera parvitas diu inobruta lędatur. E primi rudimento floris, quem tertius à satu annus plerunq; citare solet, specimẽ indolis capere non satis licet: id autem annus insequens palàm faciet. Proximum deinde trienniũ ostendet, ad quem florum numerum singulis in scapis eniti fœcunditas possit. Quos igitur bulbos intra id tempus bellè copioséque florere animadverteris, retinebis; degeneres exterminabis. Neque enim uberior in posterum proventus, aut flos numerosior sperandus est.

Cyclamini, & floris Indici è violaceo nigricantis cultura.

CAPVT X.

Cyclaminus.

VTraque cyclaminus, tum verna, tum autumnalis intra testas ampliores inhumari vult, ut uberior floreat, utq; tutior perennet. Levi quoque, non tamen effœto, sed pingui solo

solo auctior extuberat in ventrem, & pulchrior capillatur in florem. Binos altè digitos deponitur; ne altiùs obrutus tuberis oculus, dum lucis desiderio nimis assurgit, vim floris procreatricem longum absumat in incrementum. Flos, & folium hiberno frigore infestatur. Autumnalis in umbra subluſtri, dubioque sole floridior nitet: ipso enim adhuc fervido anni tempore satis caloris habet etiam in opaco ad florum citandam uberem parituram. Verna loco gaudet apriciore: quia extrema vernare incipit hieme, cum sol adhuc remotior plantas languidè fovet, ac leviter ad floreum partum extimulat. Tunc autem transponenda solùm est, ubi jam adultior alimentum ac feracitatem ultra non ducit à terra, & fictilis angustiis compressa strangulatur. Argumento erit foliorum silvula densior, ipsoque fictili diffusior. Illud extrahenti cautè custodiendum est, ut, quæ concrevit adhæsitque fibrarum capillamento humus, ne decutiatur, neve excidat. Alioqui enim creberrimæ capillaceæ fibræ novo satu explicari non possent; impexæ verò confusæque ex facili putrescerent, ipsumque tuber corrumperent. Ad hæc circùm fibras inarefacta eadem vetusta humus ab recentis circunfusa & contigua uligine sensim humescit, elicitque vires alendo tuberi pares; quod, cum suapte natura humidum sit, magis uliginosam recentiorem terram non sine contagionis periculo con-

 tinget.

tinget. Unum tuber multiplicem familiam dabit cum in frusta conciſum, tum ſeminatum. Inciſione & vulnere ſic propagatur. Ubi jam arida folia dimiſit (fibras enim æternas habet) diligenter effoditur, atque ita interciditur, ut ſectilium partium cuique ſui relinquantur illæſi oculi: tum frigido ſiccoque eo uſque habetur in loco, dum ſiccata vulnera cruſtulam ducant, & cicatricibus occalleſcant. Cicatricoſo deinde lateri ſatis exucto atque exiccato cera commiſtæ terebinthinæ reſinæ lentore tenacior illinitur, & facilè adjungitur, quæ pridem humenti non adhæſiſſet. In fictili demum vaſe tempeſtivè reponitur, obliquata in latus cicatrice, ne inſidens humor officiat: obducto præterea vulneri jejuna & ſicca humus admovetur, & ſecundùm hanc bonum ſolum aggeritur: aqua, niſi germinare incipienti, non affunditur; ut ſaucium tuber quò ſeriùs, eò minore periculo humeſcat. Jacto ſemine ſic feliciter ſoboleſcit. Abſumptis jam foliis, cum, pediculo in ſpiras convoluto, ſeſſilis folliculus dehiſcit, maturum legitur ſemen, atque in tempus idoneum reſervatur. Cyclaminum vernum vere, autumnale autumno in pingui ac bene macerato ſolo digitum alto ſatu obruitur. Sole in primis, atque humore proficit. Utrunque toto triennio immotum intactumque adoleſcere ſinitur. Mutat facilè colorem, ſæpius albo in rubrum, rubro rariùs in al-

bum

bum degenerante. Indici floris è violaceo nigricantis tuber terreno in vase ad binos tornosve digitos depressum, & mediocri solo adobrutum lætius provenit, sole gaudet, frigore contristatur. Flos Indicus è violaceo fuscus.

Anemones cultura.

CAPVT XI.

ANemone latifolia, utpote existere, florere, ac soboleſcere contumacior, quàm quæ tenui folio est, maturiùs, nempe triduo ante plenam Septembris lunam seritur. At verò tenuiore folio anemones, hieme præflorentis, ac præmaturè defloreſcentis, aut sæpe etiam à frigore abortivæ sationem Octobri menſe tempestivam in primis esse, diuturna docuit experientia. Quin etiam violacea, atque albo rubroque picturata, qnippe quæ vernare præfestinant, Novembri menſe utiliùs inhumantur; ut clementiore veris tempestate seriùs quidem, at pulchriùs effloreſcant. Utranque tum tenui, tum lato folio anemonen ad radicis diligentiorem tutelam, ad uberiorem & sobolis & florum proventum, in fictilibus deponimus: cribrariæ quoque olerum terræ præscripta superiùs ratione committimus. Ea tamen in primis placet ponendæ anemones forma, quàm Tranquillus Romaulus, Romanæ amœnitatis

Anemones lato ac tenui folio serendæ tempus.

Locus.

Terra.

Modus. Tranquillus Romaulus.

nitatis cultor & propagator eximius, feliciſſimè uſurpat. Is enim vetuſtiſſimum fimum, qui penitùs in terrm abierit, pinguem, levem, ac probè maceratam, nec malè olentem, nec igneo halitu vaporantem prætenui cribro ſuccernit ſubſternitque in fictilibus: ipſas inſuper radices ad craſſitudinem duum digitorum macra tenuique humo circuntegit: cribrarium denique ejuſdem generis fimum ſuperingerit; ut & contigui ſoli frigida macritudo ſtercorarium, nempe humidum calorem ex facili corrumpentem à turgeſcentibus radicibus diſtineat ac temperet, & remotioris fimi maximè alibilis pinguitudo radicum aviditatem per exporrectas fibras expleat & fœcundet. Illa denique anemonen feliciter educabit, & liberaliter amplificabit humus, quam (ſicut in tuliparum cultura, præmonui) pluvia in proclive decurrens, utpote leviorem mollioremque, devexerit. Neque verò una eademque radicum omnium debet eſſe collocatio & ſitus. Nam quæ ab omni vitio innoxiæ ſunt, ſupinis oculis pronoque ventre ſtatuuntur; quòd magnam terreni humoris vim cæleſti calore extenuati elatique integris viribus validè trahant, ac pulchrè concoquant in abſolutum ſui alimentum incrementumque, atque adeo in tuberculorum florumque ſobolem numeroſam. Lingulæ autem, ſumma parte oculatæ, non directò deorſum, neque in latera, ſed latiorem in partem,

Collocatio.

quæ

quæ tamen oculum deorsum non invertat, leviter inclinatæ collocantur. Etenim, si, qua sunt parte latiores, humi nonnihil pronæ insideant, plus è terra vitalis genitalisque succi recto itinere transfusi exugunt & combibunt: ex quo fit, ut ad vitam fœcunditatemque & enutriantur, & convalescant. Is autem succus calida vi evectus, nisi radicum latas offenderet moras, magna sui parte per tenuissimos terræ meatus inutilis evanesceret. Cur igitur (dicat aliquis) non præstiterit anemonarum linguias æqualiter humi fusas jacentesque deponere, ut quò largiùs, eò fœcundiùs humescant? Equidem istam esse ajo ejusmodi radicibus incommodam & noxiam posituram: quia ubertim haustum humidum nutrimentum in floream luxuriem digeri satis effundique non potest ex oculis in transversum jacentibus, qui supinum exigunt situm, ut sursum versùm amore solis adnitentia germina feliciter profundant. Quamobrem ut homines, sic plantæ, ipso, quod non perficiunt, alimonio necantur. Quòd si subsectarum radicum ima pars defecto vitio cicatricosa sit; non debet omnino recta, sed quadantenus obliqua deponi. Etenim vulnere læsa, atque etiam semimortua vitalem vim non habet ad uberem terræ humorem concoquendum, qui, cum semper in sublime feratur, à sole vaporatus, iis præsertim, quæ habitu sunt imbecillo

lo maloque, corruptionis origo est. At verò humi acclivis non corrumpitur portio vulnerata: quia plurimus, qui rectà sustollitur, vapor inoffenso transitu per soli spiramenta transmittitur; parcior autem, quique ab infirma ægrotaque radice in alituram fœturamque digeri possit, sensim atque innocenter eidem sese insinuat. Mirificè quoque convalescet & proficiet anemone, sive ætate, sive morbo imbecilla, si fictilium cretæ coctili contigua inhumetur. Intervallū. Quæ justum cepit incrementum, in palmari seritur intervallo, & in quaternos digitos demittitur: quia, summo paulatim solo subsidente, in trium digitorum congruentem altitudinem decrescit altior demissio. Minusculæ radices minore altitudinis intervallique mensura disponuntur. Aprication. Solem omnes quærunt, præcipuè hibernum, quo floreos ad partus incalescunt. Loci positio. Spatiosum quoque cubile, apertamque loci positionem, & liberum cælum postulant: quòd hæ complurium dissimiles plantarum & multis in latitudinem fibris capillantur, & humilem foliorum silvam latissimè spargunt. Quòd si præfocantibus loci angustiis in sublime nitentia, atque officiente opacitate solem quærentia folia valde sustollant; emaciatos, abortivos, rarosque flosculos dabunt: proceriſſimos verò cauliculos mordentia frigora succident, everberantia flamina prosternent;

nent; quibus cauliculis brevi arescentibus, radices ipsæ notabilem noxam concipient. Quanquam autem frigidas hiemes non reformidant anemonæ; siquando tamen bruma præter morem nivalis & prægelida sæviat, non abre fuerit in locum ab aquilonio frigore aversum, unique solis tepori patentem consita vasa tantisper recipere, dum glacialem rigorem clementior aura regelaverit. Rigatio ministrabitur eo, quem superiùs tradidi, more; cum tellus minimè nigrabit, sed solutior pulverabitur. Horæ rigandi matutina hieme, vespertina vere. Cæterùm, etsi mobilium testarum tutioribus in pulvinis molles anemonarum plerunque radiculæ deponuntur, non rarò tamen, quæ præsertim robustiore sunt habitu, bulbis intersitæ sic digeruntur; ut illi medias, extremas hæ areas atque angulos occupent, ne folioſiore bulborum nemore obruantur: ut certè per anguſtiores hortorum oras, & veluti fascias, quæ cæteras ambiunt ac definiunt areolas, sic seorsum tribuuntur; ut cujusque generis singulæ, binæ, ternæ, aut quaternæ, alia discoloris floris radice distinctæ, colorati discriminis ordinata serie interiorem hortensem amœnitatem elegantissimè coronent. Diuturno autem experimento comperimus, anemonas humida hieme in fictilibus, sicca in areolis meliùs provenire: quia superfluentem pluviæ hiemis humorem fictilia facilè transmittunt, atque intra tectum

Tutamentum.

Rigatio.

Locus in areolis.

subdu-

ſubducta, ſeu tantùm acclinata nimium imbrem declinant; areolæ verò per ſicca etiam frigora propter laxiorem profundioremque humum ſatis hument. In areolis poſitæ anemonæ olitoriam itidem terram, exiliorem tamen minuſque minutam, quàm in fictilibus humatæ, deſiderant. Ad binos digitos demerguntur; palmari ſpatio diſtinentur. Præcipitis impetu imbris nudatæ iterum ac diligenter adobruuntur. Quoniam verò radices eædem frigoris humoriſque temperiem requirunt; idcirco definientibus areolas laterculis proximæ & prope contiguæ utiliter aſſeruntur. Placet nonnemini fugacis quà nominis, quà floris anemonas, quippe quæ ventum ſonant, ac vento facilè difflantur, toto anno vernare. Idcirco radices illarum quotquot menſibus obruit, foliiſque fibriſque poſtmodum arefactis, eruit: atque, ut annuæ tempeſtivitatis conſtantes vices cuſtodiat, quo menſe radicem unamquanque ſemel ſeverit, eodem ſemper in poſterum referit. Verùm authore me nemo iſtud aſſiduum ver à delicatis radicibus extorqueat: quòd præpoſtero, atque intempeſtivo ſatu ſæpe abortiuntur; ac ſæpius etiam, ſuas violari leges indignante natura, non pariunt, ſed pereunt. Solent minutim confertimque ocellatæ radices, ejus præſertim anemones, quæ Perſicæ arboris flori concolor ſubrubet, aut quæ ſordido pallore albicat, in denſiſſimam folio-

Satio crebrior noxia.

Sterilitas emendanda.

rum

rum ſilvulam, ſine floribus inamœnam evireſcere. Sic nimirum ſperata mortalibus felicitas ipſo frequenter flore fraudatur. Quærenti quid ſit, cur folia pro floribus exeant, hanc habeo ſubjiciendam cauſam, quòd illiuſmodi radicum oculi ſpiſſa genitura indiſtincti conglobatique nequeunt fertili terræ complexu commodè foveri, puriorem-que ſuccum exugere, quem efferant in flores. Quare, quæ craſſiori alimento congruat, fuſca foliorum viriditate ſilveſcunt. Sic igitur haſce radices ad bonam florum frugem revocato. Confertos oculos dejungito, ut efficacem ſinguli fundendis floribus tenuem humorem trahant. Seriſſimè ſerito, ut, qui ſolis acceſſu jam probè concoctus attenuatus eſt, terræ ſuccus ſeſe faciliùs in radices inſinuet, atque inde in flores egerminet. Illud autem in ea, quæ lato eſt folio, anemona peculiare ac mirabile monſtrum ſæpe viſitur, ut ex eadem radice flores tum folioſi, tum ſimplici foliorum orbe degeneres exiſtant. Abortus iſtius origo eſt ipſa radix multorum incommodè fertilis oculorum. Genitalis enim ſuccus & vigor, dum in plures latè oculos diſſipatur, in ſingulis parcus & invalidus frequenter in abortivum & mancum germen evaneſcit. Qui verò numeroſa foliorum ſerie confertiſſimos fundit oculus flores, hic & plus elicit humoris, & ea tenacitate pollet, quæ vim incluſam, floris feracem,

Abortus impediendus.

aliò

aliò distrahi non patiatur. Quamobrem idem & circunligante pediculum filo præsignandus, & ă cæteris deinde ad optimam sationem dejungendus est. Hieme præproperæ degeneri plerunque abortu orientur anemonæ. Quare, si quæ macie tenuatæ exuctæq; appareant, solo tenus amputabuntur; ut retardata fœcunditas tempestivos absolutosque in partus vegetior erumpat. Neque verò expedit in floream fœturam exhauriri delassarique radices: sed ultra duodenos fœtus attondenda luxuries est. Flores forficulis utiliùs succiduntur, quàm ungue demetantur: quia ipse demetendi nisus radicem solo leviter hærentem sæpe revellit, aut luxat. Quotannis, aut altero quoque ad summum anno distrahendæ sobolis ergo emeritæ radices refodiuntur: aggerato interim solo ab æstivis fervoribus, pluviisque vindicantur; eoque post imbres autumni primores subducto exonerantur. Quanquam æstatis caloribus imbribusque defendendis cumulatim aggeratum solum areolis quidem peropportunum, at fictilibus prope irritum munimentum est. In angustiora enim atque extantia fictilia nimius & calor, & humor se penetrant. Unum ergo potissimum tutamentum est recessus. Quapropter, ubi consitæ jam testæ defloruerunt, in locum recipiantur solis radiis, humorique pluvio subductum, animabili tamen ac spirabili elemento pervium apertumque, & salubri aura perflabilem.

Luxuries coercenda.

Exemptio, & custodia.

lem. Id enim temporis ab æstivo ardore quà foliis exuctis exustisque, quà subeunte ad eadem folia humido alimento, in parentum sinus refuso repulsoque, radices quàm maximè humescentes inferveſcere atque interire periclitantur. Quas effodi non placet, Septembri menſe ſuperinjecta digitum alta pinguior humus refovebit. Extremo Junio cum concreto & cohærente ſolo fibriſque refoſſæ ſicca in cella reponuntur: diebus octo exa- Diviſio.
ctis tempeſtivè repurgantur, adnatæque ſoboles, utpote à recenti terræ complexu tenerrimæ, faciliùs dividuntur, quàm cum arefactæ penitùs obduruerunt. Ad hæc teneriorum vulnus contra vitium tabemque occalleſcit; aridarum plaga neque callum, neque cicatricem ducit. Diſſociabiles aptè concinnéque culter intercidet. Iſta verò cura & procuratio anticipata atque præpropera vixdum erutis noceret. Ex humentibus quippe terræ latebris in lucem caloremque remiſſæ rugarent; rugiſque novo deinde ſatu diſtentis, aquoſo tabificoq; humore turgeſcerent. Neque verò plures in partes comminui radicem ullam expedit, niſi facilè dividua ſit. Illud ergo cuſtodiendum eſt, ut nati circùm vetulam parentem oculi, qui vix hæreant, detrahantur; intacti maneant, qui tenaciùs copulentur, ne magno vulnere divulſi vitium exitiumque concipiant. Solet etiam anemones ima radix, ubi Caries eradenda.
ſatis adolevit atque conſenuit, exedi carie, ſituque mar-

marceſcere. Senile hoc vitium impacto talitro exploretur. Etenim, ſi ex ſonitu exeſa, lacunoſa, & vacua radix deprehendatur, ad vivum uſque ſic ferro morbus eradendus eſt, ut cava radicis æquentur; ne lacunæ humore oppletæ reliquam vitient integritatem. Quod enim ſinceri ſupereſt circa repurgatum foramen, effœta & ferme exhauſta genitali facultate, priùs putreſcit obrutum, quàm comprehendat: aut certè minutilis editis foliis, vel ad floreum partum omnino ſterileſcit, vel abortat. At verò ſi putre cavum æquali vulnere ad vivum præſecatur, integra pars reliqua ritè conſita in bene compactos flores, numeroſaſque radiculas geminæ fœcunditatis miraculo luxuriabit. Nec inutile fuerit præſectas ipſas reliquias, rectè deterſas, cum ejuſdem notæ radicibus conſerendas reſervare. Nam fieri poterit, ut refectis viribus aliquæ ad florum fœturam uberrimam revaleſcant. Poſtquam verò ſalubriter vulnerata radix inaruit; terebinthina reſina ceraque commiſtis debent adversùs corruptionem illini humoris noxii bibulæ cicatrices. Verùm ſi qua radicum ita vitioſa fuerit, ut æqualiter reſecari ſine magno integrarum partium, adnatorumque oculorum vulnere ac detrimento nequeat; carioſum foramen curioſè cultro expurgetur: arefactæ jam radicis lacuna prædicto reſinatæ ceræ medicamento ſaturetur: in gracili tandem ſolo eadem conſeratur. Parem ſoli gracilitatem

tem ob eam ipsam causam quærunt radices, quæ, licet incorruptæ sint, senio tamen laborant. Dis- Semen tempestivè colligendum & serendum.
color & planè admirabilis anemonarum varietas jacto semine comparatur. Semen optimum inter anemonas latifolias, quæ folioſior floret, plerunque dabit. Ex iis verò, quæ tenui folio sunt, simplici flore vernantes solæ feliciterque sementant: earum enim semen in flores nonnunquam degenerat colore varios, foliisque multiplices. Geminam ex ejusmodi satu anemonen insignitè conspicuam nuper suscepit Joannes Baptista Mar- Ioan. Baptista Martellettus.
tellettus, qui Janiculi montem cognomento Aureum cultissimis hortis nitidiorem facit. Altera oriunda è pallido flosculo rubris maculis guttato paleæ pallorem suavi rubore virgatum circunfusis explicat in foliis, eundemque densa surrigit in coma. Candidam alteram purpureis unguibus bicolorem, duplicique lacinioso apice tum xerampelino humiliùs, tum subrubente celsiùs cristatam mater peperit filiæ quidem concolor, at simplici foliorum ornatu ignobilis. Meridianis horis tempestivè legetur, dehiscente jam lanuginoso globulo, ficciſſimum semen cum exiguo cauliculi, ut meliùs matureſcat. Rectè spargitur vel Augusto mense, ubi jam Leonem lustravit sol; hoc enim anticipato satu intra octo menses properus plerunque flos indolem præmonstrabit: vel certè duodecima Septembris luna, nempe ea die, quæ tri-

duo plenilunium antecedit. Sic autem deponitur. Præpinguis, levis, maceratique soli cribraria farina in fictili catino substernitur. Super eadem lanuginosi seminis congeries tenuiter latéque explicata digeritur ; aut certè utiliùs eadem ante sationem cum prætenui solo in aveolo, vel in patina confunditur & permiscetur, donec, invicem discretis penitusque cum terra confusis minutis seminibus, unus & unicolor terræ acervus appareat: ea deinde mistura rarissimè differitur. Ejusdem generis solum supercernitur cultri crassitudine. Binæ, ternæve matutini solis horæ, dum exeat in herbulam semen, indulgentur. Aquulæ præterea minutum ac lene stillicidium identidem irroratur, ne leviter obruta sementis guttis grandioribus denudetur. Hæc autem usque adeo ministrabitur irrigatio, quoad singulis è seminiis terna folia exierint ; quibus pro incremento humus eadem angustissimo incerniculo transmissa inspergetur, donec digitali radices altitudine obruantur. Cæterùm, ne hibernis algoribus nocturnisque gelicidiis inflata & fermentescens terra summo tenus solo depressas, & raris brevibusque fibris inhærentes radiculas suspendat, ac regerat in apertum, ejectasque dispendat, ipsis consitum vas apricissimo loco, qui gelida tepeat hieme, statuetur. Ubi folia inaruerint, à pluvia & sole intra frigidam porticum revocabitur. Nec ante medium Septembrem cædem radiculæ

diculæ refodientur, ne ſolis halitu exuctæ ac retor-ridæ diſpereant. Mox adultiores ſeparatim humi deponentur; minuſculæ in catillis humabuntur. Sic tum probabili flore eligendæ, tum degeneri rejiciendæ internoſcentur:

Ranunculi cultura.

CAPVT XII.

RAnunculus Byzantius, ſive Aſiaticus, radice in grumulos coagmentata veluti multipes (hic enim præcipuè in hortis colitur) antequam terram ſubeat, natare vult, donec per ſolidas quatuor & viginti horas frigida inſuccatus & præmollitus ad facile germen intumeſcat: ut in humore terraque vivax rana in florem tranſiiſſe, nec tamen indolem nomenque amiſiſſe videatur. Septembri menſe ante plenam lunam triduo intercedente conſeritur. Ex hominis reſoluto fimo concreta humo præpingui humidaque nutritur. Summa tellure lætatur in binos digitos demittendus, anguſto intervallo in quaternos ternoſve diſponendus. Diverſi generis floribus inſociabilis ſolitario ſatu deponitur: aſſitos enim igneo frequenter veneno exurit & enecat. Primò expetit ſolem, qui florem ardentiſſimè coloret; deinde umbram, quæ diutius eundem tueatur. Ea

Ranunculus radicu-lis in gru-mum acer-vatis.

re commodiùs in fictili deponitur. Siquando irriguam aquam in ſicco ſitiat, adaquandus: ſiquando familiari ranís inconſtantia exiliat, aggeſto ſolo tegendus eſt. Ut primùm folia cauleſque inaruerunt, effodi ſtatim debet; quòd æſtivis tum imbribus humoris avidus profilit è terra, tum fervoribus retorreſcit & corrumpitur. Hujus perſimiles acervatis in grumum radiculis, at ſimplici flore diſpares ranunculos in olerum terra pinguiore à ſole nonnihil averſos ita obrues, ut eadem binis digitis altè ſuperveniat, quaternis intercedat: quotannis erues, ac ſuperioris inſtar cuſtodies: ut citra ſpem folioſi floris colore degenerent, ſemine ſeres. Qui rutæ folio viret, folioſoque flore flaveſcit ranunculus, quærit vas fictile, bonam olerum terram, apricam poſitionem, digitorum in ſatu duum altitudinem, trium intercapedinem. Radice molli nudaque cum ſit, diu inobrutus noxæ obnoxius eſt. Septembri menſe eruitur, &, ſobole ſubtracta, reſeritur. Quare ubi foliorum viror exaruit, frigidum in locum recipitur, ac Sextilis menſis imbribus, ne novas citet fibras, ſubducitur: aut certè utiliùs amiſſis foliis ſtatim effoſſus, iterumque conſitus in averſo ab æſtivi ſideris radiis angulo deliteſcit; ut æſtatis imbres, fibrarum illices, in eundem bellè depoſitum innocenter, atque adeo ſalubriter incidant. Non abſimilem cultum deſiderat nemorenſis fibrata radice, alboque

Flavus multiplex folio rutæ.

Fibratus flore pleno candido.

que flore multiplici Ranunculus. Terra enim pariter olitoria humectaque, vaſe fictili, duum digitorum depreſſione, poſtamiſſa demum folia ſubdiali opacitate lætatur: mediocri verò apricatione contentus eſt; nec extrahi vult, niſi ad ſobolem ſecernendam, ineunte autumno, ſtatimque adobrui poſtulat, diſcretis paſſiſque capillaceis fibris; quemadmodum Iridem Cluſii priorem ſerendam eſſe monſtravimus, & Pæoniam deponendam pluribus trademus. Glomerato quoque flore globoſus exigit in bona riguaque olerum terra, & poſitu mediocriter aprico, nullo teſtæ vel areolæ diſcrimine, minutum fibrarum capillitium diffundi: radicis oculum in digiti altitudinem demitti, ut is deinde conſpicuus à terra extet: nunquam refodi, niſi cum fœtus numeroſior à matre fuerit ſeparandus: extrema hieme ſimul effodi, ſimul inhumari. Tuberoſus in quaternos digitos deprimendus, & palmi dimidio intervacante diſtinendus: ejuſdem ſoli bonitate, ſolis mediocritate aſſiduoque terræ latibulo gaudet, præterquam ſi adultiorem à parente prolem abjungere opus ſit. In hanc opportunitatem exitu Auguſti refoſſum tuber illico recondatur.

Globoſus.

Tuberoſus.

Asphodeli, Pæoniæ, Lilii convallium, & Iucæ Indicæ cultura.

CAPVT XIII.

Asphodelus.

ASphodelo tres altè digitos deponendo, palmarique mensura sejungendo attribuunt solum pingue, humectumque, ac modicè apricum: alternis quoque annis eximunt, quò adnatam sobolem subducant. Ex opacis montibus silvisque accita medicatissima Poænia subluſtrem opacitatem amat. In olerum pinguiore humidoque solo defoditur, ipsius radicis oculis ternos tantùm in digitos depressis, triumque circiter palmorum quoquoversus interstitio relicto. Transplatione non gaudet, præterquam tertio quoque anno, cum subterranea radicosorum oculorum sobole, conspicuoque ramosorum foliorum nemore partes in omnes nimia diffunditur. Si quando igitur eam refodi transferrique oporteat, Novembri extremo id fiat: quia, cum fibras nondum egerit novellas, exempta non læditur. Citra vulnus fracturamve diligenter eruta plures in plantas sic dividitur, sic divisa repangitur. Quoniam præcrassa radicis crura multiplici dubioque flexu implicat; intra magnam aquæ vim perbene priùs agitatur ac diluitur

Pæonia. *Plin. l. 25. c. 5. & l. 27 c. 10.*

luitur, ut, hærentis terræ deterſis ſordibus, deprehenſi facilè nexus extricentur, aptiorque ſecturæ locus diſpiciatur. Ad hæc ipſum radicis caput in oculos ternos quaternoſve, aut etiam ſingulos cultro conciditur: in excavato ſcrobe medius congeſti ſoli turbinatus cumulus excitatur: eidem radix ita imponitur, ut oculi ternos in digitos ſubſidant, crura verò per excitati monticuli ambitum bellè divaricentur; quia, ſi mutuo implexu inter ſe contingerent, minus è terra pabuli haurirent, facilique negotio corrumperentur. Admoto demum ſolo eadem circuntegitur, utque illud arctiùs hæreat, etiam irrigatione juvatur. Fortè divulſi balani depangi debent; quia juſtam ſoboleſcent in radicem. Lilia convallium geniculatis internodiis conſertè contextéque colligata & cohærentia in ipſo ſatu non extricamus atque diſtrahimus: ſed à materno cæſpite oculis confertiſſima, & radicum nexu ferè inextricabili catenata cultro diſcindimus: menſe Novembri, aut etiam Decembri non amplius tres digitos obruta in pinguibus umbroſiſque ſtatuimus, ne videlicet patrias convalles mutaſſe videantur: irriguam ſiticuloſis aquam miniſtramus: vix unquam loco movemus; quia in anguſto ſpatioſè uberriméque florent. Summam prædictis menſibus per annos ſingulos effœtam humũ cautè ſcalpendo ſubducimus, recentem aggeramus; quia numeroſo fœtu denſiſſimè propagata proſiliunt. Juca Indica

Liliumconvallium.

Iuca.

ad noſtratis oleris altricem, validam humum libentiſſimè divertit: noſtra frigora tolerat: apricitate etiam lætatur: infœcunda ſeminis adnatis oculis ſeſe propagat, ut arundo; ſimilique cultu ſata digitali ſolo tegitur, ſubinde altioris aggeſtu ſoli, prout exiget uſus, obruenda. Ea propter quatuor à ſummo ſcrobe digitos primò depacta diſtabit. Verna temperies hæredibus à matre vulſis proſperè tranſponendis tempeſtiva eſt. In fictilibus poſiti maturiùs adoleſcunt, ſervanturque curatiùs. Modico per æſtatem tum ſole, tum humore proficiunt. Poſſunt autem jam ſatis adulti è fictilibus in hortenſes pulvinos cum ſuo cæſpite differri. Sed matrem ac ſobolem areolis inhumatas tranſmovere non expedit.

Trachelii Americani, Lychnidis Byzantinæ, aliarumque conſimilium herbarum cultura.

CAPVT XIV.

Trachelium Americanũ.

AMericanum indolis molliſſimæ trachelium declinandæ multiplici noxæ idoneam teſtam deſiderat. In olerum bono, bene macerato, & nequaquam verminante ſolo proficit: ab erucis enim & limacibus ob teneritudinem avidè appetitur. Frigoris tolerans tepido cautiùs loco hiemare debet. Caloris peramans irriguam aquam ſitire non debet. Annua tranſlatione peren-

perennat: quia denſiùs ſoboleſcens, niſi ſæpe rarefiat ac differatur, ipſum ſeſe opprimit & marceſcit. Februario menſe, aut primo vere tutò tranſponitur, & ſobole ſeritur; cum ſcilicet, hiberno frigore coërcita florea luxurie, maxima incrementa vireſque cepit materna radix, adnatique pulli, matris ubere ſaginati, complexuque defenſi validè convaluerunt. Avulſi oculi paſſis, ut uberius alimentum trahant, fibris in binos digitos, ſive ſummo virore tenus demerguntur: illico irrigantur, ut ſolum adhæreſcat; & proferuntur in ſolem. Id enim plantæ genus opaco averſoque à radiis loco facilè putreſcit. Sed, ne delicatum floſculorum ver ab æſtu præmaturè defloreſcat, à diuturna inſolatione avertatur. Semen aviti coloris in flore tenax citra ſpem jacitur varietatis. Eodem propemodum cultu Lychnis Byzantina teſtæ commititur. Hoc autem diſtat, quòd reſecta radicis portione ternis quaterniſve minimùm fibris crinita propagatur: cum Americani Trachelii fœtus à matre ſine vulnere ſeparetur. Terram pinguem, tempeſtivam irrigationem, tepida & ab Aquilone averſa quærit hibernacula. Editiore in loco vegeta viriditate juveneſcit, ac diu vivit; in imo pallida ſeneſcit, brevique interit. Ubi florum pila prope jam globata ex toto eſt, à ſole diſtinetur; ut floreus fructus & voluptas diuturnior ſit. Cum ſitit, irrigatur. Plures in plantas diſpertita ita differtur.

Lychnis Byzantina.

fertur. Ineunte vere ocelli cum radicis particula sejunguntur, atque ad virentis usque germinis initium inhumantur. Cæterùm, ut feliciſſimè soboles proveniat, novellus oculus cum exigua materni corporis portione, quamvis non fibrata, revellitur: dimidio germinis defoſſo, vulſuræ plaga vaſis lateri applicatur: invulneratæ parti ſolum bellè apprimitur. Ita radix celeriter comprehendit, ac ſpecioſam in plantam feliciter adoleſcit.

Fibratæ plantæ. Auricula urſi, atque Lichen ſive Hepatica multiformi genere conſpicuæ, aliæque hujuſmodi fibratæ gelidiſſimi Septentrionis plantæ bono licet in ſolo apud nos minùs incommodè hoſpitentur, vitales tamen non ſunt; quia frigoris peramantes noſtro tepore triſtantur & contabeſcunt. Noſtrates verò, quarum pleræque ſemine conſeruntur, per æſtum florentes herbæ pinguibus, riguis, apriciſque delectantur.

Caryophyllorum cultura.

CAPUT XV.

Caryophilli ſatio duplex. CAryophyllus vernaculus & ſemine & ſurculo ſeritur. Ad optimam fœturam bini circiter flores è magno numero in ſemen exire permittuntur. Maturitatis indicium eſt hiatus aridi folliculi, & ſeminis nigritia. Imum in unoquoque folliculo fœcunditate præſtat: id enim, pro-

propiore alimento liberaliter hausto, generosiùs majorem foliosi floris numerum procreabit. Ex albi caryophylli semine multiplex varietas provenire solet. Inter maculosos fuscis maculis distinctus utiliter sementat ad progignendos insolita decentium macularum varietate perpictos. Denique saturo colore fulvus pulchrè variéque degenerem, atque adeo candidam frequenter prolem seminat. Sementem autem non Octobri mense, sed collecto statim semine facies, ut intra annum florem legas. Ut autem prodigiosè foliosis ac peramplis floribus abundes, quartadecima luna caryophyllum, Zephyro aspirante, seminabis. Quòd si genitalis & felix aura prædictam proximi mensis diem non sospitet; satio erit procrastinanda, dum fertilis ventulus incidat in alterius mensis similem diem. Semen fictili catino, præpingui minutimque succreta terra instrato, committes: in digiti dimidium demittes: loco per æstatem mediocriter aprico statues, qui ternis tantùm matutinis horis insoletur: crebrò irrigabis. Ita intra dies octo primulam viriditatem citabit. Ubi quaterna foliola emiserit, diuturnum promovebis in solem: ut frequenti humus irrigatione semper humeat, curabis: exitu Octobris teneras plantas differes. Ita proxima flos æstate properabit. Idem præterea caryophyllus avulsione felicissimè conseritur. Avulsi enim ab radice pulluli, sive ramuli, vetustam partem aliquam

Serendi tempus.

Educatio.

Propagatio per surculos.

è ma-

è matris corpore referentes, & rite depacti, licet à materno colore vultuque non degenerent, nec æquè, ac ſemine conſiti, florea ſegete luxurient; hæreditariæ tamen pulchritudinis certiſſima laude probabilis varietatis incerta decora rependunt. Quarto nonas Octobris, caryophyllorum ſurculos, tanquam certò comprehenſuros, depangere muliercularum cultura eſt: hordei verò ſemina, tanquam alienas fibras inſito humore citatura, ſubſternere ſupervacanea liberalitas. Feliciter panguntur à menſe Februario ad medium uſque Martium, nempe ſub ipſum germinandi tempus. Decacuminatis foliis ſummatim attonſi, fictilium lateribus contiguo compreſſoque ſatu applicati, atque ita depreſſi, ut oculi emineant, fideliùs comprehendunt. Non eſt, cur ima pars intorqueatur; aut bini ponendæ ſobolis extremi vetuſtique cum intercepto internodio articuli cultro diffindantur. ſed utiliùs ultimum geniculum circulatim medium diſſecatur, aridæque foliorum exuviæ detrahuntur. Terra congruit nonnihil effœta. Situs requiritur apertus, nec tamen apricus ad vicenos tricenoſve dies; atque uſque eò, dum media foliola incipiant adoleſcere: tunc enim apricatio aſſidua indulgetur. Utque inter diuturni ſolis incendia illæſæ tenellæ plantæ proficiant, frequens humor affunditur. Ita eædem exitu feliciore, quàm ſi Octobri menſe poſitæ fuiſſent,

ino-

inoleſcent, ac florem inducent. Eximiæ indolis caryophyllum nactus ita curabis. Ubi annus algere incipit, totum cæſpitem è prono fictili leviter concuſſo demiſſum eximes: tum implicitas terræ fibras extremas in duum digitorum craſſitudinem circuncides; cavebiſque diligenter, ne cohærentis glebæ pila comminuatur, neve intercidat. Glareolis deinde rite obſtructo fictilis imo foramine, unum alterumve digitum altam mediocrem terram ſubſternes: ad quaternos quinoſve digitos bubulum aut vaccinum ſanguinem ſuperfundes: trium digitorum exile ſolum adjunges: circuntonſum denique cæſpitem impones, humoque pingui reliquam inanitatem explebis: in ſolem proferes: ut uſus veniet, adaquabis. Verùm, ſæviente jam brumali algore, in vaſe peramplo gallinaceum aut columbinum fimum aqua bene macerabis: eo medicato liquore conſitum fictile rigabis. Ita, licet ſub hujus cæli clementia caryophyllus hiberno frigore non admodum infeſtetur, magna tamen eidem hoc fiet cultu vigoris & fœcunditatis acceſſio, ut folioſiores vegetioreſque flores eliciantur. Exacta jam hieme vulgarem aquam affundes, ubi devexior dies deferbuit; ne cum irriguo per æſtum efferveſcente humore radix pariter inferveſcat. Ut aſſiduo grandioriq; caryophyllo vernet annus, complures eodem tempore calyces dehiſcere non patieris; ſed, ſummis & primoribus relictis, detergebis adnatos.

Cura.

Florea continuatio.

Ut

Ut hibernis floribus abundes, æstiva, dum calyculos inducunt, germina præcerpes: sic enim nova, quæ trudentur, seram maturitatem ad hiemem usque retardabunt. Quin etiam frigidioris oræ coloni consitas testas aut lætamine munitas, aut in loca tuta receptas ab iniuriâ gelantis anni asserunt: vbi verò tepidiore tempestate conserenavit, in apricum revocant: ubi nubilavit, aquis cælestibus exponunt. Ne pinguioris terræ lætitia, uberiorisque pabuli sagina tam lautè cultos dirumpat flores; cum satis turgidos calyces intra biduum oscitaturos animadvertes, lineo filo bis terve circunducto medios religabis: ac denticulatum osculum levibus æqualibusque incisuris librario scalpello factis laxabis; videbisque ad voluptarium prodigium profuisse vulnera, ut è calycum singulorum tubulis totidem quasi florea nemora extitisse videantur. Illud autem in primis custodiendum est, ut hæc sæpius planta deplantetur, putrique senio amputato transponatur. Translatione enim mirificè proficit & perennat: diutius relicta & reses folio silvescit, flore minuitur, odore degenerat. Debent ad hæc, ubi defloruerunt, nuduli cauliculi plerique imo tenus geniculo succidi, paucis admodum relictis; qui geniculatim & subinde floreant; dum attonsi & recalvastri ramuli nova germinantium foliorum juventute repubescunt. Eadem utiliùs planta inter fictilis angustias alitur, quàm in area paten-

Alligatura, & incisio.

Translatio.

Putatio.

Locus sativus.

patentiore: quòd in hac aut largioris alimenti nimia ſatietate dirupti calyces enormiter hiaſcunt, aut neſcio quo loci tædio flores maceſcunt. Solis, quem unicè amat, largior copia facienda eſt; niſi tamen æſtivis floribus vernet. Tunc enim vel tecto, vel inumbrante velo, vel ſubducto radiis loco fervidior apricitas defendi debet: ne florea ſeges, verſicolori amœnitati nata, vehementi ardore præuſta miſerè flaveſcat. Inſolatio.

Granadillæ cultura.

CAPVT XVI.

OCcidentalis Indiæ miraculum, occidentis Dei cruciatibus floridum, Granadilla noſtrorum olerum pingui glebæ ſic inſuevit; ut inexpugnabili propagatione jam ubique luxuriet. Tres altè digitos toto corpore proſtrata deliteſcere vult; quia ex omnibus geniculis geniculata radix emittit. Solis atque humoris appetentiſſima eſt. Feliciùs pangitur radix junior; quia vernat vberiùs. Quam latiùs proſerpere nolumus, in fictili ſerimus. Ne per imum foramen clandeſtinum exitum inveniat, neve per poſticum fugitiva ſubjectum ſe penetret in ſolum; obſitam teſtam ſuper laterculum ſtatuimus: an captiva ſurreptitiam libertatem attentet, identidem exploramus:

mus: foras eminentem, jamque deprehensam servili more demutilamus. Ne vasis angustiore ergastulo elisa spatium quærat apertius; jam adultiorem diffusioremque plures partimur in plantas, separatim ac dispersim inhumandas. Emicanti jam germini è cancellatis funiculis, vel arundineo virgeove textu scansilis ansa præbenda est. Nisi enim divini funeris efferendi pulchrè ambitiosa hæc planta adminiculum habeat, quo in excelsum evadat; brevi parcoque germinatu veluti pudibunda sterilescit, humique latè procumbere, longéque proserpere dedignatur.

Gelsiminorum cultura.

CAPVT XVII.

Gelsiminũ agreste.

SUa est & agresti candidi floris gelsimino digna patritiis cultoribus, digna cultricibus curis amœnitas, ipso, quamvis fero, tum virore tum odore amabilis, nec inutilis. Ut enim sileam topiarias hortorum scenas hoc sequaci lentoque frutice speciosè textiles; siquis præterea velit eximium voluptatis fructum è vulgari flore colligere, virgas recentes, læves, teretes, digitum crassas, & bene fibratas vere, sive etiam autumno fictilibus infodiat: duobus digitis, nec amplius, è terra emi-

eminere paſſus ſupra imam gemmam recidat: in ſilvulam prope bipalmem jam adultos ramulos circuntondeat: regerminantem luxuriem frequenti cæſura coërceat. Proveniet enim, ut pila tonſilis denſiſſimam viriditatem ferè denſioris floris odorato candore formosè conveſtiens cum ſplendidas ædium, tum lautas conviviorum delicias exhilaret. Eadem planta pingui ſolo pabulanda eſt, ac liberaliter adaquanda, aſſiduo etiam in ſole habenda; ne in materiam frondemque penitùs abſumatur. Mediocrem quærit apricationem ſilvarum gelſiminum flavum atque inodorum: reliquam culturam ſuperiori ſimilem deſiderat. Hiſpani ſeu Laletani gelſimini, quod à Catalonia vernaculum nomen obtinuit, nulla ſatio felicior, quàm inſitio. Silveſtris igitur novellas, nitidas, minimè ſcabras nodoſaſve, mediocrem digitum craſſas, & frequentibus fibris comoſiſſimas plantas mediæ magnitudinis fictilibus de more committito. Et quanquam ſunt, qui vix dum tranſlatum ſilveſtre gelſiminum inſerant; tu tamen annuo ſpatio cautiùs aleſcere & convaleſcere ſinito; aut, ſi libet, autumno tranſponito, ut ſemeſtri quiete ſatis virium recipiat, atque inſitione magiſtra celeriùs feritatem dediſcat. Menſe Martio luna decedente inſerito. Illud autem antiquiſſimum tibi ſit, ut ſilvatici ſtylum quam proximè imum nodum ſupernè præcidas. Ita enim inſitus ſurculus faci- Hiſpanum ſimplex.

liùs coaleſcet: quia omne virentis alimentum, quod quaſi quædam anima per medullam trunci, veluti per fiſtulam, naturali ſpiritu trahitur in ſummum, in ipſa nodorum denſitate diutius hærens atque conſiſtens augeſcit, nec anguſto meatu contineri facilis complures per oculos vehementiſſimas in materias exuberat. Quare uberiori ſucco proximum inſitum citiſſimè inoleſcere neceſſe eſt, ſi præſertim, ſubinde coërcita deterſaque ſilveſtrium germinum luxurie, in unum adoptivum ſurculum fertilis humor tranſcurrere atque confluere cogatur. Ubi quintam gemmam truſerint germina, decacuminanda ſunt, denſiore ut ramulorum filvula, plus florum inductura, fruticentur. Alternis minimùm annis ineunte vere ſolidus cæſpes debet eximi è teſta, idemque ad binos digitos cultro circunſectus pinguiore humo adjecta ſuum in vas reſtitui. Quotannis primo itidem vere ipſo tenus inſitionis capite id fruticis anguſtè deputatur. Nam, ſi virgæ ſic præcidantur, ut unus alterve oculus relinquatur, rara paucis ex oculis flagella pullulabunt, maligno fœnore vernatura. Sin autem caput inſiti ſtrictiùs attondeatur; germinatu denſiſſimo utiliùs capillabitur, & perennabit. Non poſſum hìc eos in re florea ſatis callentes exiſtimare putatores, qui fruticem altiùs vulnerare metuentes ſic amputant, ut citra imam gemmam ramorum aliquid extare patiantur; quod aliquandiu,

dum

dum viret, nova in germina abiturum alimentum inutiliter avertit in ſeſe; ubi verò exaruit, viridiſſimam plantæ juventutem intermiſto ſenio inhoneſtat. Crebras idem frutex amat irrigationes. Orientem ſolem ſpectare mavult, quàm occidentem: alioqui florum ſterilis foliorum infelici feracitate luxuriabit. Æſtivis menſibus, ac Junio potiſſimùm Julioque non incommodè inoculatur. Atque hoc ſanè cultu fictilibus rite concreditur, & curatur. Sed elegantiùs multò virentia hortenſium parietum aulæa opere topiario prætexit, & numeroſis grandibuſque floribus jucundiùs diſtinguit. Hunc in uſum ſilveſtris gelſimini pleniores plantæ humi panguntur, quæ ſpatioſa in area largioribus ſatiatæ alimentis inſitivo è ſurculo productiſſimas citant virgas, prædicto putationis tempore parciùs amputandas, ut in propaginem ſubmittantur. Propagationum autem duo maximè genera ſunt in uſu: unum, quo editæ à matre virgæ ſulcis mandantur: alterum, quo mater ipſa proſternitur, atque in plures plantas per ſuas virgas dividitur. Sic igitur à matre virgæ deprimuntur in terram. Appetente vere ſecundùm matrem ſcrobes fiunt: in eoſdem virgæ proximè maternum caudicem modicè contortæ, ut radices faciliùs citent, atque arcuatim recurvatæ demittuntur: quaternis circiter adobrutis gemmis ſic retorquentur, & ſupra terram eriguntur, ut, cacuminibus defectis, una, aut

ut maximè altera gemma relinquatur. Ita recentes propagines quà radicis, quà telluris, geminarum nempe matrum ubere tutelaque pinguiter ac feliciter enutritæ ingens robur & vires capiunt: quin etiam inhumatæ renaſcuntur ex ſeſe; quæque modò filiæ fuerant, fiunt repentè matres. Circumacto anno actis jam radicibus à materna ſtirpe amputantur, &, quò libuerit, differuntur, ſuis jam viribus parituræ. Haſce tamen flori ferendo minùs utiles experimur: tum quia parcè florent, tum quia ocyſſimè evaneſcunt, utpote fibrarum penuria laborantes, gracilique corpore imbecillæ. Quare utilior eſt propagatio, qua (ſicut in vite fieri conſuevit) ipſa ſternitur mater, ut propagata ſoboles vberiore alimento vegetior aſſurgat; cum ſcilicet juxta imum fruticem ita, ne radicem lædamus, curiosè fodimus: ita in excavatum ſulcum leniter proſtratam matrem ſupplantamus, ne radicem eandem abrumpamus: cum deinde ex eo ſulco veluti ramoſas foſſas deducimus, per quas, uti quęque virga poſtulaverit, nonnihil intorta propagetur; atq; (ut paulò priùs docui) humo propagines, operimus, & ad unam alteramve extantem gemmam præcidimus. Ubi radicibus emiſſis virgæ comprehenderint, transferuntur. Quanquam hæ quoque minùs fertiles vivaceſque ſunt, quàm quæ ſilvatici gelſimini robuſtis radicibus adoptivæ inhęrent. Sativa hæc periſtromata orienti meliùs, quàm meridiano,

diano, vel occidenti ſoli advertuntur ; ut primæ lucis flos matutino candore ſimiles amico frutici floſculos appingat. Humor eidem irriguus ubertim affunditur : nives & gelicidia caventur. Quapropter hibernis menſibus in opertum obſita fictilia revocantur : plantæ verò ſubdiales canneis aut ſcirpeis tegetibus proteguntur. Par ejus cultio gelſimini, quod, ejuſdem generis cum ſit, duplici foliorum textura denſiùs floret. Quanquam propagatione atque inſitione ſæpe tentatus omnem elusit induſtriam, fortaſſe ut minore ſui copia, quò rarius, eò præclarius habeatur. Et hoc in fictilibus cautiùs cuſtoditur. Alterum gelſimini genus, quod lato Medicæ mali folio, folioſoque miræ ſuavitatis flore Alexandrinum, ſive Arabicum appellatur, præterquam quòd ſolo lætatur itidem pingui, multùm irriguo, aperto inſolatoque; frigoris & caloris adeo intolerans eſt, ut frequenter utroque peruſtum intereat. Quare in fictili obſeri debet, ut gelido anni tempore in opertis ac tepidis locis hibernet. Maturè, ubi primulo rigore inalgeſcit annus, recipitur in locum contectum eum quidem, non tamen undique præcluſum, ſed patentem & utiliter perflabilem, velut in porticum peramplam, quæ hibernum ſolem accipiat, & auſtrinis afflatibus latè oſcitet, impervia & impenetrabilis Aquiloni. Diuturnum verò periculum docuit, in occluſa cella repoſitum hunc fruticem foliorum defluvio non

Hiſpanum multiplex.

Arabicum.

ſine noxa calveſcere. Debet idem præterea cæteris gelſiminis ſeriùs vere jam adultiore in ſubdialem aream promoveri, atque, cum ſitiet, ita rigari, ne folia madeſcant: quia ſolent irriguis guttis, quaſi brumalibus pruinis, contacta dilabi. Per æſtivos tamen fervores minuta aſpergine, quam ſcopulæ irrorabunt, mirificè recreabuntur. Hoc iſti etiam convenit frutici cum ſuperiore, ut in ſilvaticum inſeratur: veruntamen, ligno, folio, & flore cum valde diſcrepet, difficiliùs coaleſcit. Paucis culturam colligam univerſam. In ipſa ſcabritia duritiaque novo more delicatus frutex ipſo, quo colitur, obſequio ſæpe læditur, & blanditiis necatur. In eo putando diſcordes putatores & ſententiis inter ſe, & ferro cum eodem digladiantur. Etenim verno (ut mos eſt) alii quotannis amputant in palmum. Nimis crudelem alii omnium annorum trucidationem rati, leviore tonſura ſumma tantùm cacumina diſtringunt. Alii, ſilvoſa denſitate interlucata, ramulos reliquos intactos relinquunt. Ab aliis deniq; duro tenus ramoſa teneritas reciditur. In re adeo controverſa & plena diſſenſionis meam equidem ſic interpono ſententiam. Nonnullam ſinguli, univerſam putationis diſciplinam complectuntur omnes. Primo alteroque ab inſitione anno inſitum anguſtè, imoque tenus oculo deputabitur: ſic enim ille fiet craſſior, & plures ex ſe, vehementioreſque ramos ejiciet; qui, cum inſtar quatuor

tuor digitorum erunt, Hiſpani more gelſimini nonnihil mutilabuntur, ut cum ipſi, tum maximè gemma craſſeſcat. Tertius annus palmares virgas in arbuſculæ ſpeciem indulgebit. Ita quotannis paulatim excitatus frutex in trium circiter palmorum altitudinem latitudinemque arboreſcere permittetur: atque hanc in poſterum ſtaturam annua putatio tuebitur. Quare gracilioribus, deorſum ſpectantibus, diſtortis, aridis, & ſupervacuis ramulis deciſis, puſillum arbuſculæ lucum collucabit: vegetos, nitidos, proceroſque relinquet, ubi prædictum exceſſerint modum, leviter attondendos. Ita fruticis incolumitati & pulchritudini, ſublata inutili ſobole, conſuletur, idoneique inſitioni ſurculi comparabuntur. Ad extremum ſtirpitus detrahetur, quæ ſolet ab ima ſtirpe identidem pullulare, matrem prælibans, mitibuſque ramis alimentum præripiens, ſilvatica progenies. Operoſiorem poſtulat culturam rubrum Americæ gelſiminum annuum, quod barbaro vocabulo Quamoclitum appellant. Moroſa naſci ſemina in aqua, & in ſole ipſam tepefaciente habentur eatenus, quoad præmollita turgeſcant: aut ſingula, aut bina in ſingulis fictilibus pingui humo repletis duos altè digitos demerguntur: ſol, & humor affatim indulgetur: ventus immodicus evitatur. De tempeſtivo ſatu diſſentiunt ſententiæ colonorum, aliis Junio menſe, maturiùs aliis, aliis verò ſeriùs ſerendum Americanũ.

dum esse firmantibus. Ego satis habebo non ignobilis cultoris prosperum cultum proponere. Hic ergo Majo aut Junio mense, lunaris curriculi quarta extremaque parte, bina seu terna semina conserit in fictilibus: quotidie meridiana irrigatione madefacit, & intra dies octo properato germinatu in lucem evocat. Ubi quatuor digitos à terra extiterint; unica in singulis testis relicta planta, reliquas cum adhærente solo in singula fictilia transducit, parique irrigat sedulitate. Sumit sibi deinde capaciora vasa, & aqua replet: consitas in hæc testas undique potaturas immittit: humoris exhausti damnum crebro rependit infusu. At si exuperans æstus humum arefecerit, irrorato manibus imbre æstivus Aquarius humectat. Quoniam verò convolvulus hic ambitione reptitia summa rerum affectat: arundinibus cancellatim fictili circuntextis, intentisve funiculis duum cubitorum commodos illi gradus offert. Ramulos quoque succrescentes, siqui vaguli vacillent, arundineo septo, lineove adminiculo applicat implicatque: ubi tortili reptatu arundinum & funiculorum fastigia superant, cacumina demutilat, ut majore conatu luxurientur in flosculos. Monet hic etiam, semina, ubi vix inaruerint, diligenter esse legenda: quia frequenter è folliculis dilapsa minutulis nigellisque corpusculis vestigatorem fallunt. Testatur denique, eadem, nisi largo humore

re ac ſole ſolicitentur, unum, alterum, tertium quoque annum ſub terra ſilere, antequam progerminent. Recens & rarum Romæ, phæniceo flore gelſiminum Indicum, ſive Canadanum, præter ſolum pingue, exhalato pinguedinis vapore bene maceratum, felici poſitu apricum, radicibus ramiſque fundendis vacuum apertumque, deſiderat etiam cancellatim ſcanſile adminiculum, ut amœniſſimam prætexat viriditatem; aut certè pedamentum procerum, contra imbres pervicax, decorticatum, & ſcobina exaſperatum, ut articulatim radicoſa fruticis brachia ſtatumen adjunctum arctiſſimè pertinaciſſiméque complectantur, atque ambitioſo reptatu in arboream altitudinem evadant. Debet autem à parietibus nonnihil diſtineri, ne floribus onuſta pendula cacumina incurſantibus ventorum furiis allidantur. Hiberna frigora non ita multùm reformidat. A primo vere in extremam uſque æſtatem rigari vult. Seminis, quod hoc primùm anno apud nos protulit, adhuc intentata ſatio eſt: necdum inſitio cæſione ac vulnere peregrini fruticis cum vernaculo adoptiva fœdera ſancivit. Una proſpero uſurpata periculo cultura ita ſingularem ſtirpem docet eſſe multiplicandam. Verno, priuſquam oculi fruticis intumeſcant, trigemmis ramulus præciditur: ejus caput cultro diffinditur, ac depangitur binis obrutis gemmis, ut tertius nodus extet. Sic ex facili

Indicum maximum flore phœniceo.

ca-

capit & germinat, humore præsertim adjutus, & sole.

Rosarum cultura.

CAPVT XVIII.

ROsa, risus anni pulchrior, & prinnceps hortorum purpura, ut antiquitatem hilaravit ornavitque, ita exercuit & pupugit cura magis, quàm aculeo. Sic igitur ipsam curavit & coluit antiquitas. Fidiculæ vesperi occidentis novissimis diebus, mense scilicet Februario, ubicunque patiebatur cæli ratio, terram ad rosæ satum bipalio vertebat. Hoc eodem tempore, sive inter Virgiliarum occasum & brumam rosaria nova semine aut virgultis conserebat, vel antiqua curabat: sarculis enim, aut dolabris circunfodiebat, universamque ariditatem resecabat. Eadem à Favonio fodiebat, iterumque solstitio. Sed locis calidis, apricis, atque maritimis Novembri etiam mense roseta instituebat. Satio multiplex erat. Alii enim semina ponebant, quæ seriùs eveniunt. Ob id potiùs caule conciso inserebant, & ocellis radicis, ut arundines. Alii caules aut in propaginem deprimebant, aut radicitus reciſos in virgulas palmares intervallo cubitali adobruebant, & frequentibus irrigationibus juvabant, factas deinde viviradices trans-

Rosæcultura vetus.

Plin. l. 18. c. 26.

Colum. l. 11. c. 2.

Pallad. Febru. tit. 21.

Varro de re rust. l. 1. c. 35.

Plin. l. 21. c. 11.

Pallad. Novem. tit. 11.

Plin. l. 21. c. 4.

Constant. Pog. Agric. l. 11. c. 19.

Theophrast. de hist. plāt. l. 2. c. 2.

transferebant. Ex horum numero Pangæi montis accolæ adeo translatione profecerunt, ut numerosis foliis pusillas rosas in amplissimas explicarint. *Plin. ibid.*

Erat præterea, qui non absimili more ante calendas Martias, sive post Vergiliarum occasum rosam fruticibus, & surculis quaternum digitorum longitudine, aut etiam ampliore pedalia per intervalla disponeret: omnibus annis per idem tempus circunfoderet & recideret, ut quàm diutissime conservaret. *Colum. l. De Arbor. cap. 30.* *Plin. ibid.*

Neque verò exputabant solùm, verùm adurebant etiam nonnulli: quia succi copia in foliorum ramorumque silvosam atque inanem luxuriam nimia fundebatur, nisi ferro atque igne in breviſſimi ramuli utiles angustias coërcita, spatioſoque exitu prohibita & repercussa, diuturniore mora satis concoqui & perfici cogeretur, ut amplè folioſos erumpere posset in flores. Fossio altior quàm frugum erat, levior quàm vitium. Pangebatur nec pinguibus, nec argilloſis, nec riguis locis, sed raris, & præcipuè ruderatis. Quanquam, ut assiduè vernaret, singulis mensibus serebatur, atque stercorabatur. Ad hæc ponebatur calido, prono ad meridiem, & sicco loco, magno naturæ documento, tum quòd Carthagine Hispaniæ hieme tota præcox purpurat: tum quòd arida & siticuloſa Cyrene odoratissimos flores, nebuloſa & roscida Ægyptus procreat inolentes. Jam verò florum callida ita posteritas rosas colit. In solo quo- *Theophrast. De hist. plant. l. 6. c. 6.* *De caus. plant. lib. 3. c. 24.* *Plin. ibid.* *Constant. Pog. ibid.* *Plin. ibid. c. 4. 7. & 11.* Cultura recens.

quolibet feliciter, at feliciùs in præpingui & adſolem reclivi, palmari altitudine tria cubita aliam ab alia depangit, per autumnum effœto ſenio reciſo ſtercorat: arundineis parietibus, cancellata ſtructura excitatis, applicitas implicitaſque adminiculat ac nodat: capita quoque deorſum versùs curvata ſubſtringit; quia ipſo flexu retardatus, qui fruticem permeat alitque, terrenus humor adeo coquitur ac digeritur, ut numeroſo & conſpicuo flore tandem exuberet. Italicam ſuperiori perſimilem, nobiliorem tamen, ac diligentiùs colendam ſemper virentem, perpetuam, ſive omnium menſium roſam appellant: quòd ea ſæpius amputata primùm faſciculi aſpectu confertiſſimos calyces ſimul promit, quos deinde paulatim atq; per partes ad alteram uſque putationem floreum recludit in partum; ut ipſos ſingulis menſibus unà cum floribus inducere videatur. Iſto autem denſiore calycum numero, florumque prope continuato vere maximè diſtat hæc à ſuperiore, quæ minùs dives floridæ purpuræ rariores aperit virides alabaſtros. Ut igitur omnibus, aut certè pleriſque menſibus perpetua vernet, ſæpe intra annum, ac bis minimùm deputanda eſt. Exitu Octobris ſuperficies omnis ſolo tenus anguſta putatione ſucciditur, ut è duro repullulet: ita enim citati calyces numeroſiores florea fertilitate perhiemant. Menſe iterum Martio exputatur, uno aut altero ramulis articulo relicto.

Roſa Italica flore pleno perpetua.

cto. Verùm, ut ſerotini calyces tota æſtate vernaturi ſubnaſcantur, tempeſtivi, dum connivent, verno tempore detrahuntur. In altiore ſolo depactam putator minùs compeſcet, quippe plus humoris trahentem, quàm quæ in fictili poſita ſit. Putationi dies aptiſſima cenſetur, quæ triduo quatriduove plenam lunam præcedit. Quindecim ſpatio dierum ante ipſam putationem aqua non miniſtrabitur. Ubi jam ſiti nimia laborare plantam animadverteris, priùs circunfodies, vetuſtæque terræ ſubductæ vice vel hominum attonſo capillo, vel equino fimo jam putri lætificabis, bono ſolo conſitæ ipſæ teſtæ ſuperinducto: tum crebris eandem irrigationibus refocillabis, ſalubri apricatione refovebis, à frigoris inclementia tecto tepidove loco tutaberis. Eadem ferè cultura convenit iis roſis, quas pulvinis hortenſibus commiſeris. Sed, quoniam illæ ad incommoda temporum declinanda citra noxam tranſmoveri nequeunt, averſo à Septentrionibus loco depangi debent; cum hieme progerminaverint, impoſitis tegeticulis à nocturnis frigori injuria protegi; & iiſdem remotis diurnæ apricitatis beneficio foveri. Quanquam optimus magiſter uſus jam docuit, id genus frutices, præſertim robuſtiores, citra frequentem putationem intonſos pleraque anni parte vernare; dum tamen & pinguis terræ pabulum, & irriguæ aquæ poculum frequenter

ter & affatim adminiſtretur. Ut autem dapſilem florum proventum habeas, ipſa fruticum brachia (quemadmodum in proximè ſuperiore roſa monuimus) præcipitabis. Cæterùm eoſdem frutices multiplicare promptiſſimum eſt, ſi de more propagentur in ſulcos: ſi autumnali putatione reſectæ virgæ modico inclinatu ſtatuantur, ac ſtrictim attonſæ duos de terra digitos extent: hac enim ratione radices & germina vehementiùs impellent. Sationi huic tempeſtivus October aut November eſt. Batavæ centifoliæ robuſtum ſolum, frigidus modicéque apricus locus deſtinatur. Virgarum aritudinem & ſenium tantummodo exputare convenit: quia raros in ramulos hæc planta diſpergitur. Pullulans ab imo ſtirpe ſoboles fibris nonnullis capillata differtur. Parem cultum depoſcit nomine ſpecioſo par, flore minùs amœno diſpar centifolia inodora. Vario rubore maculoſa, odore ac magnitudine vernaculæ ſubrubenti perſimilis, ligno durior, ramis fruticoſior, florum mediocriter ferax quærit aperta, aprica, & rigua; ſolo gaudet robuſto. Flos adeo mollis eſt ac delicatus, ut nebulas reformidet. Putationis vice ſumma ramorum teneritudo decacuminatur. Fœcundiſſima radix latè ſpargendam fruticat in familiam. Damaſcena jucundi ſpiritus roſa, modò aureis crocis odoratior, modò argento tantùm folioſiore minùs odora, humore, ſole, liberoque lætatur cælo. Frigoribus

Centifolia Batava.

Centifolia inodora.

Variegata.

Damaſcena.

ribus non affligitur : imò etiam toto ferme anno germinat ac vernat. Vetuſtiorum virgarum, quas ætate duratas ægrè tranſcurrit humidum alimentum, anguſtam trunco tenus cæſionem per divortium veris atque hiemis amat; ut novella virgea ſilva integro, ac nuſquam intercepto ſatiata ſucco lætiorem ſe vegetioremque profundat: atque ipſa materni trunci revireſcens & juveneſcens anilitas florida fœcunditate luxuriet. Iunioribus verò caulibus idem frutex vnam vel alteram gemmam relictam vult: quòd illorum teneritas ubertim tractum facilè admittit, atque æqua portione diſpenſat humorem: & paucos in exitus compulſa germinandi facultas vehementior aſſurgit, ſilveſcitque diffuſior. Roſa hæc ſurculo, & viviradice frigido in ſolo poſita feliciter celeriterque capit & proſilit. Obſoleto colore alba roſa, operi topiario denſa & flexibili viriditate perutilis, validum ſolum, liberum ſolem, & vberem aquam expetit. Putationem recuſat, præterquam ſi quis ſenio defectus ramus exaruerit. Vegetas, hortorumque textili ornamento commodas, recentes virgas antiquioribus, prout res feret, adjungi adnectique poſtulat. Uberrimè ſuccreſcentibus ab imo virgeis nepotibus genus amplificat. Lutea roſa, quæ foliorum denſiſſima flavet coma, frigore delectatur. Idcirco felicior in Tuſculano, quàm in Romano, provenit ſolo. Illic enim plerunque folioſior flos matureAlbicans flore pleno.

Lutea maxima.

tureſcit ac dehiſcit: hìc inani florum ſpe ſæpe turgidi alabaſtri ſenſim corrugati languent. Robuſtum ſolum, vacuumque ramulorum libertati cælum appetit. Quare arundineis cancellis implicari alligarique formidat. Tonſuram odit, quia ſummatim floret. Inutiles tamen, malè nati, aridique ramuli utiliter interputantur. Florum pleroſque deturbare ante maturitatem expedit, ut reliqui ſuis abſoluti numeris eleganter vernent. Quæ pullulat ab radice denſior virgea ſoboles, primo vere avellitur, ac tranſponitur. Cinnamominam educat humus valida, irrigua, non admodum ſoli oſtenta luteæ roſæ communis parca putatio conſervat: propagat etiam revulſus à materna ſtirpe pullus nonnihil fibratus. Inter purpureas princeps habetur, quæ quamvis leviter odorata plurimis tamen foliorum verſibus ornatiſſima, impulſoque altero flore è medio ſinu, velut apice regio inſignis, ſuperbit. Quanquam decora hæc non ſemper illam criſta honeſtat: ſive quòd ſolito folioſior prior flos genitalem ſuccum abſumpſit: ſive quòd eundem florem nimius imber, & nebula corrupit; aut nativus, & familiaris vermis exedit. Luteæ roſæ debita huic etiam cultura debetur. Ita in vario roſarum genere variat hortenſis diſciplina. Noſtratibus autem roſis reliquis præcepta generatim tradita ſatis conſulent. Illud habeo extremo ſubjiciendum loco, ſic eſſe roſei fruti-

Cinnamomina flore pleno.

Rubra flore pleno.

Arboreſcēs.

fruticis, quem volumus arboreſcere, incrementa formanda; ut, imis mediiſque nepotibus ſæpius detractis, ſuccus omnis partim implendæ caudicis craſſitudini ſerviat, partim ad ſumma germina evocetur, quæ putatoris artificio in ramulorum ſpeciem fingenda ſunt.

Floridarum ſtirpium arboreſcentium cultura.

CAPVT XIX.

VNis ferè florum deliciis inclytæ arboreæ ſtirpes, quarum pauciſſimas adhuc Romani educant horti, peculiari diverſaque cultura vix indigent. Olitorium enim ſolum, uliginoſum, & apricum vel omnibus, vel pleriſque prodeſt. Peregrinæ atque hoſpites eo cæli terræque poſitu excipiendæ ſunt, qui loci natalis ingenio reſpondeat. Earum verò hæreditariæ poſteritati continuandæ latéque ſpargendæ conſulit ſeminatio, inſitio, propagatio, talearum poſitio, fibratæ ſobolis tranſlatio. Supereſt jam, ut publicæ privata præcipuarum cultura ſubjungatur. Arbor Perſica folioſo roſeo flore roſarum æmula à vulgari cultu pomiferæ non abhorret: bono in olerum ſolo, humecto, apricoque proficit: inſitione ſoboleſcit, quæ creſcente luna fieri debet; quia flos formo-

Arbor Perſica flore multiplici.

mosior, non fructus uberior exigitur. Februario mense arida senectute recisa, novo cum anno juvenescit. Eadem alit cultura Cerasum, pleno in flore impolluti candoris, alioqui rari, feracem. Et hæc rectè inseritur in alias Cerasos, cum genus, tum decus propagatura. Candida Genista pangitur in olitorio solo non ita pingui, moderato soli objicitur, æstivis irrigationibus confovetur, semine seritur; quod, cum prædurum sit & natu morosum, præmollita vel tenuata cute (sicut edocui) urgetur ad germen. Latifoliam flore multiplici Myrtum non humo pingui duntaxat, verùm etiam sole multo, humoreque nutrimus: parte aliqua exarescentem interputamus: in eam, quam volumus, formam artifici tonsura componimus: depacta fibrata sobole ampliamus. Indica sive Americana Laurus libenter in terra pingui riguaque hospitatur: solem ab eadem expeti, calidissima docet patria; & sanè in solis regno nata, non minùs quàm nostra laurus, Appollinea est. Angustè, ipsoque tenus trunco inutilium ramorum amputationem timet: quia paulatim patescens à contiguo vulnere ad medullam intimam foramen aditum ad noxam & necem aperit. Baccarum satu, soboliisque translatione dispergitur. Exoticum Oleastrum optimè recipiunt loca pinguia, uliginosa, & aprica: more salicis rami panguntur, & pullulans ab radice soboles radicosa differtur. Sambucum ro-

Cerasus flore multiplici.

Genista flore albo.

Myrtus latifolia flore multiplici.

Laurus Indica.

Oleaster exoticus.

Sambucus rosea.

seam

ſeam caulibus vel in propagines depreſſis, vel ſeorſum depactis facilè capientem humido ſolo, & parum aprico excipies: ſi lubeat, in arbuſculam leviter attondebis. Potes non diſpari cultu nutrire geminas vulgatiſſimi nominis notiſſimæque formæ Syringas, alteram candidis breviq; ſerie ſpicatis, alteram cæruleis & longiore panicula racematis floribus viſendam. Malus Punica ſilveſtris bono, irriguo, & aprico ſolo, grato videlicet blandimento, ad uberrimum florum fœnus manſueſcit: inſitis ſurculis, defixiſque ramis, quibus pars aliqua materni corporis hæreat, coaleſcit: plantis quoque conſeritur de matrum radice divulſis: inchoante vere inutile ſenium interputata deponet. Rhus peregrina, ſive Sumachus Indorum optimum ſolum, tempeſtivam irrigationem, aſſiduamque apricationem diligit: putationem recuſat: Italicam hiemem non reformidat: adnata ſobole ſeſe diſpertit. Indicam Acaciam externis hortis aſſuefaciunt pinguis humus, humor, & ſol: frigoris metuentem Aquiloni ſubducta loci poſitio præmunit: tempeſtiva quoque putatio ſparſim areſcentem ſeneſcentemque ſalubriter vulnerat, & renovellat; vel nimia fruticatione ſilveſcentem compeſcit, &, ſi lubeat, in arbuſculæ ſtaturam extollit: ſemina verò, quamvis duriſſima, prædicto more præmedicata, vel è ſiliquis nondum planè nigrantibus ante maturitatem lecta deficientem rarioremque

Syrinx alba & cærulea.

Rhus peregrina.

Acacia.

Molle. *Thesaur. Rer. medic. nov. Hisp. l. 3. c. 15.*

reficiunt atque multiplicant. Molle, arbor Indorum, quam nostris libuit Lentiscum Peruanam, sive angusti folii Terebinthum appellare, amat calidum cæli statum, bonamque humum, singulis alterniſve annis sufficiendam: aridis resectis ramis interpurgari vult: propagari debet, pullis, qui nascuntur ab arbore, de more in terram depressis, ac triennio pòst è matre decisis, quia lentas illi radices mittunt: si qua parenti adnascitur, utilius planta transfertur: tenera & adolescens viriditas rigationibus adjuvatur.

Aquaticorum florum cultura.

CAPVT XX.

FLoridæ aquarum plantæ, veluti natantes hortorum Nymphæ; dilectis in undis demersæ memoriam prope suffugerant. Sed age jam adhuc in tempore memores à terrestri cultu ad aquaticum transeamus: ut hoc etiam hortorum cultores gloriari possint, sese amphibios esse, felicique labore à se aquas conseri. Nymphæa, non solùm forma, verùm etiam nomine inter flores Nympha, gemina est. Altera Heraclion dicitur, quia Nympham erga Herculem zelotypiæ fabulosus ardor in frigidam aquarum herbam deformavit, radice nigra, scabra, & clavam referente, unde Rhopalon aliqui vocant; foliis ferme orbiculatis, lævibus, herbaceis in aqua sum-

Nymphæa duplex. Alba. *Plin. l. 25. c. 7.*

ſumma natantibus; flore candido, compluribus foliolis oblongis & acuminatis compactili, mediis laciniis flavente, per Majum Juniumque menſem vernante; cum defloruit, capite papaveris, in quo ſemen pullum, ſplendens & milio majus. Altera radice alba, folio oblongo, flore luteo, capitato & roſam æquante, ſemine ſuperioris inſtar ſubnigro ſplendidoque, ſed paulò majore, quia Peneo innaſcitur in Theſſalia, Theſſala nuncupatur. Utraque verò conſeritur in fictilibus ternos minimùm palmos altis, fundo minimè pertuſo aquam non tranſmittentibus. In binos palmos humus pinguiſſima, penituſque putris ſubſternitur: ibi radix bellè collocatur: deinde trium altitudine digitorum ſimilis humus adjicitur: aqua demum ſuperfunditur ita, ut oras vaſis exæquet; cumque illa ſubſederit, ſubinde recens infunditur. Reſecandæ tranſponendæque, cum opus eſt, radici, necnon demutandæ terræ Autumnus tempeſtivus eſt. Paluſtrem Caltham flore pleno luteo, in ſemen non exeunte; caule inani, palmari, obliquo, in alas diviſo; folio ferè Nymphææ, rugoſiore, rotundo, ſuccido, venoſo, leviter ſerrato; radice multis candidiſque capillamentis fibrata, cultus educat non abſimilis. Requiritur enim vas humori continendo non pertuſum in imo, & ſummæ maceratæque pinguedinis ſolum. Hoc tamen reliqua cultura diſtat, quòd in digitum radix deponitur, quòd aqua

Lutea.

Io Ruell. de Nat. ſtirp. l. 2. c. 67.

Caltha paluſtris flore multiplici.

ſupernatare non debet, cum inſuccatam limoſamque eſſe humum ſatis ſit. Licet autem hæc planta hiemem non reformidet, à gelido tamen Septentrionis afflatu eam avertere præſtiterit. Vere floret, interdum etiam autumno. Ut autem ſeneſcentibus novos flores continues, plura de illis vaſa conſeres: cum unum aliquod prope jam flores amiſit, humi acclinatum ſiccari ac ſitire patieris: deinde aridam ſuperficiem attondebis, terræ præpinguis exiguum adjicies, & aquam ſuperfundes: ea induſtria flores alieno tempore evocabit, atque ita per vices vaſa vere perpetuo lutei floris aureſcent. Cum radicem voles eximere, ſobolemque transferre; tum vere, tum autumno id facies. Communis eſt cum Calthæ ſuperioris cultura cultio Trifolii paluſtris, geniculata radice latè proſerpentis; terna folia, ovata, glabella, & carnoſa ſingulis in pediculis ſurrigentis; floſculos hyacinthi effigie albos, denſis albidiſque ſtaminibus inſtar Capparis capillatos, à medio ferè bipalmi caule ſurſum versùs palmari ſpica extollentis; folliculos denique parvos & rotundos rufo, miliique perſimili ſemine implentis. Sicui præterea ſuppetat in hortis commodi fontis, aut lacuſculi, aut piſcinæ oportunitas; is meliùs poterit in imo ejuſdem labro, prædicta terra conſtrato, & has, & alias aquaticas florum feraces plantas eadem ratione conſerere, hoc eſt in aquis hortos inſtituere.

Trifolium paluſtre.

Indicæ

Indicæ ſtirpes in hortis Barberinis.

CAPVT XXI.

INdia quoque ut opum, ſic florum prædives expoliti ſſimos Barberinos hortos ſingularium admirabili munere plantarum exornavit; ut illi ſuo ſimiles Principi longè inter cæteros eminerent, ut Romanarum deliciis Apum India Romæ vernaret, utque Numæ Capitolium vetus in Quirinali, poſtquam in dominatricis familiæ viridarium refloruit, amœnitatis Indicæ tributariis floribus coronaretur. Ea igitur ornatu barbara, ingenio amœna, manu Pallas, vultu Venus, quàm ſtrenuè pugnaci arcu, tam formosè feroci ſupercilio ſagittifera, ut appoſito regnantes Apes dono cultuque demereatur, florum ſemina quæſitiſſima defert ad littus. Inde Neptunum per liquida regna natante curru non ita procul aurigantem brevi ſermone compellat. O fluctuantis imperii tranquille moderator, qui per infidas & naufragas vias tenui ligno linoque orbem terrarum ultro citroque portas: quique diſterminatas immenſo elemento gentes, ventis licet reclamantibus, undis licet obluctantibus, mutuo commercio miſces, atque vnum alteri mundum admoves, age, Apibus mellea ſuavitate amabiliter dominantibus remotiſſimæ Indiæ gratum obſequium ſiſte. Quid autem mellificas Apes oblectet magis, quàm florei delectus amœnitas?

Caſſiod. in Chron. Marlian. l. 4. c. 22. Lipſ. de Magnitud. Rom. l. 3. c. 5.

India Barberinis hortis tributaria.

Has ego lectiſſimas Indici veris primitias præmitto, frequenti poſthac florum munere ſemper vernantem erga Barberinas Apes benevolentiam teſtatura. Breviter ad hæc & alacriter felicis itineris hilaratus nuntio Neptunus. Adſum undarum Rex, velociore nunquam impetu liquida immenſitatem emenſurus, ipſiſque regnis potiori Barberinæ majeſtati famulaturus. Exinde florum geniales merces tranſvecturum currum margaritiferi tractus candidis divitiis in obſequioſa ornamenta congeſtis digeſtiſque marinæ Nymphæ artificiosè opulentant: utque longinqua doceat navigatio quàm proſperam Cynoſuram ſpectet, in ſummo curru præfixum eminet gemmeum è Barberinis Apibus publicæ utilitati laborantibus trigonum vice ſideris inſigne. Jam ſoluturo Neptuno intus foriſque pretioſum munus porrigit India, fabrefactam ſcilicet auream pyxidem, incluſis rariſſimorum florum ſeminibus, quàm includente metallo, nobiliorem, paucis hiſce multæ obſervantiæ notis inſcriptam, Regnatricibus Apibus floreum Indiæ tributum. Curru ſublimem maris Dynaſtam abeuntem comitantur agili natatu ludibundi Tritones, tenero cantu flexanimæ Sirenes. Subridet æquati æquoris tranquillitas: ſuperfulget finceri cæli ſerenitas; unuſque Zephyrus circunvolitans, cætero latente ac ſilente rauco ventorum agmine, illud blandè inſibilat, I felix.

Ita



Ita prævia Indicæ ſtirpes Barberinos ad hortos feliciter appulſæ ſunt; atq; inter mellitas advolantium Apum blanditias feliciùs hoſpitantur, totas floridæ Indiæ ſilvulas felicitatis illecebra mox evocaturæ. Longiſſimè remotis, necdum à patrio ſolo digreſſis præire cœperunt exemplo proxima ejuſdem Indiæ plantaria, quæ non ita pridem Romanos ad cultores diverterunt: cum certatim cupidéque ad Hyblam properent Barberinam. Et adhuc ſanè properarunt è narciſſis qui florem ampliſſimum liliaceum rubente ſaturat croco, qui lilio itidem ſimilis primitivum candorem levi paulatim rubore confundit, quique puniceis foliis denſiſſimam ſtaminum cæſariem coronat. Neque narciſſo ſegnior venit, ut formæ, ſic officii æmulator, hyacinthus, cui candor atque odor famam, tuberoſa radix nomen dedit. Craſſis quoque reptabunda geniculis Indica Juca lentè feſtinavit. Canadana pariter inſolitæ magnitudinis fraga adrepſere. Tenuiſſimis leviter nixum fibris Americanum Trachelium facilè ſolutis retinaculis accurrit; Dominoque concolor Purpurato, flos Barberinus, & planta Cardinalis evaſit. Ipſæ altiùs ac pertinaciùs humi hærentes plantæ, revulſis prælongis radicum digitis, adfuerunt, Indicum ſcilicet flore phœniceo Gelſiminum, Granadilla, Vitis Canadana, Indica Laurus, Oleaſter exoticus, Arbor vitæ, Acacia, Sinenſis Roſa. Indica præterea peramplo folio, eleganti flore, fructuque prædulci Muſa, quam Plinii Palam eſſe,

Narciſſus Indicus è rubro croceus flore liliaceo.
Narciſſus Indicus liliaceus flore purpuraſcente.
Narciſſus Indicus flore puniceo.
Hyacinthus Indicus tuberoſa radice.
Iuca Indica.
Fraga Canadana.
Trachelium Americanum.
Gelſiminum Indicum maximum flore phœniceo.
Granadilla.
Vitis Canadana.
Laurus Indica.
Oleaſter exoticus.
Arbor vitæ.
Acacia.
Roſa Sinenſis.
Muſa.

Nat. Hiſt. l. 22. c. 6.

Pa-

Garzias ab Horto Plăt. Hiſ. l. 2. c. 10. apud Cluſ. in exot. Palan appellatio Malabarica prope eadem perſuadet, quo congruentiùs in Parnaſſo vernaret, quàm ubi, Muſarum volucres, Apes ſibi nidificant, Muſis mellificant? Addidit ſe ſtirpibus Indicis

Papyrus. Ægyptia Papyrus, victuro in chartis Principi decora planta. Verùm hæ ſtirpes rarum, illæ decus afferunt ſingulare, quibus unos India Barberinos hortos herbarum ſcientiſſimi Tobiæ Aldini


Tobias Aldinus. manu conſerit & condecorat. Prior Americana

Arbor Coralii. Coralii arbor bono minutoque in ſolo intra teſtam ſemine ſata noſtratis phaſeoli ſimillimo,

C. Cluſ. Appen. ad hiſt. plant. ſplendidè tamen rubente planéque coralino viſendam in altitudinem exiit, pluribuſque ab radice ſtolonibus fruticavit. Medius & craſſior caudex tres digitos biennio implevit. Palmari ſupra terram intervallo patulos diſſipatur in ramos. Cortex per adoleſcentiam lævior viret: in ſenecta rugoſior ficulnei facie pallet. Raris idem, brevibus, pallidis, hamatiſque ſentibus armatur. Folia, ut in ſilveſtri Siliqua, nullis inciſuris interrupto, ſed æquabili & prope rotundo ambitu circinata leviter faſtigiantur: ipſius etiam hederæ rotunditatem, amplitudinem, craſſamentum, duritiamque referunt. Singulos hinc & illinc porrectos nervos brevi pediculo nixa in triangulum terna ſempiternò conveſtiunt; ac temperato lætoque virore ſpem colorant coralini ruboris in floribus legendi, non inter naufragia expiſcandi.

Flo-


RBVSCVLA CORALII




Flores per arbuſculæ immaturitatem Romæ nondum tempeſtivi, coralium æmulaturi, pulcherrimique nominis fœnus maternæ ſtirpi repenſuri expectantur. Defloreſcens deinde arbor in concolores floribus phaſeolos creditur ſiliquatura. Hæc interim peregrinorum ritu pomorum, quæ ab acore nominantur, ſatis irrigata, largiter inſolata, in primis autem inimico frigori ſubducta pulchrè valet & convaleſcit. Braſilicus Phaſeolus è ſubnigro ſemine, lupinum æquante, atque umbilicum leviter lunante, propter coctilem laterculum in bonam ſuccretamque eorundem acidorum fructuum terram depoſito tam feliciter extitit, ut intra annum quindenos in palmos adoleverit. Simplici, tenui, caduco, & vitigineo aſſurgit caule, inſtar vitium ſtatuminando. Dextro lævoque latere alternantibus è gemmis, quadruplici digito intervallatis, quaternum itidem digitorum ramuli erumpunt, mali Cydonii latiore folio triplici aut quadruplici ſemper virentes; indidemque virgulæ, duplo longiores porriguntur, primùm flore fabaceo quà candido, quà ſubrubicundo, ſiliqua deinde (quanquam hæc nondum evenit) faſtigiatæ. Indicum hoc legumen à frigore tuta & aprica poſitione, aquæ præterea tempeſtiva mi-

Phaſeolus Braſilicus.

ni-

nistratione in extero solo libenter didicit hospitari.

Se-


PHASEOLVS
BRASILICVS



Præsentissimis par antidotis, Malabarica Moringa, semine consita Erui simillimo, eodemque cultu educata, in fictili vegeta, laxiore loco vegetior, jucundissimi floris vice hilarem explicat viriditatem. Caule ramisque nodosa simul, & fragilis ad Lentisci naturalem staturam incremento jam cubitali contendere videtur. Minutis & lentiscinis foliis raram sterilemque adhuc, dum ista scribimus, obtendit umbram, quippe fructus pedalis & octogoni, crassitudine raphanum æquantis, nondum ferax. Cajus quoque sive Cajous, ac Tamarindus primulo germine præmiserunt exiguum sui tenerumque rudimentum. Illius arbor malum Punicam, hujus Fraxinum aut Juglandem apud nos etiam æquatura creditur. Cajoi nucem leporini renis figura, & colore cinereo in rubrum inclinante, vas excepit, humus bona nutrivit. Mense Martio posita extitit Majo: Septembri quatuor digitos eminebat. Lauri regiæ folio minutiore viret: viget autem apricatione assidua, irrigatione sedula, cautaque frigoris declinatione. Florem candore formaque mali Medicæ flori consimilem, folioſiorem tamen, nec ita odoratum; itidemque fructum grandiori malo æqualem, flavum rufumve, bene olentem, spongiosum, succi plenum, cum astrictione subdulcem, è prominula nuce, suo scilicet ex ubere, alimentum incrementumque sugentem, accuratissima educatio pollicetur. Tamarindi

Moringa. *Christoph. à Costa l. Aromat. c. 35. Apud Clus. in exot.*


Cajus sive Cajous. *Id. c. 24. apud eund. Garz. ab Hor. Arom. hist. l. 1. c. 30. apud eund.*

Tamarindus.

arborem è semine, lupini ferè gemello, sed fusco, cura prope par, & cultura in duos jam extulit palmos, rufa & ramulosa virga surgentem, ramulis utrinque alterna serie digestis, & minutim foliosis; foliolis, veluti pinnulis, in alas è regione geminatis, diluto colore virentibus, acidulo sapore jucundis, & acrem herbaceum intinctum concinnantibus, sub noctem velut in somnum conniventibus, bene mane velut ad vigiliam grato spectaculo sese pandentibus. Nec vana præterea spes est, alibi nesciam hospitari plantam in Apum ac mellis amœnissima Regia flores citaturam, qui candido colore, suavique spiritu cum ipsis Medicæ mali floribus certent, octo foliorum majore numero victores: medicatissimum quoque fructum addituram, qui Græcæ Siliquæ more proveniat.

Fla-


CAIOVS
MORINGA
TAMARINDVS



Flavum Gelſiminum, Sinenſis Orientis, ſive (ut alii malunt) Indici Occidentis delicium, ac noſtratis orbis miraculum, nullo meliùs in theatro, quàm Barberinis in hortis ſuſpiceretur, quibus Urbanus Sol, Vaticano tum rubore tum candore nitidiſſimus, nempe Alius & idem beatiſſimè affulget. Gelſiminum Indicum flavum odoratiſſimum.

Accerſivit ad Romanam amœnitatem Eques Caſſianus à Puteo, ad quem cumulatiſſimè ornandum & animi, & generis, & opum decora difficili alioqui fœdere conſpirarunt. Caſſianus à Puteo.

Miſit Aquis Sextiis Salyum Nicolaus Fabritius Peireſius Senatorii cum ordinis tum conſilii vir; cujus prudentiſſimis in Reipublica tuenda curis fructuoſus labor florei cultus laudabili voluptate coronatur. Nicolaus Faber Peireſius.

Hic ergo frutex Romam tranſlatus in duo ferme cubita attollitur. Lævi cortice, amaranthum referente, purpurat. Ab imo caule ramoſus pluribus virgis, itidem in ramulos brachiatis, fruticat. Foliis viret ſaturato ſplendidoque colore conſpicuis, oblongis, Punicæ mali foliorum inſtar duriuſculis, denſis, non inciſis, non deciduis, quinis terniſve in ſingulos ramulos coëuntibus, alarum aſpectu per virgarum latera explicatis. Floribus autem flavet omnino aureis, vulgaris gelſimini ſimillimo pediculo innixis, per ſumma ramorum in umbellam diffuſis, Hiſpano gelſimino minoribus, diutius vernantibus, invaleſcente cum ſtirpe majora quotannis incre-


menta capientibus, ejus floris, quem vulgò Saponariam vocant, facie retusis, suavissimè olentibus, arido etiam è cadavere odoratam animam spirantibus. Post florum gemmas baccis graveſcit, minusculas oleas magnitudine primoque virore exæquantibus, à maturitate deinde liventibus, maturæ instar uvæ transluciditis, inclusumque nigellum & longulum, quale pyra includunt, semen indicantibus, hìc præterea solitariis planéque unionibus, illic gemellis & cohærentibus. Culturam exigit cum Hispano communem. Humorem in primis amat, & solem. Gelidam Septentrionis animam odit: imò etiam quodcunque hiemale frigusculum in tantum reformidat, ut viridissima folia luteo pallore tingat; corticem lævore, ac rubore decorum minutim granosa luridaque scabie asperet, ac decoloret; proserpente demum aritudine citò seneſcat, & pereat. Sed hiberno frigore infestari publica multarum stirpium calamitas est. Illa fruticis hujus teneritudo peculiaris, ut, per æstivos fervores sitientibus herbis cæteris expetito guttatimque propinato rorantis cæli nectare lædatur. Etenim floris folia vel leviſſimo roris aſperſu palleſcunt, assiduo etiam infusu exalbeſcunt. Hac autem feliciter industria propagatur externus frutex. Virga ab exteriore par-

parte, qua vix latum unguem distat à matre, sursum versùs obliqua plaga in transversi digiti longitudinem ad medullam usque inciditur: incisuræ leviter diductæ lapillus inseritur: sabulosa terra, vel argilla nonnihil humecta plagæ illinitur: obsitum deinque vas in altiorem laxioremque testam demittitur: & inhumandæ incisæ parti humus superingeritur: aut certe angustius, ac dividuum sine fundo fictile utrinque admovetur, & modicè deprimitur; ut ad obruendum propaginis vulnus satis emineat, nec nimio descensu matris radices convulneret. Nisi verò id vasis suppetat, testaceis fragminibus circùm oras fictilis defixis aggerando solo, tegendæque incisuræ parabile vallum excitatur. Sunt, qui cæspitem eximant è fictili, & ima parte subsecta, reponant: subsidentem autem incisam propaginem humo adobruant. Hoc alioqui percommodum inventum eo nomine videtur incommodum; quia, dum supernè prodest, inferiùs nocet. Subducta enim, quæ imam plantam alebat & fovebat, humus quidni noxæ sit? Ergo per vulnera impetratis radicibus, anno jam exacto secundùm matrem abscissa virga transferetur: & Indicum aurum flavos in flores liberaliter egerminans nostro etiam in orbe propagabitur, hoc est (ut illustris poëtæ ferme eadem aurea ver-

ba in rem meam uſurpem) floridam parentem æmulata, ſimili florebit virga metallo.

FLO-


GELSIMINVM
INDICVM
FLAVVM
ODORATISSIMVM



FLORUM USUS ET ADMIRANDA LIBER QUARTUS.

Florum structura multiplex.

CAPUT I.

EO potissimùm spectat universa florum cultura, ut messem variè voluptariam faciamus, sive ut eosdem demessos flores multiplici serie velut arctiores in hortulos disponamus. Novo igitur more, singularique felicitate hortensis messor præmaturum gaudii fructum in flore legit; ac tempestivè metit, dum adhuc messis in herba est. Voluptatis enim seges tum maximè maturuit, ubi non-

nondum exaruit. Jamverò debet ex uſu, cum quis meſſuit, manipulos obligare, nempe florum faſciculos artificiosè componere. Et ſanè manualis hæc ſarcina tam grata eſt, ut ægrè dimittatur è manibus: tam pretioſa, ut in conclavia nobiliora recipiatur: tam ſuavis, ut oculis æquè naribuſque blandiatur: adeo denique familiaris, ut ad concinnitatis artem multorum induſtriam cultorum excitarit. Unum ego ſæpius demiratus ſum Anaſtaſium de Vetera, vetuſtæ nobilitatis juvenem, ejuſcemodi faſciculos tam variè tam concinnè figurantem, ut in opere formoſiſſimo una ſummè diſpliceat fugaciſſima formoſitas. Quare, ſi te quoque cura eadem blandè vellicat, hanc ſolertiam adhibebis. Flores eliges (ut ea tempeſtivitas feret) genere nobiliſſimos, forma pulcherrimos, odore (quoad ejus fieri poterit) ſuaviſſimos, colore diſcrepantes, numero plurimos. Commodiorem huic operi ſegetem Romana in ora ſubminiſtrabunt Februarius, & Martius; quippe quibus multiformis Anemone, Hyacinthus, & Narciſſus uberrimè proveniunt. E floribus autem alios numeroſiores, minuſque præſtantes metæ aſpectu denſiùs nectes: formoſiores alios certa per intervalla circulatim ita intermiſcebis, ut adverſo ratæ partis reſponſu bellè promineant: curabiſque in primis, ut florea meta flore pulcherrimo faſtigietur. In ſumma

Anaſtaſius de Vetera.

Faſciculi ex arte.

ma ſtructura flores diſpones prælongo caule præditos, ut ad imum faſciculi manubrium, quoad poterit, porrecti, altricem in vaſis aquam exorbere poſſint. Duplici faſciculum ratione obligabis. Aut enim unumquenque florum ordinem bis terve, aut ſæpius circunducto nodatoque, ac deinde ad extremum uſque faſciculum gradatim demiſſo longiore lino devincies: aut certè, ubi ſummam ſeriem linea ſpira ſine nodo ſubſtrinxeris, floreum orbem alium ſubjicies, ſuperioris fulcimentum, ad quem pariter illigandum ſpiram eandem cautè deduces: eodemque ſingulos orbes modo continebis, donec ad ultimum deveneris, quem lini volumine multiplici aſtringes, non ſine magno vinculi compendio. Perfacili etiam opera floribus in vaſculo bellè diſpoſitis, ac demum ſubligatis, vario faſciculos artificio compones. Illud autem universè curabis, ut artifex collocatio diſcolori ſtructura naturam imitetur grata varietate conſulentem voluptati. Cæterùm capulus ipſe narciſſinis foliis in longitudinem demiſſis, conſertéque compoſitis veſtietur: ſumma & ima pars lineo nexu coërcebitur: linum autem circunvoluto narciſſino folio utrobique, ſi libeat, protegetur: ad octo digitos producta longitudo æquali cæſione terminabitur. Ut autem ſtructilis hæc florum congeries diſcolorem vivacitatem proroget, reſupinato capulo frigida identi-

dem

dem infundetur. Sic enim cum proximi & conſpicui, tum fortè remoti abditique ſcapi utiliter potabunt. Quin etiam proderit flores ipſos levi aſpergine irrorare. Placet hìc florei faſciculi exemplar proponere, ut etiam oculis flores olfacias. Illud addo præterea, faſciculum exhiberi potuiſſe florum varietate locupletiorem concinnioremque; ſed uni ſtructuræ in breviſſima pagina indicandæ minùs miſcellaneum typum perinde viſum eſſe idoneum.

Com-


FASCICVLVS
FLORVM
ARTIFICIOSVS



Commonſtrare præterea convenit Romanam, id eſt pulcherrimam florum architecturam, quam principum virorum animis parabili ſpecioſoque tributo demerendis Tranquillus Romaulus, laudatiſſimorum gloria hortorum florentiſſimus, paucos ante annos excogitavit. E delibratis viminibus calathus aut rotundus, aut ovatus, prona concava parte gibbus, ac teſtudineatus hoc authore contexitur. Media pars nonnihil editiore textura infixorum, hiſpidaque ſegete extantium, necnon gradatim ad umbilicum uſque aſſurgentium viminum corona minimùm triplici vallatur. Et laxioris quidem coronæ ambitus ab ipſius calathi ora quatuor circiter digitos diſtat : unaquæque verò inter ſe binis terniſve digitis ſeparatur. Vimineum ſolum, tum quod extra vallum porrigitur, tum quod interjacet, variis florum ordinibus, diſtincta generum & colorum ſerie in ambitum diſpoſitis, ſic inſternitur, ut ipſis in extimam partem floribus obverſis, in intimam caules inter extantia vimina porrigantur. Ipſe autem calathi umbilicus ſupinis floſculis, quorum cauliculi priùs detruncandi ſunt, confertim integitur. Surrecta denique vimina ordinatis floribus perornantur. Id autem ut pulchrè fiat, in ipſorum ſcapos, ſi vacui ſint, eadem immittuntur: ſin autem duriuſcula medulla pleni; debent ipſi florum ſcapi modicè demutilati concavos alios in ſcapos ex

Calathus florifer triplex.

Tranquillus Romaulus.

Calathus primus.

altera parte inſeri, ex altera verò vimina immitti. Quin etiam cuſtodiendum eſt, ut illa, quatenus extant, vel uno caule, vel pluribus conveſtiantur. Ita florea ætate aridæ quoque virgæ ſeſe induent in florem. At verò tulipis, quæ concavo ſcapo non ſunt, ordinatè ſtatuendis, peculiarem calathum, modicè cavum, calathiſcis compluribus quatuor digitorum altitudine intextis peropportunè capacem, eodem authore Tranquillo, comparabis: calathi hujuſce fundum myrtaceis ramuſculis floſculiſque præſternes: eodem ornatu conveſtitos quaſillos lectiſſimarum manipulis tuliparum, &, ſi collibitum fuerit, humilioribus quoque florum ramulis infarcies, ut eorum ſilva multicolor excitetur. Concinnior alia, & frequentiùs uſurpata florum diſpoſitio ea eſt. Vimineus orbis peramplus, quantus in dulciariis placentis, quas Martios panes vocant, circunferendis adhiberi ſolet, comparatur. Quatuor in ipſo æquali craſſitudine ac longitudine arundines, pro viminei orbis amplitudine proceræ, in ſummo æquabiliter circunſectæ, in imo bifurcæ, paribus à medio atque inter ſe intervallis, in quadrum, necnon ad lineam defiguntur; tranſmiſſoque per ſingulas inferiùs efforatas lineo vel ferreo filo ſubſuuntur. Arundo cæteris modicè prolixior ad eundem modum media depangitur. Diffiſſis deinde arundinibus, aut

Alter.

Tertius.

len-

lentis ramuſculis, aut funiculis præfixarum quatuor arundinum, ima, media, ſumma pars in orbem trajicitur, aut circunligatur: atque huic etiam ad commenſum circulus interior adjungitur, ne ſtabiliti extrinſecus arundini calami ſumma intrinſecus parte impelli & nutare poſſint. Qui circumjacet planus ambitus, myrteis ramulis confertim aſſutis ita contegitur, ut, craſſiore extremitate ſub imum arundineum circulum nonnihil immiſſa, ultra viminei orbis oram aliquantulum cacumina exporrigantur. Exterior quoque arundineæ turriculæ pars myrti ramis, recto poſitu per ipſos circulos inſertis, æqualiterque circuntonſis, conveſtitur: interior conciſis minutiſque foliis, tres circiter à faſtigio digitos ſubſidentibus, oppletur. Ad hæc ſuper ſubſtrata prominente myrto multiplex & multicolor florum ſeries multiplici ea lege degeritur, nimirum ut unaquæque corona unius & generis & coloris ſit: ut, qui pulcherrimè inter ſe diſſident colores, componantur: vt infimus ordo ultra myrtea cacumina flores porrigat: ut ſuperior ſeries ſummis floribus ad inferioris extremos pertineat, donec introrſus recedens gradata ſtructura ad imam uſque turriculam pertingat: ut florum ſcapi ſupra ſubſutam myrtum extendantur, aut etiam (ſi per proceritatem liceat) ſub imam arundineam coronam recondantur: ut præterea jacentium inter ordines florum alii nobilioris notæ for-

mæque ſtantes flores ordinato reſponſu collocentur. Cæterùm media turrita machina ordinatim diſcoloribus florum faſciis ornatiſſimè diſtinguitur, inſertis ipſorum caulibus & in conveſtientem arundines myrtum, & in penetralis turriculæ congeſtitiam viriditatem. Poſſunt autem flores, qui circulis firmiùs innituntur; decorticatis viminibus in ſcapos (ut ante diximus) immiſſis, tremulo luſu audaciùs prominere, cæteris floribus per anguſtiores circuitus verecundiùs corridentibus, & myrto cohærentibus. Hìc mihi ſtructor præmonendus eſt, ut grandiuſculos ſatiſque conſpicuos flores ſimplici, minutulos & parum ſpectabiles geminata ſerie diſponat. Sed amœniſſimè vernare debet in florea ſtrue faſtigium. Ergo & frondeo farto flores vario ad arbitrium ordine infiguntur, & in ſummis arundinum internodiis fabrè compacti florei faſciculi, ſive triumphantis in urbibus Floræ vexilla formoſiſſima attolluntur. Licebit præterea ipſas arundines arte multimoda collocare, ut innumerabiles formæ ac gentilitia ſæpe inſignia exprimantur. Uſque adeo floribus ædificare plauſibile eſt. Id ædificii prematurè ne corruat, aquulæ frequenti aſperſione ſuſtentabitur.

Alias



FLOREAE POMPAE FERCVLVM TVRRITVM

Alias quoque perelegantes admirandasque moles opere nonnihil diverso è floribus quà colligatis, quà solutis, quà integris, quà etiam concisis excitare cæperunt Fabritius Sbardonus, & Joannes Baptistæ Martellettus, cultorum par, floris non ferendi modo, verùm etiam concinnandi peritum in paucis. Uterque igitur è tabellis virgisque rudem compagem præmolitur: tum singulas ejusdem partes apto flore (sive illæ minutum exigant, sive grandiorem) ita convestit; ut idem illic non apponi, sed nasci debuisse videatur. Vidimus nuper novitate spectaculi Argo vetustæ non concedentem, fabricatam è floribus Navem, cum minimè raptura vellus aureum, sed obsequium auro pretiosius delatura ad meritissimum Principem, Carolum Cardinalem Pium per Urbem vela faceret, secundissima potiùs aura cum admirantium, tum plaudentium, quàm manibus provectam esse gestantium; cui florum genitor Zephyrus libentiùs, quàm cymbis ligneis, aspirabat. Verumenimverò hæ moles operosæ ac peramœnæ, quia citra copiosi assiduique humoris opem facilè arescente strue consurgunt, mox elangueścentis atque dilabidæ floreæ pulchritudinis ruinosa sepulcra, & brevia Mausolea fiunt. Quare, ut recisus atque structilis flos, nempe caduca res, ubivis locatus aquam potet, ac diutius duret, novo artificio & opportu-

Aliæ moles è floribus.

Fabritius Sbardonus. Ioan. Baptista Martellettus.

Vasa floribus immittendis perforata.

Horatius Graſſius.

nam & lepidam excogitavit machinam noſtro ex ordine fertilis ingenii vir, Horatius Graſſius, non in mathematico tantùm, ſed in hortenſi quoque pulvere Archimedes. Hoc enim invento in quancunque figuram poſſunt vaſa deformari, quæ toto licet corpore perforato ſint, nulla tamen ex parte aquam effundant. Age ſubjiciat oculis ipſa deſcriptio, quod animo fortaſſe incredibile videatur. Placet in primis ejuſmodi vas, cujus pars ima in patentis polubri planam capacitatem explicata ſtructuræ ſuperioris planitiem, denſiſſimo ad hortorum invidiam flore diſtinctam, repræſentet; editior verò pars turritum illud pegma, opere itidem floreo exornatum, forma lepidiore victrix æmuletur. Hujuſce igitur vaſis penetrale arcanumque artificium illud eſt, quod pars diſſecta clarè patefacit. Totum enim interius vas quinque vaſculis, ſive conceptaculis, aut infundibulis, & quatuor aut rectis, aut in latus inclinatis ſiphunculis, ad aquam ſenſim transfundendam utrinque perforatis, coagmentatur. Et ſinguli quidem ſiphunculi ſub ima cujuſque vaſculi foramina, ne humor effluat, porriguntur. Poſſunt minore negotio ſummæ vaſculorum oræ ſingulis grandiuſculis crenis ſic demutilari ſimul, & perforari: ut ſuperiore parte inhærens, inferiore verò in labrum ſquamamve porrectus obex prohibeat, ne defluens aqua exteriora per foramina exundet. Aqua è ſummo vaſis ore

defuſa

defusa prius vasculum replet ad summam usque fistulam vel ad crenam, per quam transmissa secundum, parique ratione reliqua opplet conceptacula, donec ex imis humilioris vasculi foraminibus exundans indicio erit, vas totum idoneo alendis floribus humore abundare: qui tamen è toto foraminibus pervio vase non elabitur, quòd ad foramina non pervenit, quæ inditur, aqua; sed, ad summum usque tubulum crenamve repleto superiore conceptaculo, quæ superfluit, per eosdem exitus in subjectum vasculum defluit, ac deinceps in reliqua, usque dum ad infimum descendat; unde tantùm si nimia transfundatur, redundabit. Ipsi autem flores ita collocantur, ut, qui foraminibus inseruntur, perparum emineant; ne conspicui vasis formam adventitius abscondat ornatus. At verò in exporrectis quatuor conchis, quas totidem larvales vultus suffulciunt, singuli florum fasciculi lepidè compacti pulchriore candidis unionibus discolore fœtu decenter extabunt. Media in ore summo amplior & procerior silvula ludibundum in tremorem latè nutantibus floreis capitibus gestiet, suæque ipsa celsiori ac triumphali formositati plaudet. Ejusmodi vas quò grandiùs, eò fuerit etiam hunc in usum opportunius: florum enim densior collocatio, ac diffusior porrectio partium decora singularum non adobruet. Quare palmorum minimùm quatuor altitudinem requirit,

quirit, quemadmodum ſatis edocet ſeorſum addita dimetiens. Illud habeo præterea ſubjiciendum, idem vas; quia & molis magnitudine, & inditi humoris copia, & florum additamento maximè ponderoſum, & caſui obnoxium erit; providentiſſimè factum iri, ſi minimè circunferatur, ſed apta in ſede, unde commodè circunſpici ſuſpicique poſſit, immobile ſtatuatur.

Pate-


AD IMVM EXCIPI
ENDIS FLORIBVS
VAS A SVMMO
RFORATVM

Patefacta ſuperioris vaſis arcana ſtructura inteſtinum columnæ artificium aperit, quo totam triplex foraminum ſpira convulnerat, florea faſcia ſuaviter medicandam. Eadem poteris arte obeliſcum pulchriùs, quàm Aegyptiis notis, inſertis floribus inſcribere. Neque verò minore cum admirabilitate, tum voluptate ſcatebit vas; quod undequaque perforatum plura, quàm ipſa vocalis Fama, pandit ora, ut, quæ volumus, inſignia ſeu notas floreis vocibus eloquatur. Tria hìc obſervabimus: primùm, ut in foramina flores immittantur, qui ſolitarii funduntur è cauliculis: cujus generis ſunt anemonæ, caryophilli, roſæ; nequaquam autem adhibeantur, qui ſingulis è ſcapis multiplici germinatu pendent, ut videre inter cæteros eſt in hyacinthis narciſſiſque. Illi enim, quòd preſsè adhærent, quæ cupimus, diſtinctè notant: hi, quòd immodicè prominent, notata confundunt. Alterum, ut apto ad ea, quæ deſtinavimus, diſcriminanda & exprimenda diſcolores flores ordine collocentur. Poſtremum, ut ſummo ex ore denſior atque explicatior florum copia ſic emineat, ut ſubjecta formoſitas pulcherrimè capilletur. Supereſt jam ferme omnibus id genus vaſis commune, triplex artificium explicandum: ut videlicet, ſi velis conceptaculis ſingulis cum aquæ, tum ſcaporum facilè putreſcentium ſedimentum ſitumque poſſe detergere, tota vaſculorum ſerie extimæ di-

midiæ

midiæ parte hærente, pars altera dimidia (ſi tamen ea lignea ſeu metallica placeat) adapertilis, conſertiſque fibulis nexilis fiat: aut eadem vaſcula medio tereti ſtylo continuata in extimi vaſis theca utrinque ſejuncta, & bipartitò diviſa, itidemque nexili claudantur: aut certè (quod in obeliſco tantùm & columna locum habet) integra pars extima vaſculis inanis elaboretur, deinde vaſculorum ſeries thecæ inanitati par medio perpetuoque ſtylo nexa diſponatur. In adapertili autem vaſe citra ſiphonum crenarumque uſum vaſcula ſingula ſeorſum aqua poterunt repleri.

At





VAS ALIVD PARITER FORAMI
NIBVS PERVIVM FLOREIS
NOTIS INSCRIBENDVM

COLVMNA FLORIBVS IN SPI-
RAM INFIGENDIS PERFORATA









At verò ſiquem magis delectat, in ſimplicioris artificii vaſe digeſtis floribus, ſub tecto, atque adeo intra ipſum conclave parabilem & tranſlatitium hortulum alere; nova forma fictile hic uſurpet, quod & animo primùm mihi finxi, & re ipſa deinde in hunc eundem uſum percommodè uſurpare cœpi. Argillaceum vas placuit. Hoc enim meam mihi originem ſuggerit, ex argilla oriundo: hoc addecet parvo bene viventem, tenuique ditiſſimum. Poteſt argentea, vel aurea locupletiorum efficacitas artificioſo teſtæ hujus imitamento pretioſum illud exhibere prodigium, ut argentum aurumque floreat. Pes modico gyro circunſcriptus nonnihil extuberat: hunc trochilus, ſive canaliculatus orbiculus anguſtat. ſummum trochilum torulus, nempe circulus eminulus coronat: inde uterculus brevi aſcenſu extumeſcens laxiorem tranſit in uterum: amplior trochilus, ſive collum quadantenus introrſum agitur: os prælargum, uteroque ſuppar in labrum nonnihil exporrectum reſupinatur: binæ anſulæ in geminorum anguium ſpiras innocenter minaces retorquentur, quorum capita tortili lapſu labrum, caudæ uterum complectuntur: medios angues ſinuato penduloque tergo in ſpeciem lubricos vario circunplicati volumine anguiculi coërcent. Dicas, appoſitè ſpiris anguineis anſatum eſſe vas, immiſſis floribus exornandum; ut in florida quoque ingenuæ amœnitatis herba anguem latere

intelligas. Operculum in aliquam hemiſphærii ſeu tholi formam ad excipiendos habilem flores incurvum, grandiore foramine in ſummo vertice, minoribus autem in reliquo ambitu alternantibus foraminibus undique pervium eſt floribus inſertandis. Arriſit id genus operculi, quo ad arbitrium detracto, & aqua, ne ſitu computreſcat, vetere univerſa effuſa, recens identidem altero vel tertio quoque die infundi, & extremi florum ſcapi ab humore jam tabeſcentes, nihil prorſus mutata florea ſerie, attonderi poſſunt. Tota verò teſta intus foriſque lævi ac polito albario inducta, extrinſecus Arabum folioſa pictura, quæ veris cum floribus de venuſtate certet, exornatur.

Sed



VAS OPERCVLO MVLTIFORO
AD FLORES ORDINATE CONTINENDOS



Sed iſta florum gloria mutila eſt, ut integri decori ſint: utque turmatim in faſciculos, tanquam ignobilium vulgus herbarum, colligantur. Nobiliores ad uſus imminuti conciſique traducuntur: perque ingenioſa damna, & artifices injurias nova muſivi operis æmulatione illuſtrium virorum vel inſignia, vel etiam facta floridis ſanè coloribus ad jucundam fallaciam ementiuntur. Tertiodecimo abhinc anno floream hanc picturam exhibere cæpit Benedictus Dreus, Vaticanæ fabricæ utenſilibus præfectus, cumque optimæ indolis filio Petro Paulo hac arte quotannis exhibet. Pictam graphidem ad commenſum operis præparat, ut fieri ſolet in emblemate vermiculato: deinde magnitudinis ejuſdem papyrum oleo, quòd è lini ſemine fuerit expreſſum, inungit: eandem ſiccato jam unguine tranſlucidam ipſi graphidi applicat: corporum lineamenta innocenter impreſſo ſtylo circunducit, & acu ſpiſsè trajecta minutim perforat. Æquali præterea telæ, quæ bene intenta, & compactis in quadrum aſſerculis affixa ſit, eam papyrum aptè imponit: atri carbonis pulviſculum in raræ texturæ linteolo conglobatim illigat, & preſsè affrictum per foramina tranſmittit: ſublata papyro, punctim notata in linteo lineamenta penicilli ductu continuat. Ad hæc multicoloris florei paratus quà integris, quà conſectis, prout uſus exiget, foliis artificiosè digeſtis umbram operis, lineis circundu-

Muſivum opus è floribus.

Benedictus Dreus: Petrus Paulus ejus filius.

ctam, ad expictæ graphidis imitamentum colorat. Ita, propter exemplum, oris humani temperatum ruborem caryophillus ex albo ſubrubens appingit: genas roſa ſuo jure occupat, ut eas verè roſeas appellemus: oculorum pupulas cæruleus ille, ſive ſubniger flos infuſcat, quem aliis hyacinthum botryodem ſilveſtrem, alii comoſum minorem vocant, in agrorum marginibus & ſecundum vias naſcentem. Quin etiam idem, qui lumen geminat in capite, toti umbras inducit corpori. Flavet capillus in geniſta: nigrat in cæruleo hyacintho botryode: canet in candido caryophyllo: illuminaturque umbraturque eorundem apta permiſtione florum. Veſtes nobilitat & opulentat colore cæleſti flos regius, qui ab equeſtris calcaris imagine vulgare nomen ſortitur; purpureo ſilveſtre floris rufi papaver, aut ruber caryophyllus: aureo geniſta: viridi myrtus. Uſque adeo ambitioſo labore quæſiti expreſſique in urbibus colores in agris obvii parabileſque ſunt. At verò cæli ſerenitatem cæruleo aſpectu ſimulat prædictus regius flos: pallido nubeculas ſuſpendit roſa Damaſcena, & gelſiminum. Multiplex in hoc opere faciundo proviſio ac diligentia eſt. Locus enim deligitur frigidus & opacus, qui nativos florum colores tueatur. Tempus deſtinatur exponendæ picturæ proximum, ſpatioque circiter bidui breviſſimum, ne minimè vitalis floreus decor ante gloriæ plauſuſque

que

que fructum evanidus conſeneſcat. Diſcolor è floribus tectorium digiti ferè craſſitudine inducitur, ne tenuius dilabatur. Ubi fuerit opus, flos elangueſcens aut dilapſus recentatur. Æquali demum libramento ſupina deſtinatam in ſedem transfertur uno leviter juncta congeſtu ſtructura, ne devergentia illam confundat ac deſtruat. Hoc igitur artificio fabrefacta ſolemnibus Divorum Petri & Pauli feriis ſuſpiciendarum rerum florea ſimulacra in Vaticani ſepulcri ornatiſſimo pavimento ſpectanda proponuntur. Et alii quidem anni gentilia Pontificum inſignia tergemino diademate ac Pontificiis nominibus inſignita: tyrannicarum alii pœnarum etiam in floribus crudelia inſtrumenta: triumphales palmas & coronas alii: cæleſtium alii Legatorum par nobile, Petrum ſcilicet divina poteſtate clavigerum, & Paulum penetrabili eloquio enſiferum, ab ultimo complexu adſupplicium digredientes: alii demum eoſdem uno tumulo compoſitos ea ſtructilis floris arte repræſentarunt; ut in Vaticanæ majeſtatis obſequium citra ullam artem admirabili ſpontis ſuæ pictura pavimenti marmora ipſa vernare viderentur. Poſtremus hic tandem annus eidem Petro arcanam Chriſti Divinitatem ſubmiſsè adoranti, diſertéque profitenti ſolidam beatitatem oris divini oraculo rependit. Et licet utriuſque diverbium dociles flores grandiore ſubjecta litterata pictura eloquerentur; ipſa tamen corporum

florea

florea conformatio tam arguta erat, ut in eadem animi ſenſus voceſque ſentires. Videt igitur jam omnibus annis, & obſtupeſcit ſapientiſſima miratrix Roma feliciter artificioſam audaciam: quando ſine fabuloſis præſtigiis & offuciis licet floribus in Heroas Divoſque transformari. Fuit etiam nuper in celeberrimo confluentium ſpectatorum concurſu, qui ſic plauderet, noſtra, quàm priſca, elegantiùs & efficaciùs ætate ſepulcra floribus conſpergi, quorum vegetis coloribus extinctorum majorum non modò decora, verùm etiam ora reviviſcerent: nec alia decentiùs poſſe, quàm conciſorum purpura florum, Chriſtianæ religionis principes propugnatores, illuſtri cæde purpuratos, expingi, ut piè fortiterque fuſum cruorem vel à funere vernaturum interpretemur. Illud præterea decorum gratumque ſpectaculum eadem nupera ſolemnia exhilaravit; ut flores in amicas Apes, Barberinum inſigne componentes, reformarentur. Hæc autem fuit viſendæ rei ſtructura facillima ſolertis invento juvenis Stephani Sperantii, qui ſub inclyti nominis equite Joanne Laurentio Bernino egregiam navat operam ſtatuariæ. In duobus perpictis vaſis regiæ lauri trunci ſinguli ſic depacti ſunt, ut aliquantulum prominerent. Geminæ utrinque generis ejuſdem folioſæ virgæ adalligatæ connexis cacuminibus ovatum in orbem coiverunt.

Apes è floribus.

Stephanus Sperantius. Io. Laurentius Bernius.

runt. Ad hæc alios è cera, ex herbaceis faſciculis alios Apum typos, dimidiatum ferè palmum longos, gummi Arabica bene perlitos, geniſtæ folia ordinatim adjuncta contexerunt: fuſciores alvi lineas circulatim intercurrentes flos Africanus minor, ſupernè in fulvo rubens, mollique holoſerico villoſus coloravit: capita minutatim inciſus aſphodelus liliaceus obſoleto rubore diſtinxit: oculos rotundavit ſaturo colore purpurea ſcabioſa, quæ fortaſſe Aëtii pſora eſt: membranaceas alas ejuſdem aſphodeli rigida folia porrexerunt: ſurculaceos pedes itidem geniſta calceavit. Ita floridæ ternæ Apes tum imo trunco, tum porrectis hinc inde geminis interioribus ramulis in triangulum, ut in inſigni Barberino viſuntur, inſiſtentes ſi non palato, at certè oculis animiſque ſpectatorum nova voluptate mellificarunt. Iam verò multiplex evulganda ſolertia eſt, qua delicata, & obnoxia florum miſſilia etiam ad oras longè remotas citra corruptionem vitiumque ſpargimus. Minimi laboris, tutelæque magnæ prior eſt, quam non ſemel à me laudatus adhibet Fabritius Sbardonus. Hujus igitur exemplo capſula paratur palmum alta, palmum cum dimidio longa. In ea myrteis ramulis rorulentis, leviterve madidis tenuis torus inſternitur. Super hoc mane lecti cum longis cauliculis, roſcidi, necdum ſatis hiantes flores ita deponuntur, ut ore om-

Matthiol. in Dioſc. l. 4. c. 11.

Ruell. de Nat. ſtirp. l. 3. c. 82.

Ad flores longè mittendos capſula multiplex.

Fabritius Sbardonus.

omnes reſupino cubent, utque ſingulorum capita pedeſque alterno poſitu adjaceant. Interjectum ſpatium breviores floſculi complebunt. Nebellè depoſiti flores vecturæ quaſſu emoti agitatique ſubſultent & collidantur ; proximè florum ſcaporumque juncturas vtrinque foratis trajectiſque binis adverſis capſulæ aſſeribus tranſverſi ſurculi induantur, qui floribus ſub jugum miſſis modico innocentique preſſu evagandi coërceant libertatem. Hoc artificio è myrto floribuſque alterna tabulata uſque in ſummum diſpoſita ſuperpoſitis myrti ramuſculis conteguntur. Operculum denique, minuto nonnullo foramine ſalubrem auram tranſmiſſurum, imponitur. Non placent myrti loco à nonnullis adhiberi ſolita braſſicæ folia : quia paucos intra dies mucida & olida ſuum incluſos in flores vitium viruſque tranſfundunt. Paulò alii operoſius flores in faſciculos, ima ſummaque parte prorſus æquatos, componunt : caules in capulum coactos, & arborum muſco involutos colligant : binos deinde ternoſve faſciculos, alterno (uti jam diximus) ordine collocant, infixiſque in tranſverſum viminibus modicè interſtringunt : ſimplici multiplicive ſerie diſponunt : intervacãtes lacunas muſco explent : eundem etiam, ſeu myrtum ſuperinducunt ; & capſulam bene operculant. Frãciſcus Caſtellus Mantuanus, flo-

Franciſcus Caſtellus.


rea .

rea in re vir exercitatissimus, ita flores peregrinari docet. Fagineis asseribus modicè crassis capsulam, prout usus postulat, latam & oblongam, altero angustiore latere operculandam, compingi jubet: illud etiam præcipit, ut è quatuor, qui porriguntur in longitudinem, assibus adversi duo vel medio utrinque intercurrente sectili sulco, vel binis affixis ligneis regulis canaliculati alium insertum ambulatorium asserem, singulari multiplicive grandiore foramine, immittendis floribus idoneo, pervium excipiant. Post hoc flores nondum planè maturos vel pridie, vel exiguò antè, quàm mittantur, in unum pluresve fasciculos colligit, &, si expedire videatur, aliquandiu habet in aqua, ut humidum bibulis caulibus alimentum trahant. Fasciculi cujusque capulum plurimo acidorum fructuum circundato duriusculo folio præmunit, ne lini arctior nexus penetret atque insecet caules. Eundem capulum pro capsulæ latitudine æqualiter attondet. Ipsos denique fasciculos in foramina sic inserit, ut alterius fasciculi flores capulo alterius è regione respondeant; ne inter se contingant, neve mutuò allidantur. Operculum tandem clavulis configit, mandatque tabellario, ut ipsam capsulam ex ephippio suspendat in longum; eandemque stantem pervehat, non jacentem.

Sic

Sic ille flores inconcuſſos atque incolumes hibernis potiſſimùm menſibus, quò fuerint deſtinati, tranſmittit.

Florum


AMBVLATORIO ASSERE FLORES
CAPSVLA
TRANSFERENS



Florum ſiccitas vivax, & veriſimile mendacium.

CAPVT II.

ET hoc poteſt induſtria, ut floris, nempe diurnæ caducæque rei aridum ipſum cadaver, atque adeo mendax umbra diurnet ac perennet. Si velis igitur diurnos floſculos nullo negotio facere diuturnos, reſectoſque à vitali radicis nexu ad ſimillimam vivorum faciem condire; novam diſce paratioremque unguentis Ægyptiacis condituram, quam paucos ante annos in Germania ex parte uſurpatam ita perficies. In labrum fictile cupreumve, ſive in alveum ligneum cribratæ arenæ tantum conjicies, quantum ad vaſis dimidium perveniat: deinde aquam illimem & liquidam uſque ad ejus fauces infundes, & lignea rudicula peragitabis miſcebiſque, ut, ſiquid ineſt fimi pinguioriſque terræ, eluatur: cum arena ſiderit, è declivi vaſe obturbatam aquam effundes: ſic toties arenam lavabis, donec aqua limpida & pellucida ſuperemineat. Tum emundatam elutamque arenam in ſole tandiu patieris eſſe; dum, quiſquis ex aqua remanſit humor, aſſiccetur. Cum hoc modo emundaveris, ſuum cuique flori vas longitudine ac latitudine congruenti

Florum conſervatio ac arena.

Ioan. Rudolph. Camerar. Sylloges Memorabil. medic. & mirabil. nat. arcan. cent 9. part 95.

præparabis vel ex argilla, vel certè è ferri ſtanneo tectorio dealbati prætenui lentaque lamina. Flores deinde leges abſoluta maturaque formoſitate præſtantes, humore nullo perfuſos, prolixis, ut voles, caulibus manubriatos: eoſque altera manu ſummatim ac leviter prehenſos ſuſpenſoſque in vaſa ita demittes, ut infra eorum oras binos ternoſve digitos deſcendant, utque ipſi nulla ex parte vaſa contingant: manu verò altera paulatim arenam ingeres eatenus, quoad totos caules obtexeris: tum ipſos flores aptè compoſitos, modicéque diductos leni arenæ injectu cautè adobrues. Unam præterea tulipa exigit operam, ut, quod è medio extuberat triangulare caput, præcidatur: ſic enim floris folia ſcapo pertinacùs hærebunt. Ita oppleta vaſa ſub inſolata porticu per unum alterumve menſem habebis: floreſque tandem eximes viridi ficcitate recentibus non abſimiles, uno tamen odorato halitu, ſuavique anima deſtitutos, quibus ad arbitrium ſolutis connexiſque alieno etiam tempore perfrueris. Brevior alia florum conditura. In aquam è ſalibus acerrimam, quam chryſulcam vocant, intingitur flos, adeoque innoxius & vegetus conſervatur, ut, ſi prior maneret mollities, recentiſſimus videri poſſet. Jam verò ut librorum monumentis citra ſcriptionis laborem flores ipſos æternes, Adrianum Spigelium, hiemales hortos, ſive ſtirpibus agglutinatis quovis tempore ver-

Id Camerar. ibid.

Conglutinatio.
Iſago. in rem herbariam l. 1. c. 58.

vernantia volumina instituentem audi: cujusque generis unum, aut pro colorum maculorumque varietate plures flores unà cum scapis, adnatoque foliorum aliquo, necnon maturo cum semine (si possit id colligi) succide: succisos pro naturali situ inter inoffensi lævoris paginas bellè colloca. Emporeticam enim bibulamque chartam licet hunc in usum plerique adhibeant, minùs tamen utilem ostendit experientia: quòd exucti humoris herbacei apprimè tenax interpositas plantas ægrè siccat, inductoque sæpe mucore corrumpit. Idonea papyro inclusas herbas in volumen insere compluribus paginis crassum & peramplum, quod videlicet chartæ easdem herbas includentis magnitudinem exæquet. Pondus præterea superimpone, quo, tanquam torculari, paulatim urgente innocenter planta comprimatur. Quare premendis herbis validum & prægrave pondus cavendum est, priusquam aquosior humor herbaceus magna ex parte exaruerit. Subinde autem plus ponderis adjicietur. Et primò quidem minimo, dum plantæ flavescant (quod æstivo tempore triduo vel quatriduo contingere consuevit) deinde graviore, ad extremum gravissimo pondere opus erit, ubi prope jam arentibus humoris perpaulum superfuerit. Illud etiam curiosè curandum est, ut nullo non die easdem inspicias versesque: & plicaturas, siquæ appareant, explices: floresque & folia ita con-

ſtituas, ut conſpici utrinque poſſint: chartam præterea mutes, uſque dum peraruerint. Aridæ jam plantæ paginis interjectæ ſicco loco ſervabuntur, donec aridarum numerus admodum excreverit. Hac arte ſiccatas, atque interpreſſas papyro agglutinabis. Aptiſſimum gluten ita conficitur. Glutinis taurini pellucidi, quod Germanicum vocant, vncia ſex aſperrimi aceti unciis maceratur noctem unam: tum igne lento liquatur: igne ſubductum nonnihil refrigeſcere ſinitur: ſtatimque adjiciuntur aloes hepaticæ drachma dimidia, & aromatici caryophylli in pulverem contriti ſcrupulus; ac probè miſcentur. Ad hæc variæ magnitudinis penicilla pro magnitudine ſtirpium in promptu erunt. Plantam igitur agglutinandam ſuper viliorem chartam expandes: glutine oblines: ſublatam deinde candidæ paginæ impones: aliaque ſuperpoſita papyro arctè atque æquabiliter affricando premes, ut ex toto adhæreſcat. Eandem præterea plantam binas inter paginas libro habebis incluſam, prægravi pondere ſuperaddito, donec ipſa penitùs aſſicceſcat: id autem unius aut alterius horæ ſpatio eveniet. Mox ad volumen conficiendum inde auferes. Scire hìc licet non eundem agendi tenorem cum qualibet eſſe ſtirpe promiſcuè ſervandum. Quædam enim ſunt, quæ propter ſucci aquoſioris copiam difficulter areſcunt, ex facili putreſcunt, & folia dimittunt, aut

ea

ea decolorant corrugantque: quo in genere sempervivum ac telephium reponitur. Ejusmodi herbas, dum virent, glutino chartis adjungere satius est: priùs tamen oportet geminis intersitas paginis in volumen indere, ac temperato ponduſculi pressu leviter calcare, quoad flaccidæ flexilesque fiant, & facilè possint agglutinari. Sua singulis jam agglutinatis herbis nomina præscribantur: utque singularum expedita inventio sit, elementario literarum ordine digestæ apto volumine coagmententur. Id ego voluminis curiosè pervolutavi Palatinorum inter librorum erudita spolia, quibus tam felix, quàm pius, Bojorum Dux, & Romani Septemvir Imperii, Maximilianus à Pragensi atque Heidelbergensi victoria Vaticanam bibliothecam, nempe Sapientiæ Capitolium, locupletavit. Visuntur quoque Bononiæ nobilissima in bibliotheca, amplissimis magistratus ædibus adjuncta, lectissimis plantis glutino sociatis compacti libri complures, quos cum cæteris ingenii sui monumentis literatæ hæreditatis nomine sapientissimæ patriæ legavit vir optimis disciplinis ornatissimus Ulysses Aldourandus. Visuntur Neapoli, codices permulti consimiles in Ferdinandi Imperati herbarum peritissimi musæo, peregrina planéque admirabili rei naturalis & medicæ supellectile instructissimo. Ut arefactæ in paginis, quàm virentes in hortis, plantæ diutius ac feliciùs vernare

Maximilianus Bojorum Dux.

Vlysses Aldourandus.

Vſus in menſis. videantur. Juvat nonnullos in ipſa menſarum dapali meſſe ver iſtud arido flore immortale ad voluptatem geminandam aliena tempeſtate repræſentare. Quare accommodatos potiſſimùm flores in umbra ſiccant, flavam nempe geniſtam, puniceum balauſtium, & cæruleum delphinium: ut inter palati gaudia oculis quoque pulcherrimi

Conditura. colores epulandi exhibeantur. Sed mortalium delicatæ aviditati parum fuerat floreas delicias delibare aſpectu, niſi etiam ore devoraret. Igitur in ſacchari vernaculo nectare conditi flores quàm facili, tam ſuavi mutatione demigrant in fructus, ſalubrem amaritudinem nimis faſtidienti poſteritati dulciſſimè medicatos. Etſanè decuit, flores, dum viverent, mortalibus liberaliter melleos, poſt interitum dulci ſepulcro condi pariter, &

Aqua ſtillatitia. condiri. Quin etiam ipſe didicit ignis è floribus, quos exiccat & perurit, aquam fundere odorato ſpiritu vitalem: cumque ſtillatitiis florum lacrimis

Imitatio multiplex. manſuram voluptatem eliquare. Jam verò, quòd ætate florea nobilium pictorum vernante artificio perbellè colores tranſeunt in flores, delectant alios colorata florum mendacia, quæ gratum oculis fucum faciunt, dum vel egregiè depictis vaſculis manipulatim adjuncta multiplicium tabularum penſili ſpectaculo ædes perornant; vel punctim illito membranis colore ſingulatim elaborata hortenſi volumine, ſive horto plicatili continentur.

tur. Sed nullus magis conſpicuis florum characteribus circunfertur inſcriptus liber, quàm qui Eyſtadienſis horti pulcherrimas plantas ad naturalem magnitudinem affabrè inciſas repræſentat. Ut illæ in chartis, hoc eſt in ſolo gloriæ, quàm in gleba Germaniæ, perenniores longè ſpecioſiùs efloreſcant. Quòd ſi quamvis pingendi rudis plantas, quæ tamen aſperæ, ſpinoſæ, præduræve non ſint, velis ad vivum expingere atque adeo exprimere; ſic facito. Aſſeri probè lævigato atramentum typographorum leviter ac ſummatim illinito eorundem pulvillo manubriato. Super hunc aſſerem plantam aut virentem, aut arentem; aut integram, ſi par excepturæ paginæ ſit, aut diſpertitam, ſi major, expandito. Deinde chartam ſuperponito, validéque defricato, donec atramento planta ſatis imbuta ſit. Ab aſſere ſublatam ipſi paginæ, in qua effigies imprimenda eſt, imponito: aliaque ſuperimpoſita papyro, manu linteoque confricato, uſque dum ad imaginem imprimendam exprimendamque ſatis eſſe videatur. Sed coloribus vivos flores mentiri vulgare miraculum eſt. Illud potiùs mirari decet, veris floribus florea mendacia eleganter colorari. Recens & lepidum inventum eſt, ut ſe ipſi flores expingant. Coloris igitur florem imitaturi vice floreum ejuſdem coloris folium, pro picturæ inducendæ magnitudine figuraque vel integrum

Eyſtadienſis hortus.

Adrian. Spigel. ibid. c. 57.

vel diſſectum, Arabico gummi expingendæ tabellæ ſeu pagellæ agglutinatur. Eminentiæ, umbræque, atque adeo reliqua picturæ parerga colorum artificioſo ductu tam bellè adjunguntur: ut non facilè arbitreris, utrum ars, an potiùs natura debeat operi ſubſcribere, Faciebat. Ejuſmodi ego picturam biformi artificio formoſam, & commoliti auri ductili nitore inſuper colluſtratam vidi apud equitem Caſſianum à Puteo, virum inter cætera ornamenta tum clariſſimi generis, tum ditiſſimæ domus, tum lectiſſimæ bibliothecæ, tum locupletiſſimi muſæi, tum cultiſſimi animi, ſingulari quadam ad omnes homines demerendos benefica ſuavitate conditum. Ut minimè mirum ſit, nobiliſſimi viri ſuaviſſimam virtutem Barberinis Apibus eſſe chariſſimam, quibus cordi eſt quicquid mel ſapit. Ipſi, meus labor, flores hortenſes regnatricum Apum mellificam benevolentiam eidem conciliatrici acceptam referunt comitati, quæ meis floribus potuit efficaci commendatione ſuæ illecebram ſuavitatis afflare. Ejuſdem non diſſimulanda ſilentio eſt prolixa liberalitas: ut in florifero cultu arcana atque in primis admiranda experimenta mecum communicata maluerit prodeſſe palàm ac delectare, quàm eruditionis ſuæ ſplendida latebra avarè occultari. Convertit jam in ſe oculos plauſuſque noſtros Belgicæ ſolertiæ in re florea naturam provocans

Caſſianus à Puteo.

arti-

artificium: flores enim, quos indoli ſuæ amœniſſimæ ſimillimos in hortis curiosè colit Belgarum natio cultiſſima, tam decora fraude concinnat è ſerico; ut putes, non ingenioſi hominis manu, ſed ſolertiſſimi ſerici vermis naturali opificio contextos: ut idem habeat, ubi tandem in papilionem converſus decenter inſideat. Sericum igitur non intortum, ſed flaccidum, pro flore foliove imitando varium, approbè pexum explicatumque, limpida gummi oblinitur, ut rigeſcat. Exinde ad commenſum exprimendarum partium plures in partes conciditur. Quas criſpari oportet, illæ priùs humefactæ tepido calamiſtro vibrantur. Aptæ demum inter ſe feliciſſimo dolo coagmentantur, ſerico villo floream lanuginem Americani potiſſimùm floris ac tulipæ ſimulante.

Arcana florum cultura.

CAPVT III.

INertem eſſe artem cenſeo, aut certè victricis palmæ jactura minùs laudabilem, quæ naturam ſic æmuletur, ut pari gradu graſſari ad laudem, non autem prævertere contendat. Quamobrem florum eſt, quæ hominum ore frequenter effunditur, juſtiſſima querela, cultorum ſcilicet pleroſque novis quotidie floribus comparandis invigi-

vigilare, in iis verò, quos comparaverint, ingenioſo artificio perficiendis connivere; hoc eſt in vulgari cultura ſatis ſolicitos, in præſtantiſſima eſſe penitùs incurioſos. Et ſanè, ſi pulcherrimum in hoc ſtudium incumberemus, florea miracula, quæ magno foris impendio conquirimus, paratiora domi ac præſtantiora inveniremus. Quòd ſi cultrix induſtria à duriſſimo arborum ingenio inſitivos alienoſque fructus feliciter exigit: quidni eadem à mitiſſima florum indole novas oculorum nariumque delicias exoret? Libet igitur florei decoris mangonem agere, ut hortenſes ephebi decentioris formæ inſolito lenocinio in admirationem amoremque ſui vel ipſam criticorum effaſcinent ſeveritatem. Libet ſupra naturæ vernantis morem artificioſa miracula audere: ne voluptariæ culturæ pars jucundiſſima deſideretur. Tempeſtivas commendabili audaciæ ſuppetias fert, quæ chymicam ſapientiam ab eruditis latibulis hortenſem educit in lucem, Andreæ Capranicæ cum genere, tum eruditione nobiliſſimi, planéque Romani viri academico in conſeſſu cum plauſu audita vox. Cum tria ſint, inquit ille, naturalis commiſtionis elementa, nempe Mercurius, ſive glutinoſus terræ humor, quem Chymici paſſivum dicunt; ſal, ſive ſemen actuoſum, naturamque conſtituens; ſulphur denique, hoc eſt ſulphurea quædam vis præparans atque conjungens: imitatrix natu-

Arcana florum cultura miraculorũ ferax.

Andreæ Capranicæ hortenſis diſputatio.

ræ ſolertia in hortis ingenioſa miracula triplici pariter, eoque parabili præſidio efficiet. Nam interfectarum pecudum ſanguine Mercurium ſupplente, ac Mercurialem terræ ſuccum minùs validum adjuvante florum corpuſcula mirum in modum amplificabit; hircino tamen, utpote nimia ſiccitate inepto, abſtinebit: cineribus, tanquam fœcundo ſalacique ſale, cum ipſo ſanguine commiſtis numeroſos partus excludet: fimo tandem ſulphur æmulante cum celeriter maturabit, tum variè colorabit. Verùm, ut à minutioribus initiis major exiſtat admiratio & voluptas, prædictorum medicaminum vires, ſive quintas (ut vocant) eſſentias, aqua vitis præmacerante atque exugente extractas, ac diſtillarii fervida opera in anguſtum contractas, adeoque vehementiores adhibere præſtiterit. Attentiſſimè tamen cuſtodire oportet, ne perurentibus hiſce medicaminibus radices ipſæ contingantur; ſed ut interjecta modica humo innocenter ad partum incaleſcant. Cum autem pro caloris omnia temperantis gradata temperie ipſorum portio & menſura medicamentorum adhibenda ſit; dimetiendo lætaminis potiſſimùm calori perutilis fuerit productiſſimo collo, & occluſo penitùs oſculo ampulla, quæ variatim calido contactu incluſam aquam gradatim aſcendentem deſcendentemque demonſtrat. Sic ille. Sic autem teſtes oculati complures: In Hetruriæ op- Conſitio mira.

oppido celebri, cui vernaculum nomen Aquapendens, ingenioſus hortuli cultor, aurifex, ut in auro, ſic in agro ſplendidus faber, jucundiſſimum illud prodigium arcanis elementis conflat, ut in anguſtiſſimam glebam, calice modico, aut ejuſdem amplitudinis fictili vaſculo, aut etiam cochleæ teſta incluſam depactus arboris frugiferæ ſurculus terna minimùm vel quaterna juſtæ magnitudinis, & nativi ſaporis poma inducat, ac decennium circiter duret: quod agreſte miraculum (nîſi fallit fama) ad floriferos ſurculos facilè videtur poſſe transferri.

Lætificādi plantas rātio duplex.

Sic præterea in hortenſi re multùm callentes alii: Ut plantæ lætiores proſiliant ac vernent; ſui generis cineribus terræ permiſtis, aut certé columbino fimo cum aqua in ſole tepefacta pabulandæ ſunt. Quanquam poſterius hoc pabulum bulboſis tuberoſiſque radicibus, vitio & corruptioni opportunis, periculosè apponitur. Sic demum ego: Quoniam artis hujus mangonicæ atque ornatricis arcana medicamenta & adhuc multa excogitata ſunt, & plura in poſterum excogitari poſſunt; non eſt mihi propoſitum rem infinitam æquare velle dicendo, ſed aliqua præmonſtrare, tum ut cupidis facem præferam, tum ut deſides ad curam pulcherrimam incendam.

In floribus admiranda.

In floribus hæc amamus amœna prodigia, tempeſtivitatis vices arbitrarias, coloris nitelam novam, odoris gravitatem emendatam aut inſolitam ſuavitatem conciliatam, & multi-

tiformem formæ varietatem. Quadripartitæ hujuſce artis ſecretiora præcepta, ſeorſum & capitulatim tradenda, jam accipe.

Arbitarria florum tempeſtivitas.

CAPVT IV.

QUod ſumma in animis virtus, hoc imitatrix in hortis cultura perficit, ut ſicut vir, ſic flos omnium horarum ſit; ſive ut, modò anticipata, modò dilata, modò continuata cujuſlibet floris tempeſtivitate, vere arbitrario perfruamur. Igitur ſi roſam exempli cauſa (quod enim uni convenit flori, transferri commodè ad plures poteſt) vernare temporius voles: properato circra extremum Octobrem ſatu, intra fictile ſolo ſuccreto, & fimi admiſtione tenero humectoque inhumabis: calida bis quotidie rigabis, & fovebis: ventoſis, nimiumque pluvialibus diebus intra tectum ſubduces: pernoctare ſub dio non permittes: ubi gelicidia hibernique imbres deſierint, ac diei apricitas invitarit, vitalem ſolis in lucem proferes: ubi verni teporis prima illecebra germinum primitias evocarit, calidiorem affundes aquam. Ita fiet, ut veris florum noviſſima roſa prior efflorescat. Unum imminere periculum monuit experientia, ne, violenter præfeſtinato fœtu, mater effœta præmoriatur. Tanti tamen fecere culturam iſtam

Flores properati.

iſtam veteres magiſtri, ut eam litteris commendatam poſteritati præmonſtrarint. Effoſſa igitur circa radicem (ut Plinius docet) pedali (ut Didymus & Palladius) bipalmi ſcrobe; & matutina veſpertinaque calidæ irrigatione quotidie iterata ſerotinus roſæ flos ſolicitabitur. Si præterea cupis Tiberii præmaturum auguſtum cucumerarium nobili, mobilique, atque adeo ambulatorio roſeto æmulari: confecta bruma ſtercoratam terram cophinis aut fictilibus inditam roſarum radicibus obſeres, modicumque præbebis humorem. Eodem obſita vaſa tepidis & inſolatis diebus juxta ædificium promovebis in ſolem, ut ab afflatu noxio protegantur: frigidis autem, & procelloſis, necnon in veſperam inclinatis ſub tectum referes: quin etiam per ſerena frigora intra ſpecularium minimenta recipies, quæ ſalubres radios admittant, gelidam uredinem excludant. Ubi ab æquinoctio verno planè annus intepuit, totos cophinos aut fictilia ſummis tenus oris infodies: fontanam aquam ſitientibus irrorabis. Quòd ſi reſectam è roſæ frutice gemmam hiulco amygdalæ cortici uſitata inſeret emplaſtratio; præflorens arbor floreas gemmas, roſas, verno per hiemem fœnore repræſentabit. Si more majorum Quiritum placet, natalitio anni menſe Januario iniri à roſis conſularem ac regium inter flores purpuræ magiſtratum; Democritum audi docentem, roſarum

Nat. hiſt. l. 21. c. 4.

Apud Conſtant. Pogo. de agricult. l. 11. c. 19.

De re ruſt. Februar. ſine l. 3. tit. 21.

Apud eund. Conſtant. ibid.

ſtir-

ſtirpes æſtivis menſibus bis eſſe per dies ſingulos irrigandas. Cæterùm vernos æſtivoſque flores hieme citabunt quæ calida ſunt, & pinguia, necnon tenuia, velut detractis folliculis vinacea, exemptis officulis olivarum recrementa, & fimus, præſertim equinus, identidem ſuffectus. Ita ſi ſub Octobris calendas caryophyllum, violam, ac generis hujuſce plantas, detruncatis ſubinde germinibus mutilas, cum radicibus, in harum aliqua efficacium ſordium obrues: è vitali ſepulcro inter nivalem brumæ ſqualorem vividus ac nitidus florum partus exiſtet. Quanquam exhauſtis nimia fœcunditate viribus floridæ cum fœtibus matres frequenter intereunt. Denique quodcunque ſemen inditum ſcillæ fuerit, acerrimo bulbi calore feracitatem proritante, celeriùs germinabit. Ut autem ſeram inter nives colligas roſam, ipſos frutices, cum primùm egerminant, in aliud ſolum modò ne incommodum, transfer: nam primam illi confirmandis viribus, ultimam fundendis floribus operam dabunt. Ut ſuis cum pomis ſerotino roſarum vere bis fertilem ſe malus demiretur; roſeis eam oculis callidus inſitor Florentini monitu inoculet. Sed leviore opera roſam præſertim & caryophyllum ſeros cogit ad flores vulgaris induſtria, dum prima germina in calyculos extuberantia digitis decutit: plantaria ipſa æſtivum producit in ſolem: crebra etiam rigatione fovet, ne perareſcant.

Card. de Variet. l. 13. c. 66.

Retardati. *Io. Bapt. Porta Villa l. 9. c. 5. Mag. nat. l. 3. c. 10.*

Apud eund. Conſtant. ibid. Porta Magn. nat. ibid.

Re-

Retardatus enim collectuſque genitalis humor novis identidem cauliculis floribuſque, alieno tempore jucundioribus, vehementiùs atque uberiùs eluxuriabitur. At verò (ut author eſt Anatolius) flores cum cæteri, tum lilia nominatim variis ſubinde temporibus exiſtent; ſi radicum alias in duodenos, in octonos alias, alias demum in quaternos digitos deponamus. Eadem quoque lilia commodè perennabunt; ſi, dum adhuc occluſo foliorum oſculo ſilent, ſuis innixa ſcapis colligamus, atque in recentia fictilia non picata impoſito diligenter operculo recondamus. Cum enim interjecto tempore è tenebris promentur in ſolem, optatam quaſi lucem ſalutatura, pulcherrimè oſcitabunt. Non invidebunt liliis roſæ vegetam perennitatem, ſi Didymum audiamus, qui menſibus eas omnibus ſub cælo clementiore promittit; dum tamen ſingulis pangantur, ſtercorentur, irrigentur. Non abſimilis cultura toto floridas anno (ut præmonſtravi) anemonas feret. Sed breviſſimi floſculi violenter diuturna voluptas carè, nempe radicum vel exitio vel macie ſtabit. Roſam, quæ, licet materno hæreat frutici, cum ſole naſcitur occiditque, varii, quamvis reciſam, vario artificio annuam faciunt. Didymus in amurcam uſque eò mergit, ut liquor ſupernatet. Alii adhuc herbeſcentem hordei ſegetem cum radicibus evulſam in labrum fictile non picatum demittunt, roſeoſque

Continuati.

Apud Conſtant. Pog. l. 11. c. 21.

Apud eũd. l. 11. c. 19.

cap. 11.

Apud eũd. Conſtant. ibid.

que calyces ſuperingeſtos eadem herba protegunt ac tuentur. Alii virens hordeum pavito loco ſubſternunt, roſaſque ſuperinjiciunt. Sunt, qui turgentes alabaſtros in viridis hærentiſque ſolo arundinis cavum internodium diffiſſo nodo concludant: & papyro fiſſuram leniter obſtringant, ut ſit, quà theca arundinea interſpiret: vbi verò libitum fuerit, ex eadem reciſa arundine roſeum partum excludant, & aqua egelida foveant, ut dehiſcat. Sunt præterea, qui ſucciſos, linoque circunligatos calyces, ipſo reciſionis vulnere liquida pice illito, immittant in arundinem, eamque, ore cera obſtructo, aut potiùs bene picato, ſub dio in declivi ſolo defodiant, ne penetrans pluvia corrumpat. Tu verò ſic præterea roſarum conſulito diuturnitati. Flores ſemhiulcos ſub veſperam ferro præcidito: manu ne tangito: ſerena nocte ſub dio habeto: mane in fictile, cremati redactique in pulverem plumbi atque argillæ intrita perlitum, & incoctile, atque adeo madori nimio impervium, condito: idem obturato: ſicca in arena obruito. Aut certè ſiccatas roſas roſa ſtillatitia madefacito: tum in fictili labello diebus quinque defoſſas conſervato. Proderit quoque roſas in ollam rudem abdere, eandemque bene operculatam ſub cælo inhumare. Proderit vas querneum cum floribus cæteris, tum præcipuè roſis, quę nondum oſcitent, opplēre: probè operculare & picare, ne qua rima humori pateat: putealibus

Apud eund. ibid. Pallad. Majo. ſive de reruſt. l. 6. tit. 17.

Card. de Variet. l. 13. c. 66.

Id. ibid.

deinde, aut ciſterninis, aut potiùs profluentibus aquis, utpote minùs vitiantibus, immergere, atque ita perdiu incolumes flores aſſervare: ubi verò eductos dehiſcere volueris, malo pediculum infigere, vel ipſos aceto perfundere, ſolique oſtendere. Vegetas denique ac recentes roſas hoc modo cuſtodies. Vini & ſalis quantum ſat eſt in ollam infundes: eandem roſis nondum hiantibus implebis: operculo adoperies: in cella repones: cum voles, ollares roſas eximes: in ſolis aut fornacis tepore expones, ut diducantur. Illæ autem perinde formoſæ recenteſque videbuntur, quaſi tunc hortenſis terra, non coctilis argilla peperiſſet. Atque ſic demum inter ollas verſari decorum eſt. Amaranthus, inter caducos flores immortale miraculum, aqua madefactus riviviſcit, & hiberna ſerta contexit. Reciſus etiam, & lento furni vapore ſiccatus coronarios in uſus reponitur. Uſque adeo vivax eſt, ut & nominis & pulchritudinis immortalitatem demerſus ambuſtuſque tueatur. Verùm ut hujus diſciplinæ capita ipſa ſummatim ac diſtinctè complectamur: aliena flores tempeſtate vernare cogemus aut germinis retentione, aut loci calore, aut alimenti pinguedine, congruentique temperie. Cita enim retentio tempeſtivam fœcunditatem ſeros reſervat & laxat in partus: penetrabilis calor meatus aperit, ac præcocem elicit amœnitatem: alibilis pinguedo, atque temperies ad veris

Plin. l. 21. c. 8. Ioan. Ruel. de Nat. ſtirp. l. 2. c. 20.

Arbitrariæ tempeſtivitatis ratio multiplex. *Cardan.. ibid.*

veris intempestivi floream luxuriem vires impetumque sufficiunt. Ea igitur est hortensis artis potentia, ut mortalium, usitatas delicias fastidientium, delicatæ voluptati consulens constanti lege naturæ constitutas temporum vices, annuasque tempestates libero vagoque vere permutet. Placet jam decoram voluptatem hanc jucundiorem facere condimento salis factitii, statim eliciendis alieno etiam tempore rosis præsentissimi, quem ego salem è Petri Joannis Fabri, Monpelliensis medici, Palladio, & Myrothecio Spagirico in Floræ meæ beneficinm deprompsi. Principiò complu-

Sal Chymicus arbitrariis floribus eliciendis:

Petr. Ioan. Faber.
Pallad. c. 3.
Myroth. l. 2. c. 3.

ribus rosarum fruticibus crematis & cinefactis, residuus cinis ad quindecim aut viginti libras colligetur. Ex eodem cinere, cum roris aut imbris cælesti aqua infervefacto, lixivium fiet. Tum è lana coacta tæniolæ, altera quidem parte in ejusdem lixivii vas demissæ, altera verò in vas alterum propendentes, ductum ad se lixivii liquorem ad liquidum percolabunt: aut certè laneus lineusve pannus percolantem consutus in saccum, sive emporetica & bibula charta in cucullum convoluta, velut colo transmissum, defæcabit. Ut autem totus unica opera sal eliciatur, in singulas cineris libras denæ vel duodenæ humoris ejusdem adjicientur. Ad hæc in aheno lixivium sinetur exhalare usque adeo, donec sal incipiat apparere: qui cum lixivio trajicietur in vas vitreum, seu terrenum, fi-

guli tectorio lævigatum; ne ſicceſcens in æneo ſal vitioſo metalli odore imbuatur. Transfuſus lento igne, aut æſtatis igneo in ſole bene ſiccabitur. Siccatum ſalem oportet iterum in fictili fuſuræ catino temperato vapore ad inſtar calcis excoquere, ac ſedulò cuſtodire, ne liqueſcat: quia vis ejus omnis evaneſceret. Debet igitur validè incandeſcere: tum aut rorato aut pluvio humore macerari, & ſupradicto more percolari, ut liquidior fiat: deinde vel in unum vitreum vas, vel in plura defundi; atque in ſole, ſeu lenta pruna ſiccari. Idque ſepties aut octies opus iterabitur, quoad ipſe ſal candidiſſimus & limpidiſſimus reddatur. Exinde roſtrato è diſtillarii vaſe, vitreo tamen, non autem plumbeo, quod ab Arabico fonte derivata voce Alembicum appellant, ſtillata roſa in tabem liquandus eſt, tum lentè ſiccandus: denique igneo roſarum vapore ſtillatitio, qui vulgò ſpiritus dicitur, reſolvendus. Hanc verò quintam è roſis naturam ſic exprimes. Roſas complures in vitreum œnophorum peramplum communi aqua roſacea ſemiplenum conjicies: ſummum vaſis os operculo itidem vitreo bene obſtrues: in fornaculam condes: omnia lento cinerum tepore quinque vel ſex horas inferveſacies: extillantem humorem ſubdito excipulo colliges: eundemque in vas primum refundes, cum illud refrixerit. Roſarum præterea tum florem, tum liquorem eodem ex œnophoro educes,

om-

omnemque vehementi preſſura ſuccum elicies: eum in idem vas defundes, recenteſque roſas adjicies: ut ſimul omnia quinquies aut ſexies inferveant, facies: tum prædictum ſuccum eodem vaſe probè operculato concluſum quinquaginta aut ſexaginta dies fermenteſcere patieris in cella vinaria. Lento denique cinerum calore igneus atque æthereus vapor, ſive ſpiritus ardentis aquæ modo ſtillatim elicietur odoratiſſimus, & veluti liquato in aquam igne vim habens adurendi. Hoc ardentiſſimo liquore ſal ſupradictus reſolvetur an diſtabeſcet. Ut igitur extemporalis roſa quidvis anni ad arbitrium exiſtat: ejus potentiſſimi medicaminis aliquantum ipſis fruticis radicibus affundetur: perfuſa pars communi cinere cum terra commiſto coaggerabitur. Neque verò adeo medicatus liquor unis evocandis roſis, ſed multis quoque cum totius corporis, tum præcipuè capitis morbis depellendis opportunus eſt, ſi ſorbeatur cochlearis menſura. Et adhuc quidem luſit in roſa: majore nunc miraculo, quos enecat, ad vitam revocat flores, quæ Naturæ à ſecretis eſt, innocens & ingenua Magia. Etenim quancunque virentem vernantemque ſtirpem ſeminis fertilem radicitus revellit; concrematam in cinerem, nitroſumque ſalem peritè redigit. Ejuſdem præterea plantæ ſemina bono in ſolo nova luna deponit: mox emiſſis primulis germinibus ad partum jam incitata,

extrahit : cum prædicto ſale conterit & commiſcet; atque ita macerat & putrefacit. In ſalis hujus unciam duas adjicit uncias quàm mundiſſimæ virginiſque terræ: abſtinet autem à ſtercoroſa, ſive animantium purgamentis olida ſordidaque. Humum, quæ propter fontes nonnunquam lutoſa & pinguis invenitur, hunc ad uſum aptiſſimam deligit & adhibet; priùs tamen bene repurgat. Utranque deinde rem conjicit in vas terrenum, haud quaquam lævi tectorio incruſtatum, atque in hortis expoſitum eſſe patitur ſub dio : ne tamen in illud impluat, cavet. Cremata jam & humata planta triduo reviviſcit ac regerminat vegetior; excelſior, atque formoſior. Tunc eadem ars, rerum admirandarum ſolers , pro germinis incremento ipſum fictile patentiori loco paulatim ſubducit: in ſubdiali denique ac perflabili feneſtra, locat. Eidem fictili opertum foculum ſupponit, indita ardente lucerna vaporantem; idemque operculo claudit , tuendæ ſtirpi idoneo , ſumma parte perforato . Exinde novendialem flammam minutatim & gradatim exauget. Nonum circiter diem , cum operculi ſummo è foramine flos incipit exiſtere , teſtam ita operculatam (operculum enim removere nefas eſt) in frigidam humidamque cellam ſubterraneam recondit. Ibi quatridui ſpatio, ſale jam in tabem reſoluto, flos evaneſcit, & planta ſubſidens recedit. Hìc

ex-

extrema solertia prædictam cum sale confusam terram è fictili vitreum in vas peramplum trajicit: idemque sigillo Hermetis obsignatum frigido humidoque loco asservat. Ubi novo miroque spectaculo cùm oculos, tum animos pascere collibuerit, in solem profert: si sol languidè calefaciat, subditi cineris addito tepore solicitat. Ecce autem inter vitreas angustias ingens miraculorum congeries: excitante calore paulatim assurgens, modò sopita, planta prosilit: floreus Phœnix intra horæ dimidium suis è cineribus renascitur: è terræ tumulo vernam redux ad vitam flos mortalibus ad immortalitatem surrecturis proludit: in aprico sine opaco floris umbra porrigitur: satoque sale non decantata sterilitas, sed mira sola salacitas ad extemporalem partum conciliatur. Quis jam insulsam esse insipientemque florum culturam putet, cui subest arcanæ sapientiæ sal? Nec minùs, quàm reparabilis vita fuerit, in arbitrario flore admirabilis est alterna mors. Subducto enim calore umbratilis flos in suos cineres relabitur, suumque chaos sensim repetit evanescens. Decet nimirum ad voluptatis arbitrium renascentem inusitati veris, vitro inclusi, formositatem sine cadaveris deformitate denasci. Sed ne quis à me bellam, & jocoso circulatorum salillo conditam fabellam ad præstigias & offucias animis offundendas enarrari existimet, testes

habeo ſalis hujus efficaciſſimi cum graves Philoſophos Chymicoſque complures, tum in primis Joſephum Quercetanum; qui licet arcanum experimenti pulcherrimi artificium non evulgent, id eſſe tamen exploratiſſimum affirmant. Et Quercetanus quidem ingenuè fatetur, nullis precibus aut promiſſis effici à ſe potuiſſe, ut Polonus medicus experientiſſimus opertam ſpectaculi hujus artem aperiret. Is autem ſtirpem quanlibet ſcitè ac philoſophicè ſolvebat in cinerem: apparatoſque ampliùs triginta ſtirpium cineres ſuis quenque in vaſculis, Hermetis ſigillo conſignatis, & peculiari ſtirpis cujuſque nota inſignitis aſſervabat; ut, cum popoſciſſet uſus, lucernæ igniculo cineribus admoto repentinam eliceret viriditatem. Neque verò, ut res ipſa, ita cauſa compertu difficilis eſt. Etenim, ſi chymica eam ſcruteris in latebra, manet occultum quoddam ſtirpium in ſale ſemen, quod illico exit in opus vividi caloris acceſſu. Sin autem eandem cauſam Lycei mavis in luce cognoſcere; præparantes qualitates, quæ vel ad excitandam, vel ad regenerandam vim ſeminalem, in ſeminibus vigentem, animatique corporis membratim effectricem, requiruntur, in huiuſcemodi ſalibus partim remanent, partim calore adventitio reparantur: ipſa verò ad corpus ex diſſimilibus rebus temperandum initia ſive elementa ſatis commiſcentur. Nam in cineribus

Hermet. diſcipl. defenſ. c. 23.

ribus ſalibuſve latens ignis & aer cum additæ humidæ materiæ aqua terraque efficaciter confunduntur. Quare facili celerique negotio exiſtere poteſt vulgari ſatu editæ gemella quidem planta, ſed tamen propter imperfectiorem gignendi facultatem, tenuitatemque materiæ minus vitalis, & receſſu caloris evanida. Sic æſtivæ pluviæ ſubitarij filij, ranunculi, alijque abortivi vermiculi, quibus putris materia mater eſt, quàm facilè naſcuntur, tam celeriter occidunt. Ex earundem qualitatum fœcunda permiſtione pullulavit geminum illud oculis jucundum prodigium, in vrticæ videlicet combuſtæ conglaciato lixivio concreta ejuſdem vrticæ imago, & in aqua ſtillatitia repentè nata & innatans planta : illa Quercetano, hæc alio ſcriptore celebrata. Illud hìc ad extremum habeo ſubijcere, chymicum iſtud in re florea ſpectaculum, quod ſibi ſpectatum permulti conteſtantur, mihi nec experimento, nec aſpectu eſſe compertum : ſed, ſi naturæ viribus exhiberi poſſit, ob eam, quam expoſui, cauſam non improbabile videri. Quòd ſi quis obſtinatè perneget, nullius fidem extorqueo.

Indu-

Inducti floribus colores.

CAPVT V.

Rariorum colorum inductio.

TRiplex vèl univerſis vel pleriſque floribus inſolens color in hortis magis expetitur, quàm inveniatur, niger videlicet, qui lugubri facie arrideat: viridis, qui, dum floret, herbeſcat, oculoſque paſcat: cyaneus, qui cælum coloret in terris. Squamoſus alni fructus in ipſamet ultro inarefactus arbore, ac tenuiſſimam in farinam contritus nigrum, rutæ ſuccus viridem, cyani flos in frumentariis agris paſſim obvius, itidem arefactus, atque in pulviſculum reſolutus cyaneum ſive cæleſtem colorem dabit. Uſus autem hic eſto. Fimum ovillum, utpote humida levitate miſturæ alibili aptiorem, ſumito: ex aceto bene ſubigito ac depſito; eo enim craſſiuſculum ovis excrementum idoneam ad commiſtionem extenuatur: exiguum quoque ſalis adjicito; nam eodem & aceti aſtrictoria vis emendatur, & ad radices acriùs pervadendas via medicamento aperitur. Ad hæc vel expreſſi è ruta ſucci, vel prædicti pollinis alterutrius tertiam circiter præ fimo partem cum ea maſſa confundito & permiſceto: ſcrobiculum bono in ſolo, quod intra teſtam extrave ſit, excavato: eam maſſam in eundem demittito: in ipſam medicatam intritam colorandæ plantæ radicem defigito: deinde irrigato, curato, colito, ut mos eſt. Illud autem ſedulò curato,

rato, ut albi floris radiculas hoc artificio deligas medicandas. Ita, propter exemplum, candidi caryophylli ſurculus efficaci ſimo infoſſus peregrino facilè colore vernabit. Candor enim, docilis nimirum color, cum perſpicuus & pellucidus ſit, colorati alimenti particulas radicitus hauſtas, totoque probè corpore permiſtas expicto in flore, tanquam ingenuo in ore, manifeſtat. Quid, ſi multicolor iſte fucus in vna eademque prædicti maſſa lætaminis confundatur? Equidem cum Joanne Fabro, Lyncei judicii viro, à quo totum id florei medicaminis præſcriptum accepi, fieri opinor poſſe, vt natura, quæ ſuopte ingenio frequenter ludit in floribus verſicolore pictura, colludentis artis invitamento laſciviat audacior. Quin etiam probabili conjectura & ratione idem Faber affirmat, florum villos ac ſtamina & , qualia videmus in croco , capillamenta , quia florcæ concretionis purior ſuccus , & veluti diſcolor ſanguis ſunt , efficaciſſima pollere tinctura, vt floſculis alijs , candidis tamen, multiplicem atque adeo amabilem fucum faciant. Neque verò illa in floribus pulcherrimè inficiendis experimento frequenti explorata præſcriptio reticenda eſt , quæ ſic præcipit. Solum pinguiſſimum deligito : id eòuſque in ſole ſiccato, dum prætenuem ſolvatur in pulverem: eo pulvere teſtam rite oppleto: mediam candidi floris plantam aut ſurculum depangito: ne quid infuſi humoris, aut inſtillati roris ea humus

Florum pars tincturæ aptiſſima.

Colorans irrigatio.

hau-

hauriat, nequid ipſe, præterquam colorati liquoris, affundas, caveto. Quare ipſum fictile nocturno pluvioque cælo ſubducito, aprico tranquilloq; die in ſolem efferto. Si regum æmulos purpurare placeat flores; Baſilicum lignum, cujus roſea ſanie offectores lanas imbuunt, minutatim in taleolas vel ſegmenta concidito, atque in aqua decoquito, donec ad tertias quartaſve coctura ſubſidat: eo purpureo decocto, cum jam deferbuerit, matutinus ac veſpertinus pocillator bibulum ſolum inſuccato. Si candidas hortorum gemmulas pretioſo raroq; miraculo ſmaragdinam in viriditatem gemmaſcere delectet: ejus rhamni ſeu ſpinæ, quam Petrus Andreas Matthiolus Infectoriam appellat, vulgò Spinum cervinam dicimus, maturiſſimas baccas, modicè diductas, in aqua incoquito, præſcriptaq; ſolum forma irrigato. Sin autem floreum argentum in aureum florem chymica æmulatione flaveſcere laudabiliter avara cupido eſt: baccas eaſdem nondum ſatis maturas itidem apertas excoquito, flavoq; terram ſucco ſaturato. Si denique diurnæ lucis candorem vultu prę ferentes floridulas terræ ſtellulas triſti nigritudine nocteſcere voluptas eſt: minorem gallam & chalcanthum in atramẽtum inferve facito: eo ſi radicem intingas, floris cacumen inſcribes. Aut meminiſſe aut prædiſcere hìc debes, adeo naturam non exui vel expelli, quin ſubinde illa recurrat. Quare de ſua ſe removeri ditione indignans, nativus identi-

In Dioſcor. l. 1. c. 102.

identidem refloreſcet color; ut naturæ cum arte ſuper unica planta concertatio voluptatem pariat bicolorem. Quòd ſi audere non pigeat, etiam triforme leges ab una ſtirpe miraculum. Nam ſi diſcoloribus ex aquis alteram mane, veſpere alteram utrique ſtirpis lateri ſic affundas, ut quotidie latus unum diſtinctis temporum intervallis duplicem fucum ebibat, colorumque vices alternet irrigatio præpoſtera, matutina nunquam ejuſdem coloris aſpergine in eandem partem ſub veſperam refuſa: & nativo, & adventitiis efflorescentibus coloribus jucundè prodigioſa planta trium colorum ore triplici ridebit. Audio rem felici periculo comprobatam, atque equidem credo quia phyſica ratio perſuadet. Cum enim ſingulæ diverſorum colorum irrigationes, utpote non universè, ſed particulatim irroratæ, totam ſimul plantam alere, atque adeo colorare non poſſint; multicolor alimentum non ſatis ubique commiſtum multiformem prodit in florem. Huc accedit, quòd naturalis color, ab artificioſis non planè victus, ex parte aliqua eminet, floreumque triplicat cum voluptate diſcrimen. Si candida lilia roſeo rubore tingere, hoc eſt ſi virginalem candorem decenti pudore pingere volueris; monente Anatolio, Cajoque Plinio ſubſcribente, floreſcentes liliorum ſcapos menſe Julio colligito: denos, duodenoſve in faſciculum colligatos in fumo, ſuſpen-

Tinctura liliorum.

Apud Conſt. Pegon. de Agr. l. 11. c. 21. Nat. hiſt. l. 24. c. 5.

ſpendito: fumidi temperatique vaporis efficientia ſparſim extuberantibus nodulis ſive bulbulis, ſcapos ipſos in fæce vini vel nigri vel Græci menſe Martio macerato, donec tibi eoſdem extrahenti purpureo colore planè ſaturi appareant: deinde, in ſcrobiculis affatim circunfuſa fæce, ſerito: videbiſque adeo multum eſſe à teneris conſueſcere, ut in extremum germen tranſeat prima ſeminis tinctura. Cæterùm Florentini conſilio lilia facilè variatimque expingemus, ſi citra vulnus intra liliacei bulbi ſquamas cinnabarim, aliumve pro arbitrio colorem infundamus. Tuliparum quoque flores arbitria pictura variabit, ſi biduo triduove bulbi habeantur in aceto, donec tenereſcant: deinde eximantur, ut acetum nonnihil expiret: exinde colores minimè acres edaceſve innocentibus bulborum inciſuris ex vino ſtillatitio inducantur: colorati demum bulbi elapſo menſe inhumentur. Ipſa, purpureum formæ compendium, roſa, ſi Didymo magiſtro, cum primùm dehiſcens in folia cœpit evolvi, ſulphuris nidore ſuffumigetur, exalbeſcet: ſive quia ſulphureus albor, igne extenuante atque rarefaciente penetrabilis, tenuis roſæ meatus pervadit & inficit: ſive quia juxta delicatus, atque odoratus roſæ flos olidiſſimi ſuffitus horrorem inſolito pallore teſtatur: ſive tandem ne formoſo colori nimiùm credas, qui fumo leviſſimo decolaratur. Idem roſæ flos peregri-

Apud eund. ibid.

Tulipa-rum.

Roſarum.

Ibid. c. 29.

nos

nos facilè induet colores; si, solertissimo viro Joanne Baptista Porta suadente, juxta radicem diffissum in caulem, itidemque fissos in ramulos aut æruginem, aut Indicum, aut crocum, aut cæruleum lapidem, aut alium quemlibet fucum tenuissimè comminutum largiter ingeras: si, plaga deinde bene circunligata, fimum adaggeres. Observabis tamen, ne, quæ plantas adurunt atque enecant, coloratura venena, cujusmodi habetur auripigmentum, applices. Quòd si cælestis pulchritudinis vorsicoloribus imitamentis flores in Irides aëria feliciores transformare placet: complura generis ejusdem, at non ejusdem coloris florea semina in ovillam caprinamve pilulam defixa, vel in gracilem arundinem inclusa, vel in laciniis colligata serito. Corruptis enim vaginis & involucris, è seminibus varia permistione adulteratis discolor florum soboles existet, quæ non pluviæ nubis lacrymis, sed gestientis naturæ risu expictam Iridem serena fronte præportabit. Jamverò, ut peregrini colores pertinacissimè, ac tanquam jure hæreditario hæreant, è pomariis ad floralia callidam conciliatricem insitionem traducamus, cujus artifici dexteritate mansuefactæ stirpes ignotis foliis, & non suis se floribus operiri demirentur. Atque ut in auream flavæ pulchritudinis hæreditatem genista insitivam rosam & gelsiminum adoptet, primùm immittendas plantas, cum genita-

Discolor seminum permistio. *Matthiol. in Dioscor. l. 2. c. 153. Io. Bapt. Porta Mag. nat. l. 3 c. 5.*

Insitione adventitii colores. *Porta ibid. c. 15.*

nitali terra tranſlatas ad geniſtam afferamus, quòd illæ materno meliùs, quàm novercali, ſuſtinebuntur ubere, dum inoleſcant: geniſtam deinde terebra, ſeu potiùs peracuto cultello, qui ſcobem minimè faciat, nec perurat, obliquè mediam perforemus; ut naturali contentione in ſublime feratur cum à ſtirpe ramus immiſſus, tum ab radice humor affuſus. Ad hæc roſæ vel gelſimini veluti traducem ramulum, quàm latè inſeri & circundari trunco debet, ſummo leviter cortice circunraſo ſpoliemus, ut is expeditè ac proximè adhæreſcat: tranſmiſſiſque binis terniſve gemmis, foramini aptemus: ſubacto etiam luto vulnus circunlinamus, & vinculo circunligemus: poſtremò inſitum ſurculum, dum ſuccreſcentis idem geniſtæ niſu ſuſtollitur, hoſpitali tenus frutice à matre recidamus, ut inoleſcente cortice inſitum coaleſcat, & coëat cicatrix: ſuperficiem verò fruticis ad ipſum vſque receptum ſurculum detruncemus, totus ut ſuccus aliò non evocatus uni potiſſimùm inſito ſerviat. Ita cum geniſta, atque cum aliis quoque diverſi coloris congruentibus plantis concorporantur, externæque matris utero iterum concipiuntur pridem nata roſa & gelſiminum: ut hominem, quamvis adultum, ad novam virtutis morumque faciem & alium & eundem renaſci poſſe, à ſtirpibus doceamur. At verò ſi candidum aut purpureum caryophyllum cæli

colo-

colore donare velis, à vulgatissimis illum plantis sic impetrabis. Buglossum, aut cyanum, aut po- *Id. ibid.*
tiùs vetustum erraticum intubum, quem & cichorium appellant, radice tenus, quæ pollicarem superet crassitudinem, recides: tum mediam radicem considerate modicéque diffindes, ne plus justo fissura descendat: ac floriferam sobolem à parente vulsam aptè immittes, ut rimam coagmentet: vimineo demum nexu ictum vulnere insitivum fœdus obstringes: ac sauciam hospitam ut consanes & lætifices, circa terram circumjectam fimum putrem adaggarabis. Ita in pulcherrimo flore cælum colorari posse pollicetur insitio erudita. Quanquam ego spectaculum hoc sæpius auribus, nunquam oculis usurpavi. Illud eadem præterea à se posse confidit, ut in candidos flores color derivetur aut purpureus, si rubræ pastinacæ, quam siser nonnulli vocant; aut puniceus, si anchusæ præscripta ratione jungantur. Jam verò si ex albo rubroque bicolo- *Id. ib. c. 3.*
rem expetis rosam, eam ingeniosus insitus, quem inoculationem sive emplastrationem nominant, sic feliciter dabit. In eo rosæ frutice, de quo inserere, atque oculum gemmamve ad insitionem sumere voles, novellam, integram, & maximè nitidam quæres virgam: in hac deinde oculum considerabis, qui bene appareat, quique solem spectet orientem, bonamque floris indolem habeat: eum oculum modico in cortice ita circunsignabis, ut is medius sit:

acutoque ſcalpello eundem circuncides, & cautè materiam delibrabis, ne oculum lædas; quem à materia reſectum intercides medium. Ejus poſtmodum fruticis, quem inſerere voles, generoſam ac nitidam virgam eliges, & ejuſdem amplitudinis cortice gemmaq; dimidiata materiem nudabis: in eam verò partem, quam nudaſti, dimidiatam gemmam ex altero ſumptam frutice aptabis ita, ut emplaſtrum delibratæ parti conveniat: duorumque oculorum, diverſarumque gemmarum inter ſe apta ſegmenta unus oculus, atque indiviſa gemma videantur. Ubi ſic feceris, circa gemmam libri plagam revincies, dabiſque operam, ne lædas: deinde commiſſuras & vincula bene ſubacto tenacique luto, quod imbre non dilabatur, collines: ſpatium tamen gemmæ relinques, unde libera egerminet. Ne materiæ, quam inſeveris, ſuccus aliò diſſipetur; ſed unum illibatus & individuus inſitum ut enutriat: ſuperiores ramos, ſiqui ſint, amputabis: tum ſubinde ſoboles detrahes, quæ à lateribus radicibuſque ſubrepunt. Poſt unum & vigeſimum diem ſolvi poteſt emplaſtrum, quia tunc ſolent ſic applicata germina coaluiſſe. Quanquam unius alteriuſve menſis tutior fuerit mora. Sic roſam leges in una ſtirpe à biformi parente bicolorem, ſive bifrontem, Jani ſcilicet ſororem. Idem bicolor oculorum oblectamentum à caryophyllorum plantis, alio tamen cultu, exorabis. Cum enim ipſæ,

sæ, ut quæ oculis carent, inoculari nequeant; arte dissimili coalitæ ad floreum hoc miraculum conspirabunt. Igitur quà candidi, quà rubri caryophylli generosæ soboles radicesve in duas mediæ partes dividuntur, compositisque invicem dividuis corporibus, aptè coagmentantur in corpus unum, quod ex dissimilibus tandem partibus compactum, discoloribus jure floribus capillabitur. Illud hìc supereſt generatim universéque tradendum, flores omnes & seminum satu (sicut jam præmonui) variè colorari; quòd altrix terra non uno ubique habitu temperata eorundem seminum mollia corpuscula variis locis vario alit atque inficit alimento: & pinguis lætaminis injectu etiam nigrescere; sive quòd calido fimi unguine flos infuscatur, ut candida oleo papyrus; sive quòd fumidus ac niger fimus, quæ nutrit, denigrat: indiligentia verò & neglectu violam præsertim & rosam, quantumvis purpureæ sint, post annum tertium (ut author est Theophrastus) in senium, atque adeo in interitum expallescere; quòd, humore vitali ob culturæ desiderium absumpto, concolor morti siccitas mortifera succedit. Adeo & flores & mores cura quidem feliciter, infeliciter incuria expingunt: ut illa vitam in ipsis coloret, hæc mortem.

Ioan. Bapt. Porta Villa l. 9. c. 12. Mag. nat. l. 3. c. 3.

Varietatis colorum vulgares causæ.

Apud Ioã. Bapt. Port. Mag. natur. l. 3. c. 2.

Arte majus Naturæ miraculum.

CAPVT VI.

Artis, & Naturæ concertantium fabula.

LEgite jam florum avidi mortales, inter flores artificiosè coloratos ornandæ veritati natam, floridulam fabellam. Ars Herculano amoris vinculo Floræ conjunctiſſima in ejuſdem hortenſi theatro inſolitis coloribus, flores expingentibus, inaſpecta poſt hominum memoriam ſpectacula ediderat, & in tenui re non tenui cum gloria luſerat. Nec Flora ſolùm admirabunda, ſed ipſa etiam Ars gloriabunda garrulo præconio ſibi plaudebat. Diſſimulandum tamen in fœmina fuerat familiare nativumque crimen, ſuperba garrulitas; niſi Naturæ ſeſe ipſi novo colorandi artificio prætuliſſet. Vicimus tandem, ajebat, vel ipſa, qua cum aſſiduum mihi amicumque pro gloria certamen eſt, quæque victa obmutuit, Natura judice vicimus; dum tuis, Flora, deliciis militamus. Quàm vellem, quæ ubique eſt, ac nuſquam viſitur, regali, quo mihi ſæpe gratulata eſt, ore conſpiciendam hìc ſeſe daret: ut palmarem hanc, ſeu veriùs floream victoriam ſuo quoque plauſu cumularet; ac fateretur, ex iſtis victricem mihi coronam floribus deberi, quos ab orbe terrarum condito iiſdem

Artis jactãtia.

illa

illa ſemper : obſoletiſque jam coloribus inficit: inuſitatis ego conſpicuos admirandoſque perficio. Pupugit æmulæ Artis jactantior vox aures animumque, magnæ miraculorum opificis, Naturæ: &, Itane vero? ait. Quæ ſine me inertiſſima eſſet Ars, de me citra pugnam triumphat? Age ante victoriam triumphanti meritum plauſum properemus. Tum regio vultu habitu- Naturæ habitus.
que ſpectabilis placidam iram dulci rubore ſpeciosè pinxit in genis: ut non excandeſcere, ſed ſplendeſcere viſa ſit. Amantiſſimæ enim rerum omnium parentis eſt ſine noxio fulmine fulgurare. Vel oris taciti tranquilla, æſtuante corde, majeſtas mitiſſimum ingenium eloquebatur. Pectus in ubera porrectum altricem liberalitatem, omnibus lacteſcentem, indicabat. Regia dignitas & poteſtas in amictus ac ſceptri aureo, nempe bono lumine cernebatur. Hoc igitur ore Comitatus.
cultuque auguſta ex infinito ſtipatorum numero quatuor tantùm aſſeclas deligit, præſentem ad uſum accommodatos, Vertumnum ſcilicet, mutationum omnium Dædalum, vario & verſicolore amiculo æquè, ac nomine ipſo, verſatilis vires ingenii denudantem; recocto in crudum juventæ robur ſenio, mimico rictu, atque hircino barbitio feſtiviſſimum caput: ipſos quoque Solis ac Lucis nitidiſſimos filios, eodem editos partu tergeminos pueros, quorum formoſus nitor dies

eſt, Luciferum, Meridiem, Heſperum. Et Lucifer quidem ſcitiſſimo filo adoleſcens hac formæ textura præfulget. Matutinis radiis, intonſos in capillos extenuatis, aureolus crinis parili à fronte diſceſſu niveam, in quam defunditur, cervicem amabili fulgore innocenter incendit, ac nitidè opacat. Quæ toto corpore intermicat, ſumma in fronte ſcintillat in ſideris lucem, diei nuntiam, deſinens venuſtas, ac mera Venus. Enimvero inſolitæ pulchritudinis lux diem debuit præportare: & radiantis comæ cincinnum eſſe decuit ſidus. Decorè confuſi lactis & ſanguinis roſea temperies Auroram graphicè colorat in vultu: atque in hoc etiam aurora liquentibus margaritis rorat. Liquida enim voluptate humiduli & ridibundi ocelli guttatim fluentibus in lætitiæ rorem lacrymulis ſubinde gemmant. Potes & hunc de more rorem ſalivam ſiderum appellare: ſiquidem ocellos à ſtellulis non diſtinguas. Molli clivo eminulæ ubereſque genæ Hyblæo colle feliciùs florent; inermibus enim roſis purpurant, hoc eſt, ut roſeam rem florida brevitate complectar,

Veſtit pudoris purpura inveſtes genas.

Puniceum oſculum, dum animam reciprócat, odorum omnium vitalem ſuavitatem inhalat. Byſſinæ chlamydis nebula glabelli corporis, quod inumbrat, interlucente formoſitate præradiat.

diat. Gemella venuſtate viſendus clariſſimè ſe prodit ſua, nempe meridiana, luce Meridies. Brevioribus radiis ardentior coruſcat flava cæſaries, nativoque calore ſine calamiſtro criſpulos in cincinnos annulata ſuſpicientibus auream gratamque oculis conſerit catenam. Summæ inſidet fronti nitidiſſimus Sol, digna videlicet crinali auro lux. Gemina cum Solis imminentis, tum ingenitæ pulchritudinis luce vividus vultus decenter igneſcit: atque ipſe igneus decor meridianum afflat ardorem. Splendidæ mediæ diei ſimile velamentum ex auro, tenera ilia ſubſtringens, multum corporis nudat: meliùs enim protegit nuditas æſtuantem. Simillimis, planeque fraternis Heſperum lineamentis artifex pulchritudo decoravit: facie tamen leviter fuſca; radiorum capillamento rufiore, antependulo & anteventulo, ferme oculos prævelante; diurna luce in pallidam ſtellatæ frontis facem elangueſcente; occidentis diei purpura colorato medio velamine nuntium noctis illuſtrem ſignificat. Hoc ergo & habitu & comitatu Natura in conſpectum ſeſe dedit Artis, recens apud Floram miraculum ſublatè magnificéque prædicantis. Aſſurrexit utraque parenti maximæ, verendo fulgore perculſa. Ars etiam, quamvis tacita, levi rubore jactantiæ conſcientiam faſſa eſt: ut non fruticibus modò, ſed genis quoque roſas

Ad Artem oratio.

inſeviſſe videretur. Eam ita prior alloquitur Natura. Ecce, quæ nuſquam abeſt, quo cupis, adeſt ore ſpectabilis; quo non cupis, formidabilis, nec ante plauſum datura, quàm juſto duello ſuperata ſuccumbat. Quanquam ſuperare quî poſſis eam, ſine cujus armis & viribus nec etiam pugnes? Sed age, quam verbis confidentiſſimis præcerpſiſti, utra noſtrum re ipſa victricem colorandis è floribus palmam legat, ad novam Floræ voluptatem ac decus, te ipſa judice periclitemur. Venerabunda gratias agit Flora: provocationem Ars interrita non recuſat. Ergo, ut erat ab recenti opificio collectis decenter laciniis artificioſum ad prælium ſuccincta, exertiſque brachiis expedita, è circunfuſis inſitionis armis falculam moræ impatiens corripit: fortè proximum Italicæ roſæ perpetuò virentis fruticem in fictili conſitum ſtrictim attondet: è duplici oculo delibratum corticem abducit: albæ rubræque gemmas callida inoculatione ſufficit. Mirum viſu dictuque! Roſeus frutex, velut inſititia non amœnitate ſolùm, ſed humanitate quoque inoculatus, & pro cultricis atque ornatricis Artis victoria officioſis non ſpinis, ſed floribus pugnaturus, tribus illico tumet gemmis: mox totidem fruticat ramulis: trium denique colorum vernat roſis, nativa ſcilicet ſubrubente, atque alba rubraque inſitivis. Miratur triformi pulchritudine amabile mon-

Artis inſitum admirandum.

ſtrum

ſtrum Flora. Naturam verbis hiſce vellicat Ars. Quæ tuis armis pugno, quàm proſperè meo ingenio expugnem, vide: quàm graviter tuis te roſis convulnerem, fatere. Levi primùm riſu eluſit argutulam inſultationem Natura: tum, Hoccine, inquit eſt; quo me jugulari poſſe ſperaſti, trifidum è triplici roſa telum? Faxo jam roſeos iſtos colores adhuc inviſo, atque inaudito, tuiſque conatibus majore miraculo repræſentatos aſpicias, ipſoque ſpectaculo ſaucia des tandem victrici Naturæ debellatas manus. Tantum profata terram præpotenti virga leviter verberat. Illo leviſſimi verberis nutu admonita tellus, quid magna jubeat Imperatrix, repentinum turget in partum: mox vegetum germen excludit, quod paulatim ramoſa brachia diſpergens, mediiſque inter ficulneas & pampineas frondibus vireſcens, ignotam in arbuſculam adoleſcit, pallido cortice decolorem, florumque rotundis calycibus onuſtam. Hærebat rei eventu ſuſpenſa Flora: ipſius verò Artis, præſago metu immotæ defixæque, corculum aſſultim palpitans, & properè micans trepido tripudio artem ludicram faciebat. Trepidationis motu choreæ cæleſtis æmulam ſolicíti cordis ſaltationem horum Natura verborum ſonitu incitavit. Hactenus proluſimus: jam ſeriò pugnabimus. Nec nobis opus eſt ferro ad victoriam. Sine inſitionis tuæ operoſo vulnere

Naturæ arbuſcula mirabilior.

vin-

vincemus. Atque ut à meis floribus tandem profligata expalleſcere diſcas, atque erubeſcere: trium iſta colorum tibi laborioſa miracula nos per ludum & choream properabimus. Tum ſuos ad aſſeclas converſa, Age, inquit, vetule mi Ludio, in admirabilem omnem varietatem verſipellis Vertumne, citatam efficacemque ſaltationem & modulato ſono, & numeroſo ſaltu præi: ut recentes flores, celeripedem vertiginem verſicolore viciſſitudine imitati, coloratam choream ludant. Vos quoque agite, mea lux, diurnæ nitedulæ, Lucis puerperæ nitidi Lucilli, pervulgandæ diei perpetui triumviri, volucres orbis infimi pictores; quippe qui, deterſis tenebris, rebus redditis colorem, unoque omnia lumine quotidie coloratis: agite, inquam, peregrinam iſtam roſam vario nitore ſic expingite, ut Artis diſcolorem fucum non deſideret: dum expingitis, ſubſultim ſic ludite, ut pugnax pro flore ludus ſeriò vincat. Decent enim floream jocoſa bella victoriam. Statim ab imperio, Dominam prono priùs capite veneratus, incipit tinnulum ſiſtrum numerosè quatere, micare pedibus, toto corpore geſtire, non alia Medea, quàm geniali ſuomet ingenio, recoctus multibarbum in puerum, ſenex Vertumnus. Capularis ſenis, juveniliter alternantis pedes, & latera criſpantis, exoſſes enerveſque flexus à cæteris quidem ſpectatoribus

bus risum elicuerunt: ab Arte verò, sibi jam præmetuente atque etiam invita, extorserunt. Ipsi recentis arbusculæ antea compressi flores semhiulcis repentè oculis subrisere. Numerosi quà sonitus, quà saltus præeuntis illecebram tergemini fratres, agili tripudiantes impetu, persequuntur. Ludibunda interim agilitate mobilis, tremuloque fulgure illustrior, puerorum radiat pulchritudo. Spectaculum hìc habeo sanè novum admirandumque, quod oculos pridem oblectavit, auribus exhibere. Prior impigro saltatu Lucifer ad arbusculam accedit, ac demessum ex hortensi segete candidum lilium, velut in candoris exemplum, extollit: cum ecce tibi grandioris in speciem rosæ penitùs dehiscentes flores, matutino Luciferi albore afflati, ad simulationem usque lilii exalbescunt. Mox exultim subeunte, flammeolamque imitandam rosam præferente Meridie, meridiani ardoris roseo sensim lumine colorantur. Ab Hesperi tandem subsultantis, expingendumque amaranthum proponentis accessu, occiduæ lucis colore amaranthino paulatim erubescunt: novæque rosæ, novo more, unius dieculæ pingente luce, trium in colorum faciem variatæ, artificiosum triplicis rosæ usitata insitione congestæ, miraculum decolorant. Attonita primùm atque obstupida, ceu saxea, obriguit Ars: deinde victam se cum pudore, tum voce ingenuè confessa, famulaturas

Naturæ victoria.

Natu-

Naturæ manus dedit. Flora quoque obſtupuit & plauſit: ſuaſque geniali victoria illa delicias cumulatas eſſe ſibi gratulata, beneficæ bellatrici gratias egit, florum omnium ſuavitatem redolentes. Oblato denique ab eadem Flora florido coronamento, victricem ornaturo, dubitatum eſt, utrum vox, an flos fuerit ſuavior. Hic florei duelli finis: hoc documentum, infeliciter pugnare Artem, cum repugnat Naturæ.

Neque



Neque verò quiſquam exiſtimet, Elyſiæ amœnitatis fabuloſum à me florem aliquem prædicari: nam decem ante annos à noſtris hominibus occidentali ex India miſſum ſemen eſt floris hujus, quem barbaro Indi nomine Fuyò, alii à genetali ſolo Malvam Indicam, Japonicam alii vocant: nos cum iis, qui Romam ex India miſerunt ſemina, Sinenſem Roſam nominabimus. Primus ego meritiſſimus ſator hoſpitem florem Romana civitate donavi: Sinenſis enim floris ſatio atque cultura Senenſi cultori debebatur. Ejus igitur ſemina intra profundum fictile pingui tenuiſſiméque ſuccreto in ſolo, ineunte vere, in digiti altitudinem raro ſatu depoſita, crebris irrigationibus tempeſtivè adjuta, & modicè inſolata, poſt menſem foliola emittere, tum foliis conveſtitas virgulas excitare cæperunt: quibus pro incremento recens identidem ſolum injiciebatur, ut radiculæ ſummatim repentes altiùs obruerentur, inſtillataque uligine alerentur: ipſi autem conſito fictili tepidum in locum recepto gelicidia cavebantur. Anniculæ plantæ adultiores ex anguſto vaſis ergaſtulo in libertatem ſpatioſi loci aſſertæ, fœcundumque in gremium præpinguis, irrigui, ſolibus expoſiti, ac præſertim ab halitu Septentrionali averſi ſoli tranſductæ, actis altè latéque inoffenſis radicibus adeo profecerunt ac proficiunt, ut quotidiè diffuſiùs atque excelſiùs arboreſcant. Jamque aliqua, quamvis annuis putatio-

Roſæ Sinenſis nomina.

Satus.

Tranſlatio.

Magnitudo.

tationibus detonſa, palmos circiter viginti evaluit; caudicis verò dimetiens ad quinque digitos pertinuit. Radix albida, lignoſa, numeroſis implexiſque fibris ad ſummam uſque tellurem capillata, ramoſo divortio ſimul una & multiplex, præpoſteri ſitus arborem ſubterraneam, ejuſque, quam parit ac ſuſtinet, ſimilem congeminat. Ab radice caudex pallidus, ſimplex, & lævis frequentibus ſubinde diſtinctus oculis connivet, quibus gemmaret in ramulos, niſi cultrix vigilantia cæcatum in teretem proceritatem educeret. Ubi truncus deſinit, concolores frondenteſque rami, virgea prolixitudine ſublimiter latéque porrecti, una nemus arbore faciunt. Caudicis ramorumque materies inſtar ficulnæ candida & carnoſa modicè dureſcit. Folia magnitudine pampineis, aſperitate ficulneis, figura utriſque, aut potiùs hederaceis anguloſis conſimilia, ſed tamen crenata, in ipſa rotunditate angulos & ſinus habent: ſuperiore parte herbido virent colore, inferiore candicant: ramoſis utrinque nervis ac venis ex viridi pallentibus diſtinguuntur: ſua ipſa utrinque lanugine aſperantur: aſperis itidem, craſſis, prælongis, ac ſæpe palmaribus, primò virentibus, tum ſuperiore parte pediculis ſubrubentibus nituntur: & raris intervallis diſpoſita ſic ramos ferè conveſtiunt, ut bina invicem opponantur, alio deinde bina, qui priori contrarius ſit, ſe jungantur oppoſitu: atque

Forma.

que ita geminatione alterna ordo foliorum decuſſetur. Verùm, ut ingenita foliis aſperitas minuta non manibus modò, ſed oculis quoque contrectata exploratiſſima eſſet; lynceum exploratorem, nempe microſcopium, ſive conſpicilium tubulatum conſuluimus, quod ab ima parte ſuffultum ad breve intervallum ſubdita corpuſcula, ingentem in molem amplificata, ſuiſq; diſtinctè partibus coagmentata, ſupernè intuentibus demonſtrat. Hoc igitur monſtrante, in parte folii ſupina majuſculorum nervorum pulvini & mediocriter virides, & albicantibus tanquam ſtellulis incompoſitè diſtincti viſuntur. Reliqua verò area inæquales & multiformes in areolas, alba humilique lanugine opertas, & rufis atq; eminulis velut lenticularibus verruculis aſperſas, anguſtis quoque ac virentibus mæandris, tenuioribus nimirum venis ſive fibris interſtinctas extenditur. Sed pronæ partis toroſi nervuli diluta in viriditate candore ſimili ſtellati ſunt, & reliquum folium pariter lanuginoſum ac verrucoſum eſt. Pediculus quoque ſubviridis, brevique lanugine hirſutus, cum albida, tum ſubrubicunda ſcabritie exaſperatur. Ab æquinoctio vernoin germina oculi turgent: convoluta foliola primùm apparent, quibus paulatim ſeſe tum explicãtibus tum amplificantibus virgei ſubeunt ramuli, aſſiduo partu, dum adoleſcunt & roborãſcunt, è gemmis folia trudentes. Quin etiam non rarò fit, ut ex eadem gemma fraterculus

folio ramuſculus adnaſcatur. Sic toto ferme anno foliorum ramorumque perpetuo proventu ad hibernum uſque ſolſtitium Roſa Sinica ſilveſcit. Atque hoc tandem tempore, cum contra frigora oportuit eſſe veſtitiſſimam, foliis ſubinde dilabentibus nuda hiemat: ac, niſi loci ſitu aut artis ope protegatur, facilè gelu aduritur, atque etiam interit. Quòd ſi clementior bruma prætepeat, vixdum veteribus amiſſis, novarum in frondium præproperum gemmat ornatum. Tertio à ſatione anno florere cæpit. Quanquam, difficili jam ingenio mitigato, bima præfloret. Ea floris initia progreſſuſque ſunt. Septembri menſe per autumni æquinoctium è puſillis cum foliis, tum floreis alabaſtris confuſæ paniculæ exiſtunt: mox, incremento ſingula diſcriminante, calyces compluſculi, ſeni plerunque vel octoni, modicis ſuffulti petiolis intelliguntur, quorum calycum pleriq; ſummis è ramis, pauciores proximis è gemmis cum præviis frondibus unà eminent. Forma illis nondum oſcitantibus globoſa, quinis compactilis & quaſi criſtata eminulis commiſſuris, quæ medios circùm alabaſtros inchoatæ acuta coitione faſtigiantur in ſummo. Color iiſdem alabaſtris ab ea parte, qua pediculis inſident, ad imas uſq; commiſſuras viridis, inde ad ſummas ex viridi rubens. Pediculi, qua præſertim parte ſupini ſolem aſpiciunt, ſubrubicũdi; qua calycibus adnectuntur, craſſiores, tandem pandũtur foliaceas in ſtellas, octonis deniſve

Floris tempus, & colores.

denisve virentibus, iisque planis radiis rosarum calyces excepturas. Nam peregrinæ formositatis flori stellæ ipsæ famulare gestiunt in obsequium subjacere. Ubi ferme ad nucis juglandis magnitudinem isti extumuere papillati corymbi; in lacteum florem, extimis foliis, intimorumq; nonnullorum oris subrubentibus, avarè dehiscunt. Mox totam sese pandit ad Batavæ rosæ amplitudinem, repando calyci, sæpius quinquepartito, & in pateræ formam nonnihil sinuoso insidens, varia serie foliorum ramulosis rugis crispantium speciosa, triplicisque coloris vicissitudine speciosior Sinensis rosa, florum Vertumnus, hortense miraculum. Rosa hæc primo lactea decenter nascitur: decet enim floris infantiam lac. Albo deinde rubroque temperatis coloribus, in oris humani formosam temperiem trãsformatur, ut hominibus charissima sit, quibus concolor est. Tandem candido vultu paulò ante nata, purpureo moritur; ut pavidè morientibus exprobret iracundo rubore pallorem. Nostrate tamen sub cælo, utpote minùs, quàm Indicum sit, propitio eadem rosa dilutiore purpura coloratur. In patrio Indiæ solo una die, quam unicam vivit, hæc veluti florum dies matutino cum albore albicat, cum meridiano ardore flammeola est, cum luce noctescente purpurat: ut, quando unum ægrè novum colorem in pluribus flosculis longo tempore ars æmula elaborat, admirandas triplicis coloris in uno flore

vices properare unius eſſe dieculæ ſibi minimè laborioſum ludum victrix natura ſignificet. At verò noſtratibus in hortis hoſpes biduo triduove vivax diuturniorem florei miraculi copiam facit, ut cumulatiorem hoſpitii gratiam lento ſui ſpectaculo rependat. Quanquam utrobique monet è candido mox purpureus flos, ab ingenuo candore facilem eſſe tranſitum ad purpuram. Floris autem jam purpurea folia, ut poma ſolent, ad maturitatis indicium (decet enim maximè purpuram maturitas) humore tenuiſſimo evaneſcente, nonnihil connivent & corrugantur; donec triſtiùs infuſcata, penituſque contracta defloreſcant. Amœniſſimæ ſpectaculum voluptatis eſt, alieno tempore ſic vernare arbuſculam, ut coloribus multis quadruplicem anni faciem ſimul expingat; dum flos alius niveus nivoſam hiemem, alius flammeus igneam æſtatem, purpureus alius maturum autumnum, alii medio quà vitæ quà colorum tranſitu varii variè coloratum ver, univerſi denique ſingulique verſicolores tempeſtatum omnium viciſſitudinem intra tempus breviſſimum colorant.

Ha-


SINENSI
ROSAE
ARBVSCVLA



Habent quidem ejuſdem miraculi præconem Polii foliaPlinium, Tripolii flores Dioſcoridem. Sed ille falſa, quippe lapſus memoria; credulus hic audita ſcribit: nos oculis ſæpe comperta narramus. Una mirabiles Sinenſis floris vices palam tulipa illa æmulatur, quæ materno terræ lacte primò ſatura exalbeſcit, deinde ebriola erubeſcit. Quid unus tamen floſculus cum floriferæ arboris compluribus, quid in ſimplici foliorum ambitu ſeminudus cum folioſiore, quid humi reptans floridulus pumilio cum arboreo gigante, niſi vincendus, congrediatur? Illa præterea mira novitas quotidiano ſpectaculo pæne viluit, ut Sinenſis roſa etiam reciſa in vaſculo aquæ pleno, atque adeo inter manus, ſi diutius habeatur, varios induat colores. Tanta eſt flori huic delectandæ mortalitatis ambitio. Illud autem eſſe cauſæ dixerim, cur idem etiam demeſſus colores mutet: quia ſuperſtes à vulnere floris anima, ſi præſertim aquæ humore, arboris ſucci vicario, foveatur, floreas particulas nativo calore quò vehementiùs percoquit, eò efficit coloratiores. Quanquam ego, cum è binis roſis alteram in aqua, in ſicco alteram de induſtria non ſemel habuerim, experimento didici, pari progreſſione irrubuiſſe utranque, ac ſimul denique contabuiſſe. Unde interpretari eſt, hiſce floribus inſiti humoris abunde eſſe, cum floridam vitam beatè tolerent ſucco ſuo. Et quiſquam neget, roſarum reginam omnium Sinenſem eſſe roſam, quæ gratis

Nat. hiſtor. l. 21. c. 7. De Med. mat. l. 4. c. 130. Matthiol. in Dioſc. l. 3. c. 107. & l. 4. c. 130.

Etiam à reciſione varians color.

colorum vicibus mirabilem in modum varians pulcherrimas ſeſe transformat in facies reliquarum? Ut ipſa celſior atque arborea ſtatura dominantis in cæteras roſæ argumentum ſit. At enim odore caret. Hortis etiam urbanis donantur è noſtratibus roſæ unicolores, odore nullo probabiles. Cur igitur & amabilis & admirabilis non ſit, quæ odoris unius deſiderium triplicis variantis coloris conſtanti miraculo compenſat? Quin etiam inodora eſt magno documento, nimis lenocinantem oculis coloratam ſpeciem ſæpe fucum eſſe vanitatis. Jam verò mirum videri nemini debet, ſuis adeo Indis pulchrum eſſe hunc florem, ut, nato inde proverbio, inter homines pulcherrimus quiſq; Sinenſi roſa pulchrior appelletur. Animadverti per hoſce annos, quibus ea primùm noſtris floruit in hortis, triplici flores genere diſcriminari. Aliæ nanque arbuſculæ florem edunt criſpante foliorum compage denſiſſimum, qui, cum totus hiaſcit, plerunque aliqua rubet ex parte; quia velut ex pluribus coagmentatus floribus particulatim panditur & coloratur: quiq; paulò, quàm congeneris cæteri, ſeriùs vernat; quia plenioris abſolutio floris operoſior eſt. Aliæ verò ſparſim eminentibus inter crocos foliis rariùs comantem pariunt. Aliæ demum quinque foliorum ſimplici ſerie, mediiſque crocis, turbinatam in figuram acervatis, quatuor tantùm aut quinque pavoninum in apicem extantibus, pulchrè degenerem progenerant.

Indicum proverbiũ.

Genus triplex.

Ante


ROSA SINENSIS FOLIOSIOR


FOLIOSA
SINENSI
ROSA




ROSA
SINENSIS
QUINQVE FOLIA



Ante hac ſemen flos hic ad maturitatem non pertulit: quia nondum, ut opinor, juſtum incrementum ac robur arbuſcula ceperat. Octavo tandem anno, Decembri menſe ineunte, deprehendi perfectum in ſemen roſæ mediocriter folioſæ arbuſculam profeciſſe. Quanquam, quæ ſimplicem fundit florem, hoc eodem anno, qui tertius illi à ſatu eſt, ſemen quoque muturavit. Floris caput ſive globulus pediculo adhæreſcens inter quinque florei calycis jam aridas foliaceas lacinias, ad ejuſdem adulti calycis magnitudinem extumidus, eminulis pulvinorum toris orbiculatim ſtriatur, canaliculis in ſumma imaque parte ſtellatam in figuram coëuntibus: aridi præterea colore folii, qui ex viridi inclinat in flavum, decoloratur; brevique ſubalbido pilo hiſpidus inhorreſcit. At verò totus interior folliculus candicat. Sex circiter carinata loculamenta intercurſantibus membranulis diſcriminantur, quæ ſtrias inter exortæ in duriuſculam mediam cartilaginem coëunt. Interſepta membranis concava pars, lanugine denſa, longiuſcula, & candida pubeſcit. Pediculi alba cuſpis ad medium uſque folliculum pertinet, cui media cartilago adhæreſcit, huic ſemina ipſa numeroſiſſima, rufula, minutula, rotundè longula, modicè incurva, & qua parte gibbum habent, piloſa, æqualis longitudinis petiolis albicantibus ac tenuiſſimis acutiore ſui parte liratim adnectuntur. In uno tantùm


Folliculus, & ſemen.


tùm folliculo tria & ſexaginta ſupra centum numeravi, ſex in loculos ſive ſinus pari ferè numero diſtributa. Verùm ut minuſculæ rei quæque pæne fugiat aciem oculorum, ſingulæ partes perſpectæ exploratæque ſint, eodem optico microſcopii tubulo minutiſſima ſemina inſpecta faciem hanc referunt. Magnitudine figuraque hœdinos ferme renes æquant: color ipſis eſt ex fulvo gilvus: toto corpore ſunt punctim pumicoſo: circa glabellum umbonem pilis ſubalbidis, raris, inæqualiter fruticantibus, dimidiatum digitum prolixis, in ſetas aculeoſve porrectis, horridè capillantur: ubi denique in ſe reducta ſinuantur, hilum exprimente oblongo callo, nigricante, albida intercurrente linea diſtincto, altera parte capitato, altera nonnihil exporrecto, definiuntur.


Seminis facies microſcopio repræſentata.

Jam


DIATVS ET INTEGER
DIMI SEMINIS FOLLICVLVS


DEM
ETERNA
SPECTI
PILICI AL


IDEM
SEMEN
MICRO
TRIPLICI AD
SCOPIVM
ASPECTV
REPRAESENTATIVM



Jam verò ita præterea peregrinam arbuſculam curamus. Ramoſa luxurie ſilveſcentem, ineunte Martio interlucata denſitate, deputamus: emaciata cacumina intondemus. Ut autem reparata ſubinde ſobole perennitati proſpiciamus; non modò roſam hanc ſemine ſerimus, ſed avulſos quoque reſectoſve materni cum corporis parte, nempe cum veteris portione trunci, novellos ramos, atque ima parte ad morem ficulnei ſurculi nonnihil diffiſſos, in unum alterumve palmum eodem menſe depangimus: gemmis ſingulis vel binis è terra extantibus, quod de cacumine ſupereſt amputamus: reſinata cera plagas obducimus. Ita ſemeſtri ſpatio radices, annuo flores elicimus. Virgas inſuper ſtirpitus pullulantes aut nonnullis cum fibris deciſas tranſponimus, aut à parente in terram demerſas propagamus. Sed agedum, ut planè admirandum in hujus roſæ verſicolore pictura naturæ artificium pervideamus, floream picturam ipſam eruditi Lycei bono, ideſt philoſophico in lumine collocemus. Et flores & fructus univerſi commune hoc habent, ut, quandiu formam atque incrementum capiunt, paulatim varios tranſeant in colores. Prout enim inſitus calor quotidie magis alimentum concoquit, humoremque ſiccitate variè temperat; ita colorum elicit ſubinde conſequentium varietatem. Attamen varietas iſta, quia lentiore tranſitu perficitur, minùs eſt

Diſcoloris varietatis philoſophica ratio.

obſervabilis, minuſque cum novitatis, tum admirationis habet. Ad hæc in pleriſque quà floribus, quà fructibus idem incremento corporis & coloris modus eſt: ſive quod è ſtirpibus aliæ, quæ robuſtiore altrice vi vegetantur, dum partus ſuos nativi caloris efficacitate cæteris perficiunt partibus, ſimul etiam ad vegeti coloris firmitatem ſtabili temperie afficiunt: ſive quod in aliis calor imbecillior, humorem minùs obſequentem nactus, quam abſolvere temperaturam nequit, inchoatam relinquit, unaque florem languidè coloratum. At verò cum Sinenſis arbuſcula & mediocri calore, & humore ſit prædita tenui (unde aquis eadem gaudet, & propter aquas in India ſeritur) adhuc impar concoctione valida humori ſpiſſando calor, eundem priùs ubertim trahit, lateque diffundit ad florum partes congruenter explicandas: ſatis deinde conformatis adultiſque floreis membris, totus in eo eſt, ut minùs contumacem ſuccum magis magiſque percoquat, eidemque perfectiorem temperiem gradatim inducat. Quare celeri notabilique varietate demum conſequitur candorem dilutum color purpuræ ardentior. Et ſanè decuit eum florem, qui argenteus regaliter vixerit, rogali funere ſplendidè igneſcere. Ita flos formoſiſſimus, qui ad principatum candidatus naſcitur, ac roſeo

pu-

pudore modeſtiſſimus ad eundem juveneſcit, regia meritò conſeneſcit in purpura.

Emendati, additique floribus odores.

CAPVT VII.

QUoniam ut oris, ſic floris fatua eſt & inanima pulchritudo, cui bene anima non olet: ideo vel inodoros, vel fœtidos flores odorare, atque animare par fuerit beneficium atque miraculum. Hæc autem & floribus & colonis ſuavis erit odoraria diſciplina. Prima ſit ratio inodorandi, quæ colorandi fuit: cum ſcilicet ipſa, quæ conſeritur, odoramentis terra medicatur. Sic poteris ovillum fimum ex aceto ſubactum ſoluto in pulverem moſcho, ſive zibetti ambarive liquore, aliiſque odoribus temperare; ut è nutritio, depacta germina oleto animam bene olidam trahant. Efficacius eſt ex odorato ſeu pulviſculo, ſeu liquore medicamentum alterum, quo minuta ipſa ſemina biduo triduove præparantur: quia, cum id non aliunde trahendum, ſed ipſis intimum ſeminibus ſit, vim habet ad agendum præſentiſſimam. Libet hìc ad feliciſſimæ fidem culturæ domeſticum afferre experimentum. Fuit è noſtris hominibus aliquis eruditæ, amœnitatis philoſophicus Dædalus, qui calthæ Africanæ,

Florum odor è terræ medicamine.

Seminum medicatione.

quàm eleganter florentis, tam graviter olentis, ſemina in aquam roſaceam, infuſo reſolutoque moſcho bis odoratam, biduo præmacerarit : tum in umbra ſiccata humi de more poſuerit. Prioris anni flos, nativa nondum graveolentia ſatis emendata, adventitiam ſuboluit ſuavitatem. Ejus floris ſemina pari ratione medicata, ut quæ inſuavem ac feram indolem prope jam exuiſſent, ſuaviorem proximo anno florem induxerunt. Hujus denique floris pariter conditum ſemen in fœtum pulchrè degeneravit tam odore gratum, quàm facie venuſtum : ut in Africano flore roſam ſimul, & moſchum olfaceres. Recentiores coloni (ut fama eſt vulgatiſſima) ſtylo perforatis radicibus, immiſſiſque aromaticis caryophyllis, coronariæ vettonicæ & odorem & inodorantis odoramenti nomen indiderunt: ut ea jam, veteri appellatione antiquata, caryophyllus vulgariter nominetur. Pari quilibet mangonio poterit peregrinis ſuavitatibus, in radicum foramina inſinuatis, caryophyllos efficere odoratiores. Dicitur præterea quemadmodum coloris, ita odoris admiranda novitas alienas in ſtirpes inſitione transfundi. Sic centifoliam roſam, inodora & fatua ſpecie fallentem, ſuaviſſimo halitu animabimus; ſi roſæ, quam ab anima odoratiſſima Moſchatulam vocant, ſæpius inſeramus. Nonnulli roſarum odorem ita roſis exaugent. Ipſarum radicibus implicatas roſeas coronas ſimul adob-

Odoraminum immiſſione in radices.

Inſitione.

Ioan. Bapt. Porta Mag. nat. l. 3. c. 16.

Florum humatione.

Conſt. Pog. de Agric. l. 11. c. 19.

adobruunt: ut cæteras facilè vincant roſæ, quippe filiæ coronarum, victores ornantium. Cum igitur halantibus è floribus jucundiſſimi florem ſpiritus cognatæ radices ducant; cumque corruptis deinde, atque converſis in amicum pabulum roſis alantur: odoratiore anima ipſi partus impertiuntur. Illud verò cuipiam penitùs incredibile videatur, ab aſſito fætore odoriferas feliciùs provenire delicias. Teſtes tamen habeo odoris fœditate nobiles, & allia & cæpas; quæ coronarias omnes herbas & nominatim roſas, ſi juxta inhumentur, Theophraſto ac Didymo affirmantibus, ſuaviùs inodorant: ſive quia, cum unumquodque re ſibi conſimili nutriatur ac delectetur, quicquid gravis halitus circa eſt, olida hæc olera trahunt ac reſorbent; qua ſummota graveolentia, defæcatus floribus odor acerrimuſque relinquitur: ſive etiam quia calida exhalatione inhalata odorem exacuunt, & locum exiccant. Siccis autem locis odoratiora omnia proveniunt. Quapropter incoquente ſole ficcanea Cyrene flores parit odoratiſſimos: Nilo ſtagnante humida Ægyptus abortiva fœcunditate fundit inolentes. Uſque adeo, ut oratorum, ſic hortorum fœcunda ficcitas & acutiùs & jucundiùs olet.

Fœtidis rebus aſſitis.

De Cauſ. plant. l. 6. c. 28.

Apud Coſt. Pogon. ibid.

Theophraſt. De hiſt. plant. l. 6. c. 6.

Plin. Nat. hiſt. l. 21. c. 4. 7. & 11.

Muta-

Mutatæ florum formæ.

CAPVT VIII.

QUis hoc unquam crediderit ? ingens noſtra etiam ætate miraculum, Proteus, in floſculis latet : necdum ullus inveniri potuit Ariſtæus, qui de florea illum latebra in publicæ cognitionis lucem ſatis extraxerit, nempe arcanam pervulgarit artem, qua flores, cum forma tum foliorum numero inſigniter aucti, vultum habitumque, variantis Protei more, demutent. Vidi ego ſæpius Tranſtyberinis in hortis Polydori Neruccii, ſuis ipſis lectiſſimis floribus amœnioris viri, anniculas anemonas latifolias, nondum è fictili catillorum ſeminario in capaciora vaſa tranſlatas, vix paucis degenerantibus, adeo folioſæ amplitudinis, & jucundiſſimæ varietatis læta novitate mirabiles; ut una, ſpectatoribus univerſis attonitis, ea voce plauſerit admiratio, in eo florum genere conſpici poſſe conſpectius aut mirabilius nihil. Cæterùm concinnandi ad hoc miraculum ſeminis, ars luce digniſſima, adhuc tenebras amat. Satorem enim, velut oraculum, cum aliquando conſuleret curioſa & ſupplex amicorum obſecratio : liberaliter patefactæ artis arcanæ loco vocem illam retulit, divini conſilii tenacem, Secretum meum mihi. Ego ve-

Polydorus Neruccius.

rò

rò, ambiguis missis ambagibus apertè ajo, accurato, quem præmonstravi, satu, & perspicaci propitii sideris observatione fieri posse, ut semen Proteo mutabilius inusitatas in florum formas admirabili varietate degeneret. Ut autem numerosa foliorum serie stipatæ, amplificatęque anemonæ proveniant, semen legetur è floribus, qui præcoces inter ac serotinos medii vernant. Hos enim neque frigoris, neque caloris inclementia prævitiat; sed benigna temperies ad feliciſſimum seminis educat proventum. Quoniam verò ex his quoque nonnulli vel nullo, vel maligno exitu sementant; defloreſcentium indoles observabitur: ac, deterioribus decussis, flos unus aut alter è vegetioribus reservabitur, cujus medium capitulum vastiùs intumeſcat. Consimili cæteri flores industria proficient: si, præcipuè amputatis præcocibus universis calycibus, è tardioribus unum efflorescere patiamur, in quem tota vis genitalis, & fœcunditas effundatur. Eveniet enim facilè, ut flos amplior aut folioſior niteat, & semen generosius in spem pulcherrimæ posteritatis existat. Solertiſſimi coloni probabilis vox est: Si floream quancunque plantam brevi vernaturam quintadecima luna, vel paulò ante, demesso floris germine, transferas, eidemque, dum comprehenderit, solem defendas; flos erumpet folioso conatu denſiſſimus. Accepi, Germanum hominem, in hortensi cultione satis exercitatum, affirmare

Flores quo artificio folioſi.

soli-

ſolitum, fieri poſſe, ut ſimplici flore ignobilis atque inglorius caryophyllus multiplici foliorum ornatu nobilitetur ; ſi trigeſimum intra diem à divinæ Matris in cælum aſſumptæ ſextilibus feriis ejus caryophylli frutex in vaſe fictili, optima terra oppleto, deponatur, ac tepente loco ab hiberno frigore vindicetur. Sin generis ejuſdem duo vel tria ſemina in ceræ tubulum, pinnæve calamum, ima quàm ſumma parte laxiorem, incluſa ſolo committas: florem itidem folioſum elicies Alia, & quidem artificiosè confuſa, ſatio inter hortorum admiranda ſpectacula ſpecioſiſſimam tibi afferet floream Chimæram. Quod igitur de olerum miſcellaneo ſatu Didymus tradidit, ad conſimilem florum ſationem ſic traducito. Ovilli aut caprini fimi fabam, quamvis exiguam, ſubula excavato: diverſa deinde ſemina in ipſum cavum confertim indito: ubi tenerum & rarum fimum ſubſtraveris, optimè culto in ſolo parva ſcrobe demergito: tenuem terram ſuperinjicito: leniter irrigato: ubi exire in folia ſemina cæperint, aquulam irrorato: aſſiduè lætamen inſpergito: poſt excitatum caulem vigilantiorem curam impendito. Sic è pluribus coalitum floribus amabile monſtrum habebis. Proderit quoque ad hunc uſum binas vel ternas ejuſdem ſtercoris baccas contundere: varia cum ipſis ſemina permiſcere: papyro detritove linteolo involuta, & deligata defodere: reliquam denique diligentiam adhi-

Apud Cõſt. Pog. de Agric. l. 12. c. 14.

Plin. l. 19. c. 12.

hibere. Quòd si crispulæ placeant florum comæ, à Græco Florentino tradita de apio crispando ars ita transferatur ad flores. Ante in pila leviter semina tundantur, atque cylindrus ipsis inducatur, quàm eadem inhumentur. Volubili enim compressione prætorto seminis meatu, convolutus funditur flos, veluti flexo in spiram siphunculo tortilis aqua. Conducet fortasse nonnihil ad florum magnitudinem variandam animadvertere, ex qua folliculi parte semina colligantur, & quo situ collocentur. Nihil sanè obest in floribus periclitari, quod certò evenire Columella testatur in cucurbitis. Nam graciles è tenui collo, vastiores è medio ventre collectum semen affert. Ut à satione jam ad insitionem transeamus, ipsa nominum monet affinitas. Angustiorem igitur florem amplificabis, si floris amplioris frutici vel arbusculæ adjunctum pronuba maritet insitio. Sic ob animam suavissimam grandiore digna corpore Damascena rosa, quam delicato odoratoque vocabulo Muschatam seu Moschatulam appellant, si latiùs purpurantem aut albentem inseratur in rosam; à felici conjugio pleniorem habitioremque trahet formositatem, & florei paludamenti pompam ornatiùs ac fusiùs explicabit. Plura possunt ad florum formam demutandam perficiendamque in olerum arborumque mangonio jam usurpata traduci, aut etiã nova solertis ingenio coloni excogitari. Pau-

Quo crispi. *Apud Const. Pogon. ibid. c. 23.*

Quo variè magni.

l. 11. c. 3.

ca

cap. 3 ca nobis præmonſtraſſe ſat eſt, ut (quod ſupra monui) florum ſtudioſi ad nobiliorem culturam expergiſcantur. Scio eſſe, qui liberaliùs quàm veriùs doceat, ad arbitrium docili cereaque eſſe indole teneros flores: &, ſicut naturæ artificio inſcripti nomina regum naſcuntur, ſic artis magiſterio poſſe in ſeminali tyrocinio erudiri, ut facilè fiant è rudibus litterati. Scio etiam eſſe, qui, poëtica ſcilicet fide, de ſe illud affirmet:

Vidi ego cultoris, medicato ſemine, flores
Verſicolore coma nomina ferre ſui.

Verùm hæc iſte ſomnia ſpecioſa clauſis, opinor, oculis vidit Parnaſſiis in hortulis, quorum floſculi fabellæ ſunt. Nam quî fieri potuit, ut medicamine natas floreas litteras unus poëta, niſi ſomnians, legerit: cum univerſi tum veteres, tum recentes coloni ſuper hac arte cæcutiant? Nimirum novi præco miraculi pro vero ſimile veri poëtico veriloquio, id eſt canoro mendacio, prædicavit. Eſt autem vero proximum, auſam fuiſſe imitatricem artem, quod artis magiſtra natura perfecerit. Videmus nos quidem conſtanter ludentis naturæ manu complures floſculos iiſdem ſemper diſcoloribus notis figuriſque diſtinctos, eaſque à variis qualitatibus, certa lege in ſemine ordinatis, exiſtere intelligimus. Sed quanam ipſas arte natura in ſeminis perpuſillo ſinu ordinet, atque in verſicolores de-

in-

inde ductus explicet, penitùs ignoramus: hoc eſt inſcribendorum florum artificium compertum adhuc non habemus. Licebit ſanè diſcolores in tulipæ flore notas & formas, non tamen ad hæredes bulbulos tranſituras aut perennes, utpote non ab innata, ſed adventitia cauſa profectas, exprimere; ſi (quemadmodum in floribus colorandis indicavimus) innoxia inciſio eaſdem bulbo impreſſerit, atque altior pictura colorarit. Aliud hîc habeo in floribus folijſque picturæ genus, ab aliis præmonſtratum, oſtendere. Sal Ammoniacus, & candidi exiguum ſacchari cum aceto teritur in lapideo mortario; eaque intrita in uſum aſſervatur. Cum libuerit, cumque per florum tempeſtatem licuerit; roſæ vel caryophylli folia ſic cera glutinantur, ut æquata prorſus appareant: prædicto deinde liquore litteræ, aut alia quælibet ſigna præformantur: poſthoram, intra quam liquor ille ſicceſcere ſolet, aurum argentumve in bracteas tenuatum applicatur, & goſſipio leviter apprimitur: eodem tandem abſterſis, quæ non hærent, reliquiis, in floreo volumine aurea vel argentea legetur eruditio. Si velis aqua pingere ſive ſcribere, quæ quamvis acris, innoxia tamen floribus ſit; hoc modo facies. Sumes tibi gummi Ammoniaci partes tres, Arabici partem unam, ſagapeni partes quatuor: omnia permiſcebis, atque

Quo litterati.

Alexius Pedemont.

que in aceto patieris eſſe, donec emolleſcant: deinde contundes, percolabis, ſervabiſque in uſus. Sic præterea non abſimilem compoſitionem conficies. Gummi Ammoniaci unciam unam, Arabici uncias tres per horas quatuor & viginti aceto macerabis & emollies: adjicies flavi mellis quantum nucis magnitudinem æquat, & allii decorticati contuſique caput unum cum aloes hepaticæ momento: ea itidem commiſcebis, atque aliquandiu ex aceto coques: exinde colabis, totumque bene ſuccum exprimes. Sin autem is videatur liquidior, eundem recoques, donec juſto lentore ſpiſſetur: atque ita præparatum in vitreo vaſe cuſtodies. Quando autem uti volueris, quæ fuerint obducendæ auro in floribus notæ, eo medicamine præducentur: ubi deinde ſiccatæ, calidoque oris halitu ſatis humectatæ fuerint, auri bracteola penicillo aut goſſipio applicabitur. Aliam pingendi floris artem Hieronymus Cardanus tradit, ipſo periculo exploratam. Ficulneo lacte in flore foliove arbitrariæ figuræ notæque præſignantur: ubi lac concrevit aruitque, lactea ſcriptura colorato pulviſculo inſpergitur, aut auri argentive bracteola contingitur: ſiquid alibi ſupervacaneum hæſerit, goſſipii globulo decutitur aut detergitur. Ita priùs adumbrata, præclarè ſigna eminebunt: ita floribus & folijs cum res, tum verba

De ſubtil. l. 13.

non

non inutiliter mandabis. Sunt præterea, qui lacteum fici humorem ovi albumine temperandum, aut unum allii ſuccum adhibendum exiſtiment. Sed utinam liceret arti nativis atque indelebilibus notis flores inſcribere, ſicut licuit colorare. Tuam enimvero, Franciſce, tuis tuorumque laudibus Princeps eminentiſſime, gentilem gloriam prædicaturi, jucundiſſimo nomine Barberino gloriosè inſcripti naſcerentur. Quid enim floribus jucundius, quàm eo nomine inſigniri, quod ab amicis Urbanis Apibus profectum prorſus melleum eſt? Quid verò etiam congruentius, quàm ejus nomen floreis litteris commendari, qui cum eximia floreat litteratura, tum impensè faveat litteratis? Verùm unis fas eſt aut naturæ viribus, aut mendaciis poëtarum flores inſcribere, & quodammodo erudire: ut regium pueri nomen in hyacintho, atque in vetitæ Flamini Diali fabæ flore lugubres litteræ appareant. Attamen, quod ars nulla poſſit, virtus veſtra perfecit: ut, ſi minùs flores, multò certè nobiliores hominum animi nominis Barberini cultu inſcriberentur. Quanquam in obſequium veſtrum arte felicior natura Barberinæ familiæ inſigne, juxta gloriæ, ac mellis dives, in floribus univerſis quotidiano facilique luſu exprimit; dum in ipſis Apes, volucri ſtudio properantes, ſiſtit. Hoc ego naturæ miraculum dum ali-

Barberinum inſigne in floribus.

quando contemplarer attentiùs, gauderemque eſſe non poſſe mellificium ſine ſtemmate Barberino, quo flores ipſi exornantur: eruditam mihi fabellam, nempe veteris Apum erga flores amoris originem in Barberinos Principes voluntas propenſior ſic ſuggerebat. Meliſſam & Florillam, filias gemellas, uno ſuſcepere partu parentes fœcundiſſimi, Cælum ac Tellus. Illæ cum genere, tum benevolentia conjunctiſſimæ, ſtudiis tamen longè diverſis diſſidebant. Florilla enim florum, quos amore magis quàm nomine complectebatur colendorum ſtudioſa, floriferi cultus inventricem Floram ſedulò ſectabatur; & ejuſdem elegans imitatrix, amœnitatum omnium deliciis florentiſſimos hortos ſibi extruxerat, quos diligentia infatigabili excolebat. Ex illa deinde ab omnis ætatis, noſtræque præſertim, principes viros ſuaviſſimæ hujus culturæ nobile ſtudium propagatum eſt. Meliſſa verò muſici diligens & perita concentus, atque adeo inter Muſas frequentiſſima omnibus beatam numeris muſicè agebat ætatem. Hæc aliquando Muſarum familiarem chorum, ipſumque choragum Apollinem ad ſororis hortos congruentis voluptatis ergo invitavit ac deduxit. Floridorum enim Præſides ingeniorum ſimillimos hortorum flores amant; nec libentiùs in Parnaſſia ſcabritie, quàm in hortenſi amœnitate, commorantur. Omnibus igitur humanitatis officiis, hoc eſt pluribus animi, quàm terræ, flori-

Meliſſæ, ac Florillæ fabula.

floribus à Florilla excepti hoſpites mirari amœnitem loci, nempe Regiam voluptatis: areolarum ingenioſos errores, id eſt implicandis quà pedibus quà oculis amabilem labyrinthum: florum, ad ſui commendationem invitantium, diſcolorem riſum, atque odorata ſuſpiria: aurarum, levi ſpiritu graves æſtus difflantium, jucundè frigidulas blanditias: ſilvularum, motu ſibiloque annuentium, opacas illecebras: fonticulorum, liquida lætitia diffluẽtium, trepidos luſus: avicularum, tinnulis voculis argutantium canora gaudia: cæli, ſemper vernantium hortorum deliciis plaudentis, ridibundam ſerenitatem: medii denique magnificentiſſimi domicilii jure gemmeum nitorem. Decet enim circunfuſis florum radiis non alium ſolem eſſe, niſi gemmas. Hęc diu demiratus hoſpes ille doctiſſimus cœtus amicam demum nobilemque ſe recipit ad umbram. Eminebat editiore in loco annoſa Laurus ingentibus ramis cum ad opacandum, tum etiam ad coronandum eruditum chorum diffuſa. Inde cum in totam hortorum pulcherrimam ſpeciem liberior excurreret proſpectus: Tuæ, inquit Apollo, partes hìc Meliſſa deſiderantur; ut & lectiſſimis ſororis floribus, & noſtris auribus canoræ laudationis jucundiſſimam auram aſpires, ſive ut flores gemines: neque enim plures Florilla ſerit, quàm tu loquaris. Tunc enimvero repentè natæ in pudibundis genis tacitæ roſæ oris flexanimi vocales floſculos promiſerunt. Igi-

tur numerosè cymbaliſſans (cymbalum enim fortè geſtabat) ſuaviſſimam cœpit vocem in florum laudes eliquare. Mellito Meliſſæ cantu canora Muſarum & Apollinis oracula conticuerunt: pennatas ſilvarum Sirenas cantitare diſpuduit, intentoque ſilentio dulciorem condiſcere modulationem decuit: per floreum Elyſium vagulæ aurarum animulæ, repentè attonitæ, ſuſpenderunt volaticum luſum, blandumque murmurillum: ipſi ſuis delectati laudibus flores ridentia decenter oſcula diduxerunt. Sed nulli ſuavior atq; potentior, quàm Florillæ, florum laudatrix accidit cantilena. Etenim illa vocali dulcedine ſenſim ſine ſenſu colliqueſcens ac dilabida cæpit ſibi deficere, dilectoſque in floſculos defloreſcere atque transfigurari. Vidiſſes primò pedum lacteolos ac tenellos digitos in totidem florea paulatim germina formoſo languore colorari: vidiſſes conantis pedes attollere, actis repentè radicibus, plantas humi adhæreſcere, dixiſſeſque plantarum illis nomen tum maximè convenire. Uſque adeo ſua cuique voluptas Circe eſt. Altiſſimè pupugere poſthumi ſororis flores Meliſſæ corculum. Quare, confeſtim abjecto cymbalo, mutatoque ſtridulum in gemitum cantu, Florillam in flores abeuntem irrito complexu moratura non accurrit, ſed advolavit: ac ſimul in corporis mutationem æquè prodigioſam neſcia properavit. Nam ſummæ manus pedeſque ſcatere primùm Apibus cæ-

Florilla in flores.

Meliſſa in Apes.

pe-

perunt : tota denique in volatile Apum examen dissipata est. Nimirum ad fororis complexum properanti multas amor addidit alas. Mansit autem, mutato etiam corpore, studium erga consanguineos flores hæreditarium; statimque ad illos novellæ Apes, alatæ scilicet Melissæ, provolarunt : ut, quando uno humanoque non liceret, innumerabili mellificoque ore floreos fororis vultus Melissa jam multiplex oscularetur. Mirandum itaque non est, tam avidæ, tam suavis osculationis salivam esse mel. Deflerunt Musæ, Apollo deflevit nobilissimas sorores, à voluptatis amorisque funere nova facie sibi ipsis superstites, & amissas tamen. Decuit sanè pulcherrimos, quippe natos è Nympha, flores sapientissimi cœtus prætiosis lacrymis priùs irrorari. Decuit etiam meram suavitatem elaboraturas Apes, utpote Melissas suavissimas, mellitis oculis lacrymatum rorem prælibare. Sed mutus oculorum dolor vocalem chorum diutius non decebat. Ergo quà crotali, quà sistri, quà reliquæ sonoræ supellectilis lamentabili plausu vocis querimoniam geminantes mœstissimæ Musæ, musicæ nimirum Præficæ, funebri nænia suaviter obstrepebant. Jucundissimus æris numerosi tinnitus novas Melissas, veteri musices amore inextincto, huc illuc dispicatas in eum locum, unde sonus emittebatur, convocavit. Quare Musis imminentem ad Laurum denso examine convolantes glomerato

partim agmine in ſpeciem uvæ ſummo è ramo pependerunt; partim mirabili ſeſe ordine atque omine librarunt. Etenim complures ovatum in orbem confertim diſpoſitæ tres in triangulum pendulas coronarunt. Tum verò in illo lætiſſimo prodigio futuram felicitatem prævidens certiſſimus interpres Apollo, Accipio, inquit, omen, gratoque oraculo promulgo. Veniet illa tandem ætas, veniet, qua Muſarum volucres mihi chariſſimæ, Barberinæ Apes, virtutum omnium florem, ab ingenito amore ſibi cognatum, glorioſa ſedulitate delibantes, mea in Lauro, ſapientiæ imperiique coronamento, nobiliſſimæ poſteritati ſuæ nidificabunt, utilitati publicæ mellificabunt. Vix ea felicibus quidem, at fugacibus verbis auguratus; ut Barberinæ gentis domicilium in perenni Romanæ gloriæ viriditate æquè ſtabile futurum, ac Trojanis advenis in Latio fuerit, manſuris notis præſignificaret; coronariæ ac triumphalis Lauri trunco celebrem Æneæ vocem inſcripſit, Hìc domus.

Æneid. 7.

Quod


HIC

Quod igitur laurea ſemper in umbra ſplendidè habitavit Barberinorum examen Heroum, nunc, ut cum maximè, tum morum, tum ſapientiæ, tum imperii ſuavitate ſeſe Lauro digniſſimum oſtendit. Nobis enimverò illud bene ac beatè contigit, ut in tribus Barberinis fratribus Franciſco Antonioque Cardinalibus, Thadæo Urbi Præfecto & Principe Prænestino, collecta majorum decora intueamur, amemus, & colamus: utque fratres eoſdem in illuſtriſſimo avorum examine, tanquam gentiles tres Apes, maximè conſpicuos hoc à vulgaribus Apibus diſtare fateamur, quòd illæ regem unum habent, hi regia omnes indole cum Patruo ter maximo, VRBANO VIII. & ſapienter & feliciter imperant. Te verò, Franciſce, regiam in primis Apem flores mei experti ſunt, ad quos ſingulari beneficio cohoneſtandos purpuream majeſtatem iſtam, aureamque opulentiam inclinaſti. Tuo illi auro debent, ſiquid nitent: ac ſeſe totos tibi obſtrictos laxatis officioſum in riſum oſculis eloquenter conteſtantur. Quis alterum præterea Antonium Pontificis fratrem, è Vaticanæ purpuræ flore pietatis eximiæ mel colligentem, velut Apem prudenter ſedulam, non ſuſpiciat? Noſtræ demum ætatis felicitas eſt, in orbis terrarum regnatrice Urbe Urbanam Apem tam ſuaviter dominari; ut è Vaticano culmine ſuaviſſimæ indolis nectar, poë-

Barberina gloria.

poëtica mella diffundat. Licet per liberalem profundentis Urbanitatem, libetque per inſitam omnibus ſuavitatis aviditatem aliquid melleæ poëſis delibare: quin etiam omnino decet è floribus, mirabili naturæ luſu, properatoque gaudio hieme vernantibus, natum, atque in carmina eliquatum mel ad hanc florum commentationem, ab inſulſo ſcriptore inſuavem, extrema manu condiendam, corrivare. Quam enim longius meum volumen complecti non potuit, hanc breviſſimi epigrammatis favus dulcedinem includit. Sic igitur eadem & auribus & animis planè mellea fluit.

Ex Poëmat: Maph. Card. Barb. nunc VRBANI VIII.

Veris opes varios flores mirata ſuperbit
Purpureas inter cana Pruina roſas.
Ver queritur: mœrenſque, meos cur, inquit honores,
Floriferumque rapis tu mihi Bruma decus?
Tu quoque, Bruma refert, glaciem furaris, in æſtu.
Vt ſint vina magis grata, niveſque rapis.
Parcite jurgari, clamat Solertia: per me
Nix æſtate riget, florida vernat Hiems.

Conſiſte in melleo carmine Florum Liber. Metam ſuavitatis & gloriæ attigiſti. Nullus enim Florum Culturæ fructus ſuavior, finiſque nobilior, quàm, præter morem ſupraque votum, ex Apum Rege mellificium.

LAVS DEO.

INDEX RERVM.

A.

Acaciæ Indicæ Cultura. 371
Descriptio. 209
Adonis horti. 5
Adriani Spigelii inventum floreum. 434. & seq.
Alcinoi horti. 5
Aldobrandinorum horti. 88
Anastasius de Vetera. 396
Andreæ Capranicæ disputatio hortensis. 442
Anemone latifolia. 174. 179
Anemone tenuifolia. 173
Alba rubro circundata. 176
Alba rubro umbilico, coma bicolori. 178
Albicans. 175
Cinnabari albisque maculis bicolor. ibid.
Coccinea foliis convolutis. ibid.
Flammea. 178
Lactea. 175
Miniata diluto colore. ibid.
Miniata saturo colore. ibid.
Purpurea flore holoserico. 178
Quinque colorum. 176
Rubore saturo fusca, albo distincta. 177
Rubra. 175
Rubra albo virgata. ibid.
Rubra mediis laciniis virens. 177
Subrubens viridi umbilico. ibid.
Subrubicunda comam colligens. ibid.
Subrubicunda comam explicans. ibid.
Tota viridis. ibid.
Trium colorum. 176
Violacea. 177
Anemones abortus ut impediendus. 333
Apricatio. 330
Caries eradenda. 335
Divisio. ibid.
Exemptio & custodia. 256. 334
Genus multiplex. 173
Involucrum, cum transmittitur. 300
Latifoliæ ac tenuifoliæ discrimina è radicibus. 174
Luxuries coërcenda. 334
Nomina varia. 173
Rigatio. 331
Satio. 327. & seq.
Satio menstrua noxia. 332
Semen quod optimum, & quando colligendum serendumque. 337. 507
Sterilitas ut emendanda. 332
Tenuifoliæ discrimina è foliis. 179. & seq.
Tutamentum. 331
Angues arcendi ab hortis. 277
Anserum encomia. 44
Triumphalis pompa. ibid.
Apes è floribus artificiosè contexta. 426
Aprilis flores. 157. 165. 183. 185. 195
Apud Barberinum encomia. 375. 376
Aqua florum stillatitia. 438
Aquæ irriguæ delectus. 246
Aquaticorum florum cultura. 372. & seq.
Aquavivarum horti. 87. 113
Arbor vitæ. 379

Arbo-

Arboris coralii cultura. 380
Descriptio. ibid
Icon. 381
Arcula ad flores procul mittendos. 299. *& seq.*
Areæ colendis floribus accommodæ Apricitas. 17
Aqua irrigua. 18
Figura. ibid.
Forma varia. 24. *& seq.*
Linearis pictura. 22
Planities. 17
Sepimentum. 18
Situs. 16. *& seq.*
Areolarum magnitudo. 22
Semitæ. 41. 42
Tutelæ lateritiæ. 39
Arma hortensia. 57. *& seq.*
Armerius flos. 190
Artis & Naturæ concertantium fabula. 468
Icon. 477
Insitum admirandum. 472
Ascarides terrestres. 284
Asphodeli albi & flavi cultura. 342
Descriptio. 184. 185
Attali horti. 5
Aves ab hortis ut arcendæ. 277

B.

Balista in agrestes mures. 272. *& seq.*
Balneariæ horti. 89
Barberina gloria. 521
Barberinorum horti. 87. 395
Barberinum insigne in floribus. 513
Batrachium. 184
Belgarum solertia in re florea. 440
Benedictus Deus. 423
Bentivolorum horti. 89
Bestiolæ nocentes à floribus arcendæ. 48
Bestiolæ omnes ut abstinendæ à floribus. 291
Bipalium hortense. 57
Blattæ ab hortis ut dimovendæ. 291
Bruchi fabula. 49. *& seq.*
Icon. 55
Bruxellenses horti. 85
Bulborum nostratium, externorum, adnatorumque exemptio. 252. *& seq.*
Erutorum cura. 255
Liliaceorum à blattis defensio. 291
Reponendorum cella. 255
Tenerorum & carnosorum custodia. 257
Burghesiorum horti. 88

C.

Caduci floris fultura. 248
Caëtani Ducis consitio. 215
Caëtanorum horti. 90
Caius sive Caious, planta, cum icone. 285. 387
Calathus floriger triplex cum icone. 401. *& seq.*
Caloris à floribus defendendi modus. 345
Caltha palustris. 373
Canis hortensis. 44
Quomodo importunus. 257
Cantharides hortis incommodæ. 289
Vt exigendæ. ibid.
Caprarolæ horti. 89
Capsulæ multiplicis ad flores transmittendos descriptio. 299. 427. *& seq.*
Icon. 431
Caryophyllorum admiranda. 447. 464. *& seq.*

Alligatura & inciſio. 350
Cultura. 346. *& ſeq.*
Diſcrimina. 189
Educatio. 347
Florea continuatio. 349
Inſolatio. 351
Locus ſativus. 350
Propagatio. 347
Putatio. 350
Satio duplex. 346
Tranſlatio. 350
Caſertani horti. 87. 113
Caſsianus à Puteo. 389. 440
Ceraſi flore multiplici cultura. 370
Deſcriptio. 204
Chriſtus hortulani ſpecie. 8
Iubet flores conſiderari. 9
Chymia florea. 451
Ciſternani horti. 90
Ciſternani horti quadrans. 217
Ciſtulæ inæquales tres pro Colono. 64
Cochleæ ut arcendæ ab hortis. 282
Colchici cultura. 312
Deſcriptio. 141
Coloni hortenſis inſtrumenta. 57. *& ſeq.*
Partes. 45. *& ſeqq.*
Colores arbitrarii floribus ut inducantur. 458. *& ſeq.*
Quibus è cauſis exiſtant. 467
Columnæ floribus immittendis perforatæ deſcriptio. 413
Icon. 415
Coralii arbuſculæ deſcriptio. 380
Icon. 381
Cornelii Card. horti. 87
Coronæ imperialis cultura. 312
Deſcriptio. 142
Cribra varia pro Colono. 64
Croci cultura. 312
Deſcriptio. 141
Cucurbitarius vermis. 284
Cultellus hortenſis. 61
Cyclamini cultura. 324. *& ſeq.*
Genera. 167
Nomina. *ibid.*

D.

Decembris flores. 151
Deplantandi Belgicum inſtrumentum. 61
Diocletianus ex Imperatore olitor. 8

E.

Emmanuel Suertius. 73
Epicurus inter flores philoſophus. 5
Erucæ deprehendendæ & arcendæ ratio. 48. 279
Fabula. 49. *& ſeq.*
Icon. 55
Eſtenſes horti. 89
Excubitor hortenſis. 44
Exherbandi modus. 243
Eyſtadienſes horti. 86. 439

F.

Fabius Columna. 13
Fabius Sergardius. 50
Fabritius Sbardonus. 146. 407. *&* 427.
Fabula Floræ Lunam conſulentis, cum icone. 227. *& ſeq.*
Limacis & Erucæ, cum icone. 49. *& ſeq.*
Meliſſæ & Florillæ, cum icone. 514. *& ſeqq.*
Naturæ atque Artis concertantium,

cum icone. 468. *& seq.*
Telluris perorantis, cum icone. 84. *& seq.*
Farnesiorum horti Parmenses & Romani. 87. 88
Februarii flores. 151. 152. 161
Federicus Cæsius. 14. 15.
Felis arcendæ ab hortis ratio. 258
Felis optima forma. 269
Ferdinandus Imperatus. 437
Fictilium conserendorum ratio. 237
Fimi consideratio. 79. *& seq.*
Genera. 79
Maturitas. 82
Spargendi tempus. *ibid.*
Vsus. *ibid.*
Florá sive Florentiæ nomen sacrum veteris Romæ. 7
Florea pictura. 424. *& seq.*
Moles. 407
Floreæ rei amatores. 5. *& seq.*
Scriptores. 12. *& seq.*
Floreum convivium. 90
Opus musivum. 423
Flores bulbacei plerique, aut hyacinthi, aut narcissi. 100
Colono cur prænoscendi. 99
Complures indiscreti. *ibid.*
Dei imagines. 8
Quare insulsi, venenati, inodori. 93
Quibus mensibus serendi. 219. *& seq.*
Qui seorsum, qui permistè serendi. 214
Quo semine serendi. 295
Vt conglutinandi. 434. *& seq.*
Vt conservandi. 433
Vt continuandi. 448.
Vt crispandi. 509
Vt digerendi in volumina. 436
Vt eligendi in hortis alienis. 296
Vt exquirendi locis silvestribus. 298
Vt foliosiores efficiendi. 507
Vt inodorandi. 503
Vt irrigandi. 47. *&* 245
Vt litteris inscribendi. 511
Vt multiplicandi. 295
Vt pingendi notis. 511. *& seq.*
Vt præsignandi. 296
Vt procul accersendi. 293
Vt propagandi. 294
Vt properandi. 241. 445
Vt reservandi ad semen. 294
Vt retardandi. 447
Vt transmittendi. 299. *& seq.*
Vt variè magni efficiendi. 509
Floribus aræ sacræ ornandæ. 47
Bestiolæ infestæ ut abigendæ. 279. *& seq.*
Colendis quæ area accommoda. 16. *& seq.*
Folia non detrahenda. 250
Longè mittendis capsula opportuna. 427. *& seqq.*
Serendis quæ sidera observanda. 222. *& seq.*
Servandis vasa idonea. 407. *& seq.*
Terra aptissima. 75
Florum admiranda. 444
Aqua stillatitia. 438
Aquaticorum cultura. 372
Arbitraria tempestivitas. 445
Arbitrarii colores 458. *& seq.*
Arcana cultura. 441
Caducorum fultura. 48. *& seq.*
Componendorum ratio. 47
Conditura. 438
Contrectatio cavenda. 249
Cultura à veteribus Philosophis & Regibus usurpata. 4. *& seq.*

Cur

Cur Flora. 10
Homine ingenuo digna. 4
Fasciculi artificiosi cum icone. 396. *& seq.*
Imitatio multiplex. 438. *& seq.*
Legendorum ratio ac tempestivitas. 47
Numerus recensendus. 212
Patria prædiscenda. *ibid.*
Recisio ut usurpanda. 249
Seminarium. 43
Sepimentum. 18
Servandorum lex. 243 *& seq.*
Structura multiplex. 395. *& seq.*
Tinctura aptissima. 459
Vasa. 63
Vsus in mensis. 438
Fœtidis rebus assitis flores odoratiores. 505
Folia post flores non detrahenda. 250
Qua cura custodienda. 251
Forficulæ vermes ut capiantur. 284
Formicarum abigendarum ab hortis ratio. 285. *& seq.*
Fraga Canadana. 379
Franciscus Castellus. 428
Franciscus Hernandus Medicus. 14
Frigoris arcendi à floribus modus. 244
Fritillariæ cultura. 317
Descriptio. 149
Nomina varia. *ibid.*

G.

Gallica crates ad florum consitionem accommoda. 233
Gelsimini cultura. 352
Descriptio. 193
Etymon. *ibid.*
Gelsimini Americani cultura. 359
Descriptio. 195
Arabici cultura. 357
Descriptio. 194
Hispani candido flore simplicis cultura. 353
Descriptio. 193
Hispani multiplicis cultura. 357
Descriptio 194
Indici flavi odoratissimi cultura. 390. *& seq.*
Descriptio. 389. *& seq.*
Icon. 393
Indici maximi flore phœniceo cultura. 361
Descriptio. 196
Icon. 199
Geniſtæ flore albo cultura. 370
Descriptio. 205
Gonzagarum Ducum horti. 86
Granadillæ cultura. 351
Descriptio. 190. *& seq.*

H.

Henricus Corvinus. 241
Heraclion, aquaticus flos. 372
Homines in floribus expressi. 156
Horatius Grassius è Societate Iesu. 408
Hortensia arma. 57. *& seq.*
Horti Babylonici pensiles. 7
Dicti Paradisus. 5
Quibus adamati. *ibid.* & 8.
Horti insigniores Europæ. 85
Balneariæ. 89
Bruxellenses Brabantinorum Ducum. 85
Byzantini Othomanorum. 85
Caprarolæ. 89
Casertani Principis Aquavivæ. 87
Cisternani Caëtani Ducis. 90
Eystadienses. 86

Florentini Magnorum Ducum. 87
Mantuani Gonzagarum Ducum. 86
Parisienses Gallorum Regum. 85
Parmenses Farnesiorum Ducum. 87
Romani Aldobrandinorum. 88
Barberinorum. 89
Bentivolorum. ibid.
Burghesiorum. 88
Card. Cornelii. 87
Farnesiorum. 88
Ludovisiorum. ibid.
Matthæiorum. ibid.
Mediceorum. ibid.
Perettorum. ibid.
Card. Pii. ibid.
Pontificum. 89
Salisburgenses. 86
Tiburtes Estensium. 89
Toletani Regum Hispanorum. 85
Tusculani Principum plurimorum. 89
Viennenses Cæsarum. 86
Hortorum cura sapientibus laudata. 9
Forma varia. 24
Inæqualis. 35
Labyrinthæa. 37
Oblonga quadrangula. 27
Octogona. 31
Ovata. 33
Quadrata. 25
Rotunda. 29
Hortorum hostes majusculi. 257
Minuti. 278
Seminarium. 43
Hyacinthi cultura. 319. & seq.
Descriptio. 159. & seq.
Multicolor varietas. 159
Nomen anceps & varium. 158
Notæ. 158. & seq.
Hyacinthus albus brumalis. 160
Albus serotinus polyanthes. 161
Anglicus sive Belgicus serotinus, cæruleus, candidus, rubellus. 163
Botryodes inodorus, candidus, & bellus. 165
Odoratus. 164
Cæruleus dilutior, rosmarino concolor. 162
Odoratus præcox. 160
Major odoratissimus Byzantius. 161
Cineraceus. ibid.
Cyaneus præcox. ibid.
E cyaneo fuscus & crispus. ibid.
Hispanus obsoletior. 163
Serotinus. ibid.
Ianuarius. 162
Indicus tuberosus candidus. 166
Orientalis. 160
Peruanus. 164
Poëticus. 154
Polyanthes multiformis. 162
Racemosus multiplex. ibid.
Roseus multiplex. ibid.
Sanneſius comosus, sive cupressinus. 165
Subrubens. 161
Subviridis foliosus. 162
Violaceus dilutis maculis distinctus. 161
Violaceus polyanthes caule foliato. ibid.
Hyenæ pellis, florum tutela. 293

I.

IMbricis ferrei extractorii forma & usus. 69
Icon. 71
India Barberinis hortis tributaria cum icone. 375. & seq.
Indicæ stirpes in hortis Barberinis. 379
Indicia terræ floralis. 76
Indici bulbi ut conserendi. 236

Indici floris è violaceo fusci cultura. 327
Descriptio, & natale solum. 168
Icon. 171
Tempestivitas. 169
Indicum de pulchritudine proverbium. 488
Insecta, hortorum pestis, ut effugan-da. 291
Insitio colores adventitios inducens. 463
Flores odoratiores reddens. 504
Insitum admirandum. 472
Instrumenta Coloni hortensis. 61. *& seq.*
Vt curanda. 73
Ioannes Faber. 459
Ioannes Terentius è Societate Iesu. 14
Io. Baptista Martellettus. 337 407
Io. Laurentius Berninus. 426
Iris. 150
Bulbosa. *ibid.*
Foliosa. *ibid.*
Latifolia prima Clusii. *ibid.*
Persica. 152
Tuberosa. *ibid.*
Vt colenda. 317
Irrigandi modus. 245
Irrigatio colores adventitios inducens. 459
Italia tota pomarium unum. 17
Iuca Indica. 186
Vt colenda. 344
Iunii flores. 375

L.

Laetificandi plantas ratio duplex. 444
Lateres, areolarum tutela. 39
Quales. *ibid.*
Lauri Indicæ cultura. 370
Forma. 206
Lentiscus Peruana. 372
Libri è floribus compacti. 434. *& seq.*
Lilia silvestria ut eximenda. 257
Vt serenda. 318
Liliorum consideratio. 153. *& seq.*
Tinctura arbitraria. 461
Lilium convallium. 186
Album & subrubens. *ibid.*
Vt colendum. 343
Regium. 142. *& seq.*
Vt colendum. 312
Limacis arcendi & deprehendendi ratio. 48. 282
Fabula. 49. *& seq.*
Icon. 55
Locustæ ut fugandæ ab hortis. 289
Vt interimendæ. *ibid.*
Ludovisiorum horti. 88
Lumbrici ut arcendi ab hortis. 282. *& seq.*
Luna observanda in florum satu. 222. *& seq.*
Lychnidis Byzantiæ miniato flore multiplici cultura. 345
Descriptio. 187

M.

Maji flores. 157. 163. 184. 206. 207. 375
Mali Punicæ pleno floré cultura. 371
Descriptio. 207
Mantuani horti Gonzagarum Ducum. 86
Maracoti notæ. 190. *& seq.*
M. Antonius Specchius. 40
Martagon sive lilium silvestre. 153
Ferrugineum sive Hyacinthus poëticus. 154
Montanum primum. *ibid.*
Montanum secundum. 155

Pomponianum. ibid.
Puniceum duplex. 153
Purpureum triplex. ibid.
Vt colantur. 318
Martii flores. 161. 163. 183
Matthæiorum horti. 88
Mediceorum Magnorum Ducum horti Florentini, & Romani. 87. 88
Mel ad surculos transmittendos. 301
Melissæ fabula. 514
In Apes conversio. 516
Icon. 519
Microscopium opticum. 496
Minutorum seminum satus. 240
Transmissio. 301
Molle, arbor Peruana. 210
Vt colatur. 372.
Moringa Malabarica cum icone. 385. & seqq.
Mulieres in floribus expressæ. 157
Mures agrestes & urbani. 264
Floribus noxii. 263
Qua ratione profligandi. ibid. & seq.
Musa, planta. 379
Muscipulæ descriptio. 267. & seq.
Muscus ad flores transferendos. 299. 301
Musivum opus è floribus. 423
Muti canes. 44
Myrti latifoliæ flore pleno cultura. 370
Descriptio. 205

N.

Narcissi cultura. 302. & seq.
Etymon. 100
Notæ. 99. & seq.
Vis medica. 302
Narcissus Anglicus. 114
Byzantius. 101
Corniculatus major & minor. 103
Epidaurius. 102
Flavus. 104
Incomparabilis candidus calice flavo. 113
Candidus major & minor. 112
Ex flavo in sulphureum languens. ibid.
Perpetuò flavus. ibid.
Sulphureus flore multiplici. 113
Sulphureus summo calice luteo. 112
Indicus è rubro croceus flore liliaceo. 115
Liliaceus diluto colore purpurascens, cum Icone. 117. & seqq.
Saturo colore purpurascens, cum icone. 116. & seq.
Liliaceus Sphæricus, cum icone. 125 & seq.
Puniceus gemino latiore folio, cum icone. 135. & seq.
Virginiensis flore purpurascente. 115
Iuncifolius albus autumnalis. 108
Albus major & minor vernus. ibid.
Albus sulphureo calice. ibid.
Luteus major amplo calice & foliis continuatis. 106
Major foliis convolutis. ibid.
Major calice tereti, & foliis angustioribus. 107
Minor odoratus, simplex & multiplex. ibid.
Pallidus foliis reflexis. 109
Longus cervice camelina. 114
Candidus foliosus. ibid.
Candidus simplex. ibid.
Pallidus simplex. ibid.
Montanus serotinus sive Musartus. 113
Narbonensis. 114
Silvestris. 109. & seq
Roseus major & minor. 105
Stellatus. 104
Nardus Antonius Recchus. 14

Naturæ cum Arte concertantis fabula. 468. *& seq.*
Ad artem oratio. 472
Comitatus. 469
Habitus. *ibid.*
Victoria. 475
Icon. 477
Navis florea. 407
Nicolaus Faber Peireſius. 389
Nymphæa, flos aquaticus. 372

O.

Octobris flores. 183. 195.
Odor ut floribus addendus. 503. *& seq.*
Oleaſter exoticus. 206
Vt colendus. 370
Olla fictilis ad talpas capiendas. 262
Orbes viminei ad flores offerendos. 64
Orchis. 156
Mulieres repræſentans. 157
Viros exprimens. 156
Vt colatur. 318
Ornithogalum. 157
Peregrinum ſpicatum. *ibid.*
Vt colendum. 319
Othomannorum horti. 85

P.

Paeonia pleno flore. 185
Rubra. *ibid.*
Subrubens. *ibid.*
Vt colenda. 342.
Palæ hortenſes. 57
Papyrus Aegyptia. 380
Paradiſi arbor. 206
Pariſienſes horti Gallorum Regum. 85
Parmenſes horti Farneſiorum Ducum. 87
Paxillus præferratus. 61
Perſica arbor flore multiplici. 204
Vt colenda. 369
Perettorum horti. 88
Petrelæum ſive Petroleum adversùs pulices virides. 290
Petrus Paulus Dreus. 423
Phaſeolus Braſilicus cum icone. 381. *& seq.*
Pictura florea. 423. *& seq.*
Pii Cardinalis horti. 88
Plantæ radicum immortalium ut curandæ. 256
Polii foliorum mira. 487
Polydorus Neruccius. 214. 506
Pompæ floreæ ferculum turritum. 405
Pontificum horti. 89
Promptuarium inſtrumentorum hortenſium. 73
Pſeudonarciſſus Hiſpanus varius. 109. *& seq.*
Pleno flore quadruplex. 110
Simplici flore minor. 111
Iuncifolius. *ibid.*
Pulices virides hortis noxii. 290
Vt enecandi. *ibid.*
Punica malus ſilveſtris. 207
Vt colenda. 371
Pyxis ad flores tranſmittendos. 299. *& seq.*

R.

Radices florum ut inhumandæ. 233
Vt purgandæ. *ibid.*
Detectæ ut operiendæ. 244
Vitioſæ ut curandæ. 248
Ranunculorum cultura & cura. 339. *& seq.*

Notæ.

Nota. 181. *& seq.*
Ranunculus ab anemona seponendus. 214
Granosus simplex & foliosus. 181
Coccineus foliosus. 182
Flavus simplex. *ibid.*
Flavus flore pleno. *ibid.*
Fibratus candidus. 183
Flavus globosus. *ibid.*
Tuberosus luteus. 184
Rastri Gallici descriptio & usus. 57
Icon. 59
Rhus peregrina. 207
Vt colenda. 371
Rigatio. 331
Romani horti. 87. *& seq.*
Rosa alba. 202
Albicans. *ibid.*
Arborescens. 368
Batava centifolia. 203
Centifolia inodora. *ibid.*
Cinnamomina. *idid.*
Damascena. 202. 366
Ex rubro nigricans. 203
Italica flore subrubente perpetua. *ibid.*
Lutea. 204
Rubra. 203
Subrubens. 202
Variegata. 203
Rosa admiranda. 448. *& seq. &* 472
Cultura vetus & recens. 362. *& seq.*
Laudes. 201
Nota. *ibid. & seq.*
Tinctura arbitraria. 462
Variatio ab insitione. 465. *& seq.*
Rosa Sinensis. 473
Quando floreat. 482
Vt in hortos Italicos illata. 479
Rosa Sinensis arbuscula. 485
Colores varii. 473. 482
Cultura. 479. 501
Discoloris varietatis ratio. *ibid.*
Encomia. 487
Fabula cum icone. 468. *& seq.*
Foliosa Icon. 491
Foliosioris Icon. 489
Folliculus & semen, cum icone. 495. *& seq.*
Forma. 473. 480. *& seq.*
Genus triplex. 488
Magnitudo. 479
Nomina. *ibid.*
Quinquefoliæ icon. 493
Satus. 479
Translatio. *ibid.*
Rubetæ quo pacto pellendæ. 277

S.

Sal Chymicus arbitrariis floribus eliciendis. 451
Medetur doloribus capitis. 453
Salisburgenses horti. 86
Sambacum Arabicum. 194
Sambucus rosea. 206
Vt colenda. 370
Satio florum quo tempore facienda. 219. *& seq.* 229. *& seq.*
Sator florum patriam prædiscat. 212
Mistam sationem quo pacto faciat. 213
Numerum recenseat. 212
Papyraceos formet hortos. 211
Satoria crates duplex. 234
Scabile satoris. 64
Scarabæi ut capiendi in hortis. 286
Scorpiones periculosi colonis. 290
Vt expellendi. *ibid.*
Seminarium florum. 43. 240
Seminum minutorum satus. *ibid.*

Permistio ad flores variè colorandos. 463
Transmissio. 301
Semiramidis horti. 5
Semitæ areolarum. 41
Qua ratione solidandæ. ibid.
Sepimentum florum. 18. & seq.
Quomodo instituendum. 19. & seq.
Serpentes qua ratione profligandi. 277
Stephanus Sperantius. 426
Stercorandi ratio. 82
Sterquilinium hortense. 81
Stirpium floridarum arborescentium cultura. 369. & seq.
Sumachus Indorum. 207
Vt colenda. 371
Syringa Arabica. 194. 195
Syrinx alba & cærulea. 371
Vt colenda. ibid.

T.

Talpæ cur hortis noxiæ. 259
Qua ratione arcendæ, & capiendæ. ibid. & seq.
Tamarindus. 385
Tarquinii horti. 5
Telluris perorantis fabula. 84. & seq.
Icon. 97
Tempestivitas florum arbitraria. 459
Terebinthus angusti folii. 372
Terra floralis. 73. & seq.
Olitoria optima. 78. 84. 93
Quænam aptissima. 75
Quibus indiciis dignoscenda. 76
Quomodo examinanda. 77. & seq.
Quoto anno mutanda. 83
Stercorosa cavenda. 82
Terræ cutis non scalpturienda. 246
Terra medicamine flores odorati. 503
Tessera papyracea ad flores præsignandos. 297
Tessera surculacea. 46. 239. 296
Arundinea. 46. 239. 296
Plumbea. ibid.
Tiburtes horti Dueum Estensium. 89
Tobias Aldinus. 15. 380
Toletani horti Regum Hispanorum. 85
Trachelium Americanum. 188
Vt colendum. 374
Tranquillus Romanus. 125. 169. 194. 207. 214. 311. 327. 401
Trifolium palustre. 374
Tripolii foliorum mira. 487
Trullæ fabrorum. 61
Vt in florum consitione usurpandæ. 233
Tuber Indicum. 168
Tuber terræ. 167
Tubi fictiles ad plantas circunsepiendas. 63
Tubus ferreus ad plantas transferendas, cum icone. 65. & seq.
Vt adhibendus. 69
Tulipa bombycina. 148
Persica bicolor. ibid.
Tulipæ corruptio & reparatio annua. 145
Cultura. 313. & seq.
Descriptio. 144. & seq.
Distinctio. ibid. & 146.
Exuviæ ut detrahendæ. 233
Florentis exemptio. 298
Indicia. 148
Nomina. 143
Propagatio. 147
Tinctura arbitraria. 462
Turris florea, 405
Tusculani horti. 89

V.

Vaccinium. 159
Vas fictile abstinendis formicis. 288
Capiendis talpis. 262
Vas irriguum. 61
Vasa floribus immittendis perforata, cum icone. 407
Vasa florum ut custodienda post flores. 252
Vt disponenda. 23. 240
Vt fabricanda. 63
Vt obserenda. 237. & seq.
Vt reclinanda ad evitandos imbres. 248
Vaticani sepulcri florea ornamenta. 423
Vermes ab hortis ut abigendi. 282. & seq.
Vettonica coronaria. 189
Viennenses horti Cæsarum. 86
Viri in floribus expressi. 156
Vitæ arbor. 379
Vitis Canadana. ibid.
Vlysses Aldrouandus. 427

FINIS.